COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XX.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

EUSEBIUS.

III.

PROSTAT INSUPER VENALE.

LUGDUNI,

APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;

ROMÆ,

APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO EVERAT,

VIA VULGO DICTA DU CADRAN, Nº 16.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS VIGESIMUS.



PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,
VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

BRUXELLIS, APUD EUMDEM,

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,
VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-SAINT-ANDRÉ-DES-ARCS.



M. D. CCC. XXX.

EUSEBII

CÆSARIENSIS EPISCOPI

PRÆPARATIONIS EVANGELICÆ

LIBER XI.

SUSCEPTI ARGUMENTI PROŒMIUM.

Superior idemque decimus Præparationis Evangelicæ liber, non jam verbis meis, sed ipsismet gentilium hominum testimoniis planum fecit, quam simile veri sit, Græcos præter unam in dicendo vim et elegantiam, sapientis et eruditi nihil domo protulisse, sed Barbaris omnia suffuratos esse; adeoque ne ipsa quidem Hebræorum ignorasse oracula, sed ea potius ex parte saltem attigisse : cum ne in ipsis quidem hominum suorum operibus tanta cum ambitione conscriptis castas ab omni furto integrasque manus conservare potuerint. Nam fures illos omnino fuisse, non mea, uti jam dixi, sed sua ipsorum voce demonstravi. Præterea, quam ipsi prudentia simul ætateque juvenes sint, quamque longo intervallo ab illa Hebræorum antiquitate disjuncti, eodem libro ex inita temporum inter sese contentione cognovimus. Atque hæ superioris libri partes fuerunt omnino duæ. Jam vero hic, quem præ manibus habemus, id agit, ut factam a nobis promissionem, quoddam quasi nomen ac debitum, repræsentet, illamque græcorum Philosophorum, si minus in omnibus, in nonnullis certe quidem placitis atque decretis cum Hebræorum oraculis consensionem aperiat. Verum ut alios prætereat, tanquam minus hoc loco necessarios, omnium Coriphæum appellabit, quod instar omnium Platone duntaxat uno, tanquam susceptæ disputationis regula utendum esse videatur, quippe quem, uti reliquos unus

omnes eruditionis gloria longe multumque superavit, ita satis omnino per sese nobis, ad hanc quæstionem definiendam et constituendam futurum putemus. Quod sicubi ad illustrandam hominis sententiam opus fuerit, eorum etiam qui ad ipsius Philosophiæ rationem adhæsere, testimonia proferam, ipsissimis eorum verbis ad majorem propositi argumenti fidem certitudinemque productis. Cæterum ut is vere pleraque pronunciarit, illud observari tamen ac retineri velim, non eum semper in omnibus recte, atque uti res postulabat, philosophatum esse. Quod ipsum quoque suo loco demonstrabimus, non utique criminandi hominis animo, sed consilii nostri defendendi causa, qui barbaram a nobis Philosophiam Græca potiorem habitam esse fateamur.

EUSEBII
CÆSARIENSIS EPISCOPI
PRÆPARATIONIS EVANGELICÆ
LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I.

Platonis philosophiam, in iis, quæ omnium maxime necessaria sunt, cum illa Hebræorum convenire.

Ac primum quidem, cum tres in partes a Platone universa Philosophiæ ratio dividatur, in Naturam, Mores, ac disserendi vim : deinde pars illa rursus, quæ de Natura disputat, in eorum, quæ sensibus usurpantur, tractationem et naturarum corporis expertium intelligentiam ab eodem tribuatur : apud Hebræos quoque tripartitum illud doctrinæ genus reperias, quod nimirum antequam Plato nasceretur, affinia prorsus ac gemina disputarint. Ac Platonem quidem ipsum in primis audiamus, tum hebraica dogmata contemplemur. Nos vero Platonis hoc in genere sententiam, ex eorum qui studiosissime hominis decreta defendunt, eruemus. Ex iis autem, Atticus, vir Platonicos

inter Philosophos clarissimus, hunc in modum mentem ipsius doctrinamque prosequitur, ubi adversus illos disputat, qui Aristotelis doctrina Platonis sese Philosophiam tueri profitentur.

CAPUT II.

De tripartita Platonis Philosophia, ex Attico.

« Cum igitur, inquit, tres in partes integra perfectaque » Philosophia dividatur, hoc est in morum, naturæ, disse- » rendique doctrinam; quarum prima illa non singulos modo » nostrum bonos ac probos efficiat, verum etiam familias » integras ad castissimam vitæ rationem informet, adeoque » populum universum excellenti quodam Reip. genere, et » accuratissimis legibus instituat: Secunda vero ad rerum » divinarum cognitionem ita pertineat, uti simul et prin- » cipes illas causasque cæterarum, quæque ex illis fiunt, » reliquas omnes contempletur, quam Naturæ historiam » Plato nuncupavit: Tertia denique ad certiorem superioris » utriusque discussionem et inventionem assumatur: Pla- » tonem extitisse, qui partes illas omnes Philosophiæ dissi- » patas eatenus atque disjectas, sic tanquam Penthei mem- » bra, ut nonnemo dixit, primus idem maximeque com- » plexus, Philosophiam in unius cujusdam corporis, atque » integri animantis speciem conflaverit, ab omnibus præ- » dicari constat. Nemini quippe dubium est, quin Thales, » Anaximenes, Anaxagoras, et quotquot præterea sub idem » vixere tempus, in sola fuerint naturæ rerum considera-

» tione versati. Pittacus autem, Periander, Solon, Licurgus, » et cæteri id genus, suam omnem philosophiam in Reip. » curam ac studium aperte contulerunt. Zeno denique et » illa omnis Eleatica Schola, quin potissimum in disserendi » artem incubuerit, nemo etiam est, qui nesciat. At vero » his omnibus Plato succedens, vir a natura partibus om- » nibus ac numeris absolutus, longeque cæteris antecel- » lens, utpote Deorum plane munere donoque missus, per » quem integra tandem aliquando Philosophia cernere- » tur, et præteriit omnino nihil, et singula suam ad matu- » ritatem ita perduxit, ut neque necessarii quicquam desi- » derari, neque abripi sese ad inania pateretur. Quoniam » igitur Platonici Philosophi propriam hanc trium illorum » conjunctionem esse defendimus, uti de rerum natura dis- » putet, de morum conformatione tractet, ac simul in dis- » serendi facultate versatus sit, age, singula per sese vi- » deamus. » Hæc Atticus. Ad quæ Aristoclis Peripatetici testimonium accedit, qui libro septimo eorum, quos de Natura conscripsit, conceptis verbis ita loquitur.

CAPUT III.

—

De Platonica Philosophia, ex Aristocle.

« Plato, inquit ille, germanum perfectumque, si quis- » quam alius, philosophandi genus habuit. Nam Thaletis » Sectatores in naturæ disputationibus toti erant : Pytha- » gorei texerunt atque involverunt omnia : Xenophanes ejus- » que discipuli suis illis argumentorum contentionibus, » vertiginis plurimum Philosophis attulerunt, opis autem

» subsidiique nihil : Socrates maxime ignem, quod aiunt, » quodque Plato ipse dictitabat, igni addidit. Nam in- » dole cum esset ingenioque singulari, adeoque de re » qualibet quæstionem movere solerter in primis gravi- » terque posset, novas ipse de moribus, deque Republica » disputationes invexit, imo etiam de ideis agere om- » nium primus instituit : eundem vero nullo non excitato » controversiæ genere, deque omnibus quærentem adhuc » atque dubitantem mors occupavit. Jam alii quas sibi quis- » que particulas absciderant, in iis hæsere perpetuo : atque » ita nonnulli Medicinam, disciplinas alii Mathematicas, » Poeticam alii Musicamque sectati sunt. Plerique disseren- » di vi ac facultate capti, quorum alii sese Rhetores, Dia- » lecticos alii nuncuparunt. Nam qui Socrati successere, » cum multiplices admodum ac varii fuere, tum etiam opi- » nionibus maxime contrarii. Nam alii cynicum sordidumque » vitæ genus, simplicem, et ab omni pertubationis sensu » vacuum animum : voluptates alii contra prædicabant. Hi » sese omnia scire, jactabant, illi plane nihil. Quidam in » media turba atque omnium oculis volvebantur, cum in- » fima plebe assidui: alios adire nemo, nemo alloqui potuisset. » At Plato cum unam eandemque divinarum esse humana- » rumque rerum scientiam probe intelligeret, eam primus » ita digessit, ut partem illius unam explicandæ universi » naturæ, alteram rerum humanarum tractationi, confor- » mandæ orationi tertiam postremamque tribueret. Cæte- » rum, nisi divina perspecta prius et cognita habeamus, per- » videri a nobis humana non posse statuebat. Quemadmo- » dum enim Medici, uti partibus quibusdam medeantur, » in totius ante corporis curationem incumbunt : ita prorsus » qui res nostras intueri velit, universi naturam prius ei » cognoscendam esse : cum illius pars quædam homo sit, » atque ex bonis duobus, quorum alterum ad nos, ad uni-

» versum alterum pertinet, præcipuum sit universi bonum, » quod alterum ejus causa procreetur. Atque hanc Indorum » esse rationem Aristoxenus Musicus testatur; quippe, » unum ex ea natione aliquem Athenis congressum esse » cum Socrate, ex eoque sciscitatum, quid agendum sibi » rerum esset, uti philosopharetur : quo respondente, de » humanæ vitæ rationibus querendum ipsi et cogitandum » esse; tum vero risisse Indum, cum negaret humana quem- » quam pervidere posse, qui divinorum ignoratione labo- » raret. Id porro verum sit, nec ne, ut maxime contendat, » statuere nemo potest. Interea Plato Philosophiam, in eam » quæ de universo disputaret, in civilem, ac disserendi ma- » gistram partitus est. » Cum igitur ea Platonicæ Philosophiæ ratio sit, tempus est, ut Hebræorum quoque Philosophiam contemplemur, qui profecto longe antequam Plato nasceretur, persimile philosophandi genus habuerunt. Enim vero tripartitam apud eos, cumque Platonica illa congruentem disciplinarum, vel ad mores, vel ad vim disserendi, vel ad naturam ipsam pertinentium divisionem reperias, si de re tota hunc in modum cogitare velis.

CAPUT IV.

De morum apud Hebræos disciplina.

Ac præ cæteris quidem omnibus, ea, quæ moram ad disciplinam pertinent, summo quodam ab illis præcipuoque studio, longeque ante rebus ipsis culta esse quam verbis,

si eorum instituta scrutari placet, intelliges. Nam et bonorum ipsi finem, et summum beate vivendi terminum, Pietatem, et profectam ex morum integritate cum DEO conjunctionem, tam diligenter persequuti sunt, quam complexi vehementer. Non jam corporis voluptatem, ut Epicurus: non triplex illud Aristotelis honorum genus, qui corporis fortunæque bona, eodem in loco pretioque, quo animi opes habuit: non summam illam rerum imperitiam et ignorantiam omnium, quam nonnulli honestiore quodam nomine assensionis retentionem appellarunt: non denique virtutem ipsam animi: nam quantula tandem ipsa inter homines futura esset, aut quid omnino, si Deum seponeres, ad vitam molestia liberandam per sese posset? Quare divina ex fiducia, tanquam ex fune quodam vi nulla rumpendo cuncta suspendentes, eum duntaxat, qui Deo carus esset, beatum esse statuerunt. Deus enimvero, uti bonarum omnium dispensator, auctorque vitæ, nec modo fons virtutis ipsius, verum etiam omnium corporis quam fortunæ bonorum largitor est, ita solus ei ad beate vivendum satis omnino fuerit, qui ejus in amicitiam vera sit ac solida pietate susceptus. Quo factum etiam est, uti sapientissimus ille Moses, quum primus omnium, Hebræorum illorum vitam, qui ante sese divinæ hujus amicitiæ participes fuerant, scriptis mandaret, non reipublicæ modo, sed etiam instituendæ vitæ formam, historica narratione complexus sit. Cujus doctrinæ ab universi rationibus initium duxit, rerum omnium auctorem Deum statuens, dum mundi simul et hominis ortum molitionemque delineat. Tum ab universis illis ad singulares oratione delapsus, dum renovanda priscorum illorum memoria lectores auditoresque suos ad ipsorum virtutem ac religionem imitandam extimulat; imo dum ipsemet legum sanctissimarum auctorem simul lato-

remque profitetur, quam studiose illam hominis cum Deo consuetudinem, suscepta morum censura promoverit, aperte omnibus palamque testatur, uti jam superioribus libris ostendimus. At longum sane foret, cum alios deinceps Prophetas, qui Mosem sequuti sunt, tum singulos ipsorum, quibus vel ad virtutem adhortantur, vel dehortantur a vitiis, orationes hoc in volumen includere. Quid porro, si tibi moralia sapientissimi Salomonis præcepta commemorem, quibus peculiare quoddam familiarium dictorum opus addictum voluit, quæ proverbia nuncapavit, concisas brevesque sententias apophthegmatum similes, uno quodam argumenti genere complexus? Atque ita Hebræi jam olim, priusquam Græci prima elementa didicissent, cum optimis ipsi moribus instituti sunt, tum in ejusdem etiam disciplinæ communionem, quotquot sese convenirent, prolixe admodum ac liberaliter acceperunt.

CAPUT V.

De Hebræorum philosophia in disserendo posita.

Jam vero partem illam Philosophiæ, quæ in disserendi ratione versatur, non contortis sophismatis, et fallacibus conclusiunculis, ut Græci solent, excolendam ipsi tractandamque putaverunt, sed percipiendæ studio veritatis : ad quam ii sane, qui divinam apud illos Sapientiam profitebantur, intelligentia diviniori luce collustrata, feliciter aspirarunt. Iidem, uti eorum etiam animos, quos

disciplinis suis imbuendos suscipiebant, ad illam capessendam acuerent, sacras iis sententias, plenasque gravitatis et honestatis historias cum modulatis alternisque carminibus, certa numerorum lege comprehensis, problemata insuper atque ænigmata, nonnullasque eruditas, et allegoriis involutas quæstiones, cum verborum elegantia, et suavi pro linguæ ratione dictionis lepore conjunctas, a teneris unguiculis ingerebant. Imo primariarum etiam disciplinarum Deuterotas quosdam habuere, (sic enim litterarum suarum Interpretes vocare soliti erant) qui res ænigmatis adumbratas, non vulgo quidem ac promiscue omnibus, sed iis tamen, qui ad eorum intelligentiam idonei censerentur, illustriori explicatione aperirent. Id plane sequutus sapientissimus apud eos Salomon, inde quoque sui Proverbiorum operis initium fecit, hac fere de causa ad hoc scribendi genus adductum se esse testatus, cum dissertis conceptisque verbis oportere ait: « Quemlibet » hominem scire sapientiam, et disciplinam, et intelligere » verba prudentiæ : suscipere cavillationes sermonum, et in» telligere justitiam veram, et judicium dirigere, ut det, *in*» *quit*, innocentibus astutiam, et adolescenti sensum et in» telligentiam. Hæc enim audiens sapiens, sapientior erit, » et intelligens gubernacula possidebit. Et animadvertet pa» rabolam, et tenebrosum sermonem, verba sapientum et » ænigmata[1]. » Quæ quidem operis hujus promissa ejusmodi cum sint : tum vero singulas eorum, quæ dicta sunt, propositiones, earumque solutiones, illam denique disserendi artem, cum hominum illorum sapientia linguaque congruentem, quæ passim in Propheticis omnibus ipsorum litteris existit, observare quilibet poterit, qui modo libros orationis suæ monimenta complexos otiose

[1] Proverb.

volutare ac perlegere voluerit. Præterea, si cui forte honesta cupiditas ipsius quoque linguæ cognitionem pepererit, agnoscet ille profecto viros, ut in barbara gente, disserendi peritissimos, qui nihil aut Sophistis, aut Oratoribus, pro linguæ suæ vi ac ratione concedant. Habent illi quoque opera sua versuum numeris comprehensa, cujusmodi est magnum illud Mosis Carmen, Psalmusque Davidis centesimus decimus octavus, quod utrumque eo versuum, quod Heroicum Græci vocant, genere continetur. Quippe hexametris syllabarum sedecim ambo constare dicunt. Reliqua vero carminum apud eos genera, ex trimetris ac tetrametris versibus, pro linguæ suæ proprietate, conflata perhibentur. Et dictionem illi quidem habent, eam disserendi vim ac solertiam includentem. Nam quæ ad sensum ejus sententiamque pertinent, ea cum hominibus conferre sit nefas : cum Dei ac veritatis ipsius oracula verbis illis expressa, responsa item prædictaque divina, cum disciplinis ad pietatem informantibus, et præceptis ad cognoscendam rerum naturam spectantibus complectantur. Cæterum quam illi matura disserendi facultate præstent, ex recta nominum apud illos impositione conjicias, quo etiam in genere ad Hebræorum opinionem suffragium quoque suum adjungit Plato, et cum eorum Philosophia palam aperteque consentit, ut ex sequentibus intelligi facile poterit.

CAPUT VI.

De recta nominum apud Hebræos impositione.

Mosem illum, qui longe antequam vel ipsum Philosophiæ nomen auditum esse in Græcia, de nominum impositione tam sæpe tamque diligenter sua passim Historia disputavit, quique partim eorum, qui apud sese erant, omnium, uti singulorum maxime natura postulabat, cognomenta statuit, partim eorum, ubi de viris sanctioribus ageretur, mutationem, divino totam arbitrio judicioque reservavit, quum abs natura potius, quam ex impositione quadam sua rebus singulis constare nomina intelligeret: principem hoc in genere ducemque sequutus Plato, eandem prorsus insistit viam, nec aliorum, quam Barbarorum, mentionem facit, apud quos eam nominis imponendi rationem servari testatur; Hebræos, opinor, significans, cum apud alios sane Barbaros hoc studii solertiæque genus haud facile reperias. Enimvero docet in Cratylo: « Nequaquam id nomen habendum esse, quod ex condicto » mutuoque consensu, nonnulli unam aliquam linguæ suæ » particulam effundentes indiderint: sed potius quandam » nominum proprietatem rebus ipsis innatam esse, ejus- » dem omnino tam apud Barbaros, quam apud Græcos ra- » tionis. » Ac deinceps ita pergit: « Statuas igitur, *inquit,* » necesse est, quicunque vel hîc vel inter Barbaros no- » mina rebus imponat, eum, quandiu suum cuique ac

» proprium nomen imponet, quibuscunque demum syllabis » utatur, nihilo deteriorem alterum altero nominum aucto- » rem habendum esse. » Tum ubi rursus eum, cui recta nominum ratio cognita sit atque perspecta, Dialecticum verumque nominum auctorem appellavit, ita prosequitur : « Fabri quidem lignarii operæ fuerit, Gubernatoris jussu » clavum moliri, qui aptum modo clavum istum habere » volet. Fuerit sane. Ergo Legislatoris utique fuerit, ex ho- » minis Dialectici præceptis nomen imponere, si modo » rite imponendum erit. Sic est. Tibi igitur, o Hermogenes, » fatendum, opinor, erit, hanc nominum impositionem, » non leve quiddam, ut existimas, nec vulgarium ac ple- » bejorum hominum opus esse, adeoque vere dictum a » Cratylo est, suum a natura rebus inesse nomen, nec ar- » tificem nominum quemvis esse posse, sed eum duntaxat, » qui et innatum rei cuique nomen pervidere, et illius » quasi formam litteris deinde ac syllabis repræsentare » possit. » Hæc ille. Tum pluribus interjectis, Barbarorum iterum mentionem facit; deinde vim quoque nominum maximam a Barbaris ad Græcos profectam esse, his ipsis verbis ingenue confitetur; « Equidem sic existimo, *inquit*, » Græcos, eosque præsertim, qui sub Barbarorum potes- » tate vixerunt, pleraque nomina a Barbaris accepisse. » Quid tum postea ? Nimirum, si quis quam illa recte apte- » que conveniant, ex Græcæ linguæ, non ex ejus, unde » natum quodque fuerit, proprietate quæret, eum utique » hæsurum intelligis. Et merito quidem. » Hactenus Plato. At illum sane Moyses antevertit, qui utpote sapientissimus non Legislator modo, sed etiam Dialecticus, hac de re quid scribat accipe. « Formatis igitur, *inquit*, Deus de » limo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus » cœli, adduxit ea ad Adam ut videret, quid vocaret ea : » et omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum erat

» nomen ejus [1]. » Cum enim ait, *ipsum erat nomen ejus*, quid aliud quam appellationes, uti natura postulabat, inditas esse significat? Quippe quod jamjam impositum nomen fuerat, idem multo ante in ipsa natura inclusum fuisse, adeoque suam illam in appellato quoque appellationem antegressam esse declarat, quam deinde vir ille divino spiritu afflatus, vi quadam superiore imposuit. Quin ipsum etiam Adami nomen, quod Hebraicum per sese est, jure apud Mosem hominis e terra nati cognomentum censeatur, cum apud Hebræos Adam terra nuncupetur: ex quo factum sit, ut qui primus e terra natus erat, is a Mose Adamus vere ac proprie diceretur. Quanquam et alia quoque appellationis hujus ratio esse potest, quasi ex rubro colore ducatur, et corporis naturam repræsentet. Cæterum hominem quidem Hebræi, sed terrenum, atque ex terra fictum natumque, vel ex corpore carneque conflatum Adami nomine significant: at hominem dum proprie appellare volunt, vocem Enos usurpare solent, qua homo ille noster ratione præditus, atque ab terreno Adamo natura sejunctus exprimatur. Hoc etiam Enos singulare habet, ut immemorem Græca lingua significet. Enimvero id ei parti nostræ, quæ adjunctam rationem habet, propter ejus cum mortali et rationis experte commercium, usuvenit. Nam id sane, quod purum omnino, quod sine corpore, quod divinum ac ratione præditum est, non præteritorum modo memoriam, sed etiam futurorum cognitionem, ob vim contemplandi summam complectitur. Quod autem carni tanquam luto immersum est, quod ex ossibus nervisque compactum, quod imposito corpore, velut ingenti quadam mole oppressum, id cum Hebræus multa cum oblivione, tum imperitia laborare intelligeret,

[1] Gen., II, 7.

Enos convenienti admodum, et oblivionem significante nomine appellavit. Et quidem apud aliquem Prophetam legimus, « Quid est homo, quod memores ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum?[1] Quo loco Hebraica lingua pro illa priori hominis appellatione, vocem Enos adhibuit; quasi clarius diceret : Quid obliviosus iste est, ut ejus, o DEUS, meminisse velis, cum usque adeo sit immemor? Quod autem subjungitur, « aut filius hominis, quoniam visitas eum?» Hebræi legunt », Aut filius Adam» Ita cum unum et eundem vox utraque significet. corporeus tamen Adami, Enos vero nomine, ratione præditus designatur. Atque hunc in modum Hebraicæ literæ ambarum vocum etymologiam distinguunt. At vero Plato, ἄνθρωπον hominem Græca lingua παρὰ τὸ ανάθρεῖν, a contemplando nominatum esse contendit; Homo enim, inquit, simulatque vidit aliquid, (ὄπωπε Græci dicunt) id ipsum quod viderit, comtemplatur ac secum ipse reputat, ut ἄνθρωπος dicatur, quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, comtemplans ea, quæ viderit. Virum præterea Hebræi vocant Is : quod nomen ab Es, quod ignem significat, derivatur, ut viri nomen ab calida et ignea viri natura inditum fuerit. Mulier vero, uti ex viro sumpta perhibetur, ità in ejus nominis communionem vocata est. Issa enim ab illis nuncupatur, ut Vir Is. At Plato, cum ανδρα virum, παρά τὴν ἄνωροην, hoc est ab superiore defluxu dictum esse defendit, tum ita subjungit, γυνη autem, mulier, quasi γυνη fætus, aut semen appellata mihi videtur. Rursus Moses cælum vere ac proprie firmamentum Hebraica voce nuncupat, quod secundum illam corporis expertem intelligentemque naturam, primum hujus mundi firmum sit corpus sensuque perceptum. At Plato rite οὐρανῷ cælo id nominis inditum esse ait, quod

[1] Psal. VIII, 5. — [2] Psal. VIII.

τὸ ἄνω ὁρᾶν, hoc est uti suspiciamus efficiat. Hebræi nomen summæ illius Dei naturæ proprium, nec ulla voce repræsentari, nec animi cogitatione comprehendi posse cum statuant; quod a nobis Dei nomine exprimitur, id ipsum Eloim dicere consueverunt, ab El, ut videtur, quod apud illos robur potestatemque significat: ut Dei nomen apud ipsos ab ejus potestate ac robore derivetur, unde illum omnia omnino posse, utpote qui molitus omnia fuerit, intelligimus. At Plato Deum atque Deos, Θεὸν καὶ Θεοὺς nominatos esse mavult, quod illa cœli sidera θέειν, id est, currere videamus. Atque ita Hebræi simul atque Plato, rem enim adumbrasse satis est, de recta nominum impositione statuerunt. Quinetiam ipsas quoque hominum appellationes certo consilio inditas fuisse Plato confirmat, et rationem earum aliquam afferre conatur. Itaque Hectorem nescio quo pacto, quod rex Trojanorum esset, ἀπὸ τοῦ ἔχειν καὶ κρατεῖν quæ habere ac imperare significant, appellatum esse conjicit: Agamemnonem vero, διὰ τὸ ἄγαν μενεῖν, quod nimium persisteret, atque in iis, quæ adversus Trojanos susceperat, consiliis firmiter admodum et constanter hæreret. Sic Orestem, διὰ τὸ ὀρεινὸν quod montanis, hoc est agrestibus ac ferinis; Atreum, διὰ τὸ ἀτηρὸν, quod perniciosis ac pestiferis moribus esset: Pelopem, quod non ea, quæ semota longius, sed ea duntaxat, quæ πέλας, hoc est propinquiora essent, videret: Tantalum quasi ταλάντατον, miserrimum, ob earum, quibus oppressus est, miseriarum magnitudinem. Ista quidem, aliaque sexcenta a Platone dicta reperias, quibus nomina primis illis hominibus non pro arbitrio, sed pro naturæ conditione imposita docere conatur. At enimvero quæ apud Mosem leguntur, ea nunquam aut coacta dixeris, aut arguta illa Sophistarum in cudendis voculis arte conficta. Agnosces videlicet, quem Hebræi Cainum vocant, æmulationem

apud Græcos significare, quo nomine appellatus nefarius homo fuerit, quod adversus fratrem æmulatione invidiaque flagraret. Abelem contra luctum sonare, quod parentibus suis luctum attulisset: qui diviniore quodam instinctu consilioque permoti ejusmodi liberis suis nomina indiderint. Quid si Abrahamum proferam? Ille nimirum antea, dum sapientiam chaldaicam profiteretur, in rerum superiorum disputatione occupatus, atque in siderum, quæque ad cœlum pertinent, omnium contemplatione assiduus, Abram vocabatur, quæ vox græce sublimem parentem significat. At Deus, cum eundem a rerum nostrarum consuetudine, ad illustriorum illarum, quæque aspectabiles omnes superant, commercium eveheret, peropportunam ejus nominis mutationem instituit, his verbis, « Non amplius vocabitur » nomen tuum Abram, sed Abraam erit nomen tuum, quia » patrem multarum gentium posui te : » Cujus oraculi vim atque sententiam explicare longum esset. Verum satis hoc etiam loco fuerit hanc ad veritatem Platonis suffragium adjungere, qui diviniore aliqua vi nomina quædam imposita fuisse pronunciat. Sic enim ad verbum ipse : « Hic enim, *inquit*, » maxime, precipuum quoddam in nominibus rite imponen» dis abhibitum studium fuisse decet; imo ex iis etiam » nonnulla fortasse, vi quadam nostra hac longe diviniori » constituta sunt. » At illud ipsum divinæ litteræ longe sane luculentius uberiusque confirmant, ac Moses ipse præ cæteris, qui divinitus Abrahamum, ejusque filium Isaacum, nec non et Israelem appellatos esse testatur. Et risum quidem Isaacus significat, ut hoc suo nomine castam illam sanctamque lætitiam repræsentaret, quam amicis suis Deus tanquam singulare munus ac prœmium pollicetur. Ejusdem filius Israel, cum antea Jacobi nomen

[1] Genes., XVII, 5.

habuisset, abs Deo postea Israelis nomen accepit, ex actuoso et laborioso homine contemplator effectus. Nam Jacobus sane calce impetentem sonat, quasi virtutis certamine defungentem : at Israel, eum, qui Deum videt, significat, cujusmodi mens hominis esse debeat, quæ in cognitione et contemplatione versetur. Sed enim quid attinet hoc loco, vel Mosis illius sapientissimi, vel sacrarum apud Hebræos litterarum, summam in propriis nominibus imponendis maturitatem atque solertiam, sexcentis aliis exemplis illustrare, cum hoc disputationis genus longe majus otium desideret? Enimvero ne primorum quidem, quæ ipso statim initio sese offerunt, Grammatices elementorum, Græci homines notationem affere possint : quin hæreat etiam ipse Plato, si vocalium aut consonantium explicanda ratio atque appellatio sit. At vero Hebræi eam in promptu habent. Nam Alpha quidem, quod Alph ipsi vocant, disciplinam significat : Betha vero, quod Beth appellare solent, domum sonat : utrumque sententiam hanc efficit, Disciplina domus : quasi apertius diceretur, Doctrina quædam seu disciplina rei domesticæ. Gamma, quod ipsis quoque tertium elementum est, Gimel dicunt, eoque plenitudinem quandam significant. Tum quoniam δέλτους hoc est tabulas, Delth nominant, quarto elemento idem etiam nomen indidere, ut ambarum litterarum conjunctione doceant, comprehensam scripto disciplinam, tabularum plenitudinem esse. Atque ita deinceps elementa Grammaticæ reliqua, nominis quoque sui reperies propriam apud Hebræos ac singularem habere rationem. Nam et septem quoque vocalium inter sese commissionem ejusmodi nomen efficere volunt, quod explicari voce non possit, quodque Hebræi quatuor elementis inclusum summæ Dei potestati exprimendæ attribuunt, sic tamen ut idem proferri vulgo non posse longa serie posteri a majoribus

acceperint. Et vero, unus etiam aliquis e Græciæ Sapientibus, id ipsum, unde hauserit, subobscure his versibus adumbravit :

« Me septem interitus expers vocalia Numen,
» Cunctorumque Patrem septem Elementa vocant.
» Idem æterna Chelys rerum, quæque ordine jussit
» Constantique Polum ducere lege modos. »

Cæterorum item apud Hebræos elementorum significationes, si enucleare singula volueris, omnino reperies : quod ipsum jam a nobis antea præstitum est, cum nihil non Græcos a Barbaris accepisse demonstraremus. Postremo qui Hebræorum linguam rimari diligentius scrutarique voluerit, is profecto summam quandam apud illos nominum proprietatem esse cognoscet. Atque id ipsi vel ex unico Gentis universæ nomine constare potest, quod ab Hebere derivatur. Transeuntem enim significat, cum et transitum et transeuntem Hebraica lingua voce unica Heber appellet. Et ea quidem nominis hujus ratio est, uti ab rerum præsentium vanitate ad divinarum studia sese conferre, nec in eorum, quæ videntur, contemplatione ullo modo acquiescere ac sistere, sed ab iis potius ad semota ille penitusque recondita de Universi Conditore ac Molitore, Theologiæ mysteria transire doceantur. Ita plane primos illos, qui sese præpotenti rerum omnium Moderatori Auctorique Deo consecrarent, et sinceram veramque religionem diligenter excolerent, Hebræos, quasi mente transeuntes ac trajicientes nuncuparunt. Sed quorsum in colligenda nominum apud Hebræos omnium proprietate, maturaque admodum impositione diutius immoremur, cum ad hanc quæstionem integra quædam ac singularis opera requiratur? Cæterum, mihi quidem videor, quo-

modo saltem informanda re fieri potuit, Hebræorum in disserendo vim atque facultatem, vel paucis iis, quæ abs me commemorata sunt, satis illustrasse : siquidem ea Platonis sententia placet, dum is plebeiorum ac vulgarium hominum esse negat, propria nativaque rerum nomina invenire, sed tantum sapientis legislatoris, et scienter periteque raciocinantis, qualem profecto cum Mosem ipsum, tum hebraicorum oraculorum vim esse demonstravi. Quid ergo proximum est, nisi ut quemadmodum ipsi de rerum natura philosophati sint, exquiramus?

CAPUT VII.

—

De naturali Hebræorum Philosophia.

Tertiam hanc hebraicæ Philosophiæ partem, quæ naturalis vocatur, quæque ab iisdem quoque, in rerum sola mente perceptarum, et corporis omnis expertium contemplationem, et in earum, quæ sensibus usurpantur, tractationem dividitur, laudatissimi Prophetæ cum noverant ipsi per sese, tum, ubi postularet occasio, suis passim oraculis aspergebant : quam illi tamen neque conjecturis quibusdam, aut mortalis cogitationis industria didicerant, neque ullius sese humani præceptoris auctoritate jactabant : sed divinæ cuidam superioris potestatis vi, divinique Spiritus afflatui totam illam cognitionem acceptam ferebant. Quem illi quidem secuti, ut de rebus futuris infinita divinitus prædixerunt, sic etiam et de uni-

versi molitione infinita, quo modo natura postulabat, disputarunt, et de animantium ipsarum naturis infinita tractarunt; quibus et sexcenta de plantis in suis quique prophetiis addiderunt. Et sane Moses, qui lapidum etiam vires apprime calleret, non obiter aut perfunctorie, cum de summi Sacerdotis cultu dissereret, in eorum considerati-one versatus est. At vero Salomon, si quisquam alius, in hac physiologiæ parte, summam omnino laudem est, vel ipso divinæ Scripturæ testimonio, consecutus. Sic enim illa[1] : « Locutus est quoque Salomon, *inquit*, tria millia » parabolas et fuerunt carmina ejus quinque et mille. Et » diputavit super lignis, à cedro quæ est in Libano, usque » ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, Et disseruit de ju-» mentis et reptilibus, et piscibus. Et veniebant de cunctis » populis ad audiendam sapientam Solomonis, et accipiebat » munera ab universis regibus terræ, qui audiebant sapien-» tiam ejus. » Atque hac ipse ratione commotus dum paren-tem illam virtutis omnis sapientiam ejus beneficio tribueret, hunc in modum loquebatur : « Ipse enim, *inquit*, dedit mihi » horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam constitu-» tionem mundi, et virtutes elementorum, initium, et con-» summationem, et medietatem temporum, vicissitudinum » permutationes, et commutationes temporum, anni cursus, » et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bes-» tiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differen-» tias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcunque sunt » absconsa, et improvisa didici : omnium enim artifex docuit » me Sapientia[2] ». Rursus idem ille Salomon de fluxa corpo-rum natura disputans in Ecclesiaste : « Vanitas, *inquit*, vanita-» tum et omnia vanitas. Quid habet amplius homo de uni-» verso labore suo, quo laborat sub sole?[3] » Et paucis inter-

[1] 3. Reg. IV, 32. — [2] Sap. VII, 17. — [3] Eccles. I, s, 3.

jectis: « Quid est, quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil est sub sole novum. » Hæc ille, aliaque his similia de corporea natura philosophatus est. Cæteros etiam Hebræorum sapientes si percurrere volueris, eadem instructos scientia fuisse reperies. Nam de plantis, uti jam ante dixi, deque animantium sive quæ in terra, sive quæ in aquis degunt, ac de ipsarum etiam volucrum natura plurima docuerunt. Imo de cœli quoque sideribus disputarunt, cum et Ursæ, et Pleiadum, et Orionis, et Arcturi, quem Arctophylacem, quasi Ursæ custodem, et Booten Græci vocare solent, crebra in eorum scriptis mentio habeatur. Quin etiam de orbis molitione, deque universi conversione ac mutatione, de animi excellentia, de omnium ratione præditorum, seu quæ videtur, seu quæ non videtur, naturæ procreatione, de providentia rerum universitatem complexa, atquè ante hæc omnia de principe rerum omnium causa, necnon de secundo illarum principio, cæterisque omnibus, quæ sola mente percipiuntur, egregias inprimis et accuratas disputationes habuere. Ita profecto, citra omne aberrandi periculum, id pronunciare liceat, qui e Græcis postea in scrutanda rerum istarum natura versati sunt, eos, utpote juniores, priscorum illorum vestigiis institisse. Atque hæc a nobis de universi apud Hebræos Physiologia dicta sufficiant. Cæterum illi, cum duo tractationis hujus capita statuerent, alterum illud, quod res sensibus objectas complectitur, non subtiliter et enucleate vulgo explicandum, nec singularum naturæ causas plebeiæ multitudini aperiendas putaverunt, nisi quantum necesse erat, ut omnes intelligerent, universum hoc neque per sese, neque casu ac temere, fortuito quodam impetu extitisse: at summi Moderatoris Dei ratione, et infinitæ Sapientiæ numine gubernari. Res autem illas quod attinet, quæ sola mente capiuntur, cum ejusmodi

aliquas esse, tum illarum quoque gradum, vim, atque discrimen non modo sacræ passim litteræ docuerunt, sed etiam ea promiscue semper omnibus audire licuit, quantum iis quidem nota esse debuerunt, qui pietatem profitentur, ut castigatioris et honestioris vitæ rationes intelligant. Sed tamen altiorem illum occultioremque sensum, quem includunt, iis duntaxat, qui ejus meminisse possent, sub arcanis verborum ac sententiarum involucris, quærendum discendumque reliquerunt. Atque hic operæ pretium fuerit, pauca quædam vel informandæ rei gratia, de hoc etiam altero genere disserere, quamque in eodem Hebræis affinia similiter ac genuina Plato senserit, demonstrare.

CAPUT VIII.

De rerum spiritalium Physiologia.

Enimvero Platonem illum, quem tantopere omnes admirantur, in hac quoque rerum spiritalium et incorporearum doctrina et ratione explicanda, non modo sapientissimum Mosem, verum etiam alios Hebræorum Prophetas, secutum esse, vel ex ipsis ejus verbis manifeste constat: sive eam fama et auditione acceperit, cum certum sit, apud Ægyptios tunc temporis illum degisse, cum Hebræi patria secundo pulsi, Persis dominantibus, in Ægypto versarentur; sive per sese propriam rerum naturam rimatus, sive quocunque modo in eam divinitus cognitionem perductus fuerit. « Deus enim, *inquit Apostolus,* ipsis ma-

nifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ipsa quoque ejus sempiterna virtus atque divinitas, ut sint inexcusabiles. » Tu vero facile hujus rei veritatem ex sequentibus intelligas.

CAPUT IX.

—

De ente, ex Mosis Platonisque doctrina.

Ejusmodi oraculum Moses sacris in litteris ex persona Dei pronunciat : « Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos[1]. » Atque ita Deum unum ex omnibus vere esse, ac genus hoc nominis in eum proprie solum apteque convenire, declarat. Similiter de rerum quæ sensu percipiuntur, quæque corpore præditæ sunt, ortu simul atque interitu Salomon ita loquitur : *Quid est, quod fuit? Ipsum quod futurum est. Nihil sub sole novum. Nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est ; jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*[2]. Iidem nobis consequenter id omne quod est, in duo genera partiuntur, spiritale, sensuque perceptum : et spiritalia quidem corpore libera, sed a natura cum instructa ratione, tum interitus ac mortis expertia esse statuunt ; contra vero sensibus obvia, in fluxu corruptione, atque in assidua naturæ suæ mutatione versari. At universis unum ad principium caputque revocatis,

[1] Rom., I, 26. — [2] Exod., III, 14. — [3] Eccl. I.

unum esse duntaxat quod neque ortum habuerit, et proprie solum vereque sit, idemque omnium omnino, seu corpore careant, seu cum eo conjuncta sint, causam atque principium esse decernunt. Jam vide tu mihi, quo pacto ex Hebræorum litteris non sententia modo, sed ipsis etiam vocibus verbisque derasis, hoc sibi Plato dogma vindicet, uberius paulo rem ita declarans. « Quid illud est, quod semper »est, nec tamen ortum ullum habet? Quid illud contra, »quod semper nascitur, et nunquam est? Prius illud qui»dem quod semper atque eodem modo est, ab sola intelli»gentia cum ratione percipitur. Alterum hoc, quod oritur »simul et occidit, neque unquam vere est, in ea duntaxat, »quam sensus ab omni ratione vacuus efficit, opinione ver»satur. » Quid? an non illud Mosis oraculum, *Ego sum qui sum*, egregius Plato manifeste repræsentat, dum suis ipsum ita verbis exprimit: « Quid illud est, quod semper est, nec »tamen ortum ullum habet? » Quod etiam candidius et apertius illustravit, dum ait, aliud quod sit, esse nihil, nisi quod non corporis oculis videatur, sed mente sola capiatur. Nam ubi quæsivit, quid sit illud, quod est; ita respondet ipse sibi; Nimirum illud, quod ab sola intelligentia percipitur. Similiter, alterum hoc Salomonis: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est:* verbis pene totidem interpretatur, dum ait: « Id autem quod oritur simul et »occidit, neque unquam vere est, in ea duntaxat, quam »sensus ab omni ratione vacuus efficit, opinione versatur.» Quibus etiam quæ sequuntur, adjungit. « Quippe, tem»poris enim, *inquit*, partes istæ sunt, *erat*, atque *erit*: »quas imprudentes simpiternæ etiam naturæ injuria tribui»mus. Vulgo enim ita loquimur, *erat*, *est*, *erit*: cum tamen »ei solum, *est*, proprie vereque conveniat. *Erat*, autem, »vel, *erit*, de ortu, qui aliquo tempore fiat, pronuntiare

» decet, quod utraque voce motus aliquis significetur. At » quod eodem se modo semper ac citra motum ullum habeat, » id propter ipsum tempus neque vetustius unquam, neque » recentius fieri potest : imo neque factum esse aliquando, » neque nunc primum extitisse, neque omnino futurum » esse, nec eorum aliud quicquam subire, quæ ipsemet » ortus iis, quæ sensuum in certitudine jactantur, adjun- » xit : cum ista formæ quædam sint partesque temporis, » quod æternitatem imitetur quidem, sed tamen certa » quadam numerorum conversione volvatur. Quo etiam » ista pertinent, quod factum sit, id esse factum : quod fiat, » id esse quod fit : denique quod futurum sit, futurum id » esse. » Ac ne quis Philosophi verba in alienum me sensum torquere criminetur, eos ipsos commentarios, quibus illorum sententia declaratur, proferre juvat. Cum autem hoc in interpretandi genere plerique versati sint, mihi quidem satis hoc loco fuerit, Numenii Pythagorici, cujus percelebre nomen est, ipsissima quibus secundo de Bono utitur, verba proferre.

CAPUT X.

Ex libro secundo Numenii Pythagorici de Bono.

« Age vero, *inquit ille*, atque ad illud, quod est, quan- » tum licet, aspiremus : omninoque pronuntiemus, quod » est, id neque fuisse unquam, neque unquam futurum esse, » at certo duntaxat præsentique tempore semper esse : quod

» sane tempus hoc modo præsens, si quis æternitatem di-
» cere voluerit, me auctore quidem id faciat. At vero tem-
» pus præteritum ejusmodi nos existimare decet, quod jam
» prorsus aufugerit, atque ita evanuerit, ut penitus esse de-
» sierit : futurum autem, quod nondum sit, tametsi ut sit
» aliquando, habere posse dicatur. Minus ergo consentanee
» fecerit, qui, quod est, idipsum uno eodemque modo, vel
» absolute non esse, vel non amplius, vel nondum esse sta-
» tuerit. Qui enim sic loquatur, is rem, quæ nunquam plane
» fieri possit, loquatur, idem esse simul ac non esse. Quippe,
» hoc si semel verum esse dabitur, ægre sane admodum aliud
» quidvis esse poterit, ubi id ipsum, quod est, etiam qua tale
» est, nullum erit. Quod enim est, id sempiternum est, atque
» eodem sese modo constanter habet; non autem vel ita fuit, ut
» deinde interierit, vel crevit modo, modo decrevit, vel majus
» nondum aut minus evasit. Præterea nec alio quovis motus
» genere, nec loco tenus unquam movebitur. Fas enim uti-
» que non est, uti quod vere est, idem retrorsum vel antror-
» sum; sursum aut deorsum; dextrorsum vel sinistrorsum
» moveri omnino transferrive possit : ac ne circa sui quidem
» ipsius medium movebitur; sed hærebit potius, et immo-
» tum atque inconcussum per sese semper, eademque ra-
» tione consistet. » Idemque nonnullis interjectis, deinceps
ita prosequitur : « Atque hæc muniendæ viæ gratia mihi
» dicta sunto. Jam vero simulatione omni posita, nosse me
» incorporei nomen ingenue profitebor; cum id nunc qui-
» dem pronunciari jucundius futurum videatur, quam si-
» leri. Et quidem illud ipsum, quo de jampridem quæri-
» tur, ei nomen esse contendo. Nec rideat his quisquam,
» dum audit proprium incorporei nomen, substantiam, at-
» que, id quod est, abs me constitui. Nominis quippe hujus
» eam esse causam intelligat, quod neque ortum habuerit,
» neque interiturum sit : imo nec aliud prorsus ullum seu

» motus, seu mutationis, ejusque vel melioris, vel dete-
» rioris genus aliquando subiturum : sed omnino simplex
» et immutabile, adeoque in eadem semper naturæ suæ ra-
» tione persistat, quod ab illa nec suapte sponte, nec aliena
» vi ac necessitate discedat. Et sane Plato ipsemet in Cra-
» tylo, nomina ex propria quadam rerum similitudine im-
» posita esse docet. Maneat igitur, et tanquam verum su-
» matur, incorporeum esse id, quod est. » Quibus paulo post
iterum ista subjungit. « Id quod est, incorporeum, idem-
» que sola mente perceptum esse dicebant. Atque hæc sunt,
» quæ tum disputata fuisse memini. Mihi vero, si quis illam
» Platonis orationem requirat, hunc ipsi laborem allevare
» ac mollire placet; si prius hoc monuero, quæ loco illo
» disputantur, ea si minus ad Platonis dogmata pertineant,
» alteri certe cuipiam, sed excellenti viro, summaque phi-
» losophandi vi prædito assignanda esse, cujus modi Pytha-
» goram fuisse dixeris. Sic igitur Plato, nam verborum me-
» minisse conandum est. Quid illud est, inquit, quod sem-
» per est? nec tamen ortum habet ullum? Quid illud con-
» tra, quod oritur, et nunquam est? Prius illud quidem ab
» sola intelligentia cum ratione percipitur : Alterum hoc,
» quod oritur simul et occidit, neque unquam vere est, in
» ea duntaxat, quam sensus ab omni ratione vacuus efficit,
» opinione versatur. Quærit Plato, quid illud sit, quod est;
» id sine dubio carere ortu statuens, quippe ortum in eo,
» quod est, locum habere negat : mutaretur enim alioqui :
» si autem mutaretur, sempiternum id non esset. » Inde ali-
quantum progressus hæc addit. « Si quod est, id omnino
» sempiternum et immutabile est, nec ab sese ulla un-
» quam varietate discedit, sed in una semper eademque
» ratione permanet, illud unum profecto sit oportet, quod
» intelligentia cum ratione capiatur. Contra vero, si corpus
» fluit, et repentina quadam mutatione abripitur, evanescit

» illud quidem, proindeque nullum est. Quare nihil admodum ille desipiat, qui corpus definiri non posse dixerit, sed ejusmodi esse, quod in sola, ut ait Plato, opinione versetur, dum oritur simul, et occidit, neque unquam vere est. » Hæc Numenius, quibus non Platonis modo, sed etiam longe antiquioris Platone Mosis doctrinam illustravit. Itaque merito sane, dictum illud hanc in rem celebre circumfertur : Quid enim aliud Plato, est, quam Moses attice loquens? Sed tamen vide mihi sis, num ejusdem sententiæ vim uberius adhuc Plutarchus aperiens, cum laudata superiorum philosophorum oratione, et Hebræorum simul theologia variis passim in locis explicata consentiat : dum, modo ista Deo verba tribuuntur, « quoniam » ego Dominus Deus vester, et non mutor : » modo in eundem Propheta respiciens, ita pronuntiat. « Visibilia » omnia transibunt et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, » et anni tui non deficient. » Vide, inquam, num proposita veluti questione, cum ejus qui sic apud Mosem loquebatur, « Ego sum qui sum, » et rursus, « Ego Dominus Deus » vester et non mutor : » tum etiam alterius, qui Deum ipsum ita compellabat, « tu autem idem ipse es, » mentem atque sententiam Plutarchus in suo de syllaba, Εἶ (Es) quæ Delphico templo inscripta est opusculo, interpretari velle videatur his verbis.

Malach., III, 6. Ps. CI, 28.

CAPUT XI.

Ex Plutarchi opusculo, de syllaba delphico templo inscripta.

Equidem neque numerum, neque ordinem, neque vin-»culum, neque aliud quolibet dimitiatæ particulæ genus »ea syllaba significari existimo. Est omnino Dei perfectum »ex sese integrumque nomen, quod ei, a quo pronuntia-»tur, una cum voce ipsum continuo potestatis divinæ sen-»sum et cogitationem injiciat. Nam cum unumquemque »nostrum, qui eo accedimus, hac veluti Deus salutatione »compellat, Nosce te ipsum, quod quidem nihilominus »sonat, quam Salve : tum vero nos, resalutandi Numinis »gratia, respondemus Eἶ : (Es) quasi veram ac propriam, »adeoque solam eique soli convenientem hanc a nobis ap-»pellationem tribui fateamur. Nos enim vere nullo modo »sumus : sed omnis omnino natura mortalis, in quodam »interitus ortusque medio constituta, umbram sui dunta-»xat aliquam, exilemque ac lubricam opinionem ostendit : »quam si incumbente in eam animo comprehendere volue-»ris, tum vero, quemadmodum aquam si manu vehemen-»tius retinere coneris, dum premis, dum in unum cogis, »effluit illa penitusque dilabitur. Sic ratio, dum eorum, »quæ varios subinde casus ac mutationes subeunt, illus-»trem illam, quæ sibi objiciatur, speciem propius insequi-»tur, aberrat ac luditur, quod partim in id, quod oritur,

» partim in idquod interit, sic incurrat, nihil ut quòd maneat,
» quodque vere sit comprehendere omnino possit. Nam ut
» eumdem fluvium, quod Heraclitus dicere solebat, bis nemo
» subire potest, ita mortalem naturam eodem in statu hæren-
» tem nemo bis attingat, sed repentino mutationis impetu
» dissipatur illico, rursumque colligitur; vel potius, ne rur-
» sum quidem aut postea, sed existit simul ac desinit, accedit
» simul simulque discedit. Ita quæ pars illius nascitur, ea
» nunquam, ut perfecte sit, assequitur, quod ortus ille neque
» unquam desinat, neque consistat usquam, sed jam inde
» ab semine, fœtum inchoatum, mox infantem, puerum
» inde, inde adolescentem, tum juvenem, senem, vetu-
» lum, continua mutatione fingit, ac priores ortus ætates-
» que delet successione novarum. At nos ridicule sane fa-
» cimus, qui mortem unam timeamus, jam mortui toties,
» totiesque morientes. Nec enim modo, quod Heraclitus di-
» cebat, ignis interitus, aeris ortus est, et aeris interitus,
» aquæ vicissim ortus; verum id in nobis etiam ipsis longe
» illustrius videre est. Succedente sene vir extinguitur, ut
» vir juvene, juvenis puero, puer infante extincto succedit :
» imo hesternus in hodiernum interiit, ut in crastinum in-
» terit hodiernus. Manet autem nemo, nemo unus est, sed
» omnino multi efficimur dum circa unum aliquod simula-
» crum, exemplarque commune volutatur assidue labitur-
» que materia. Enimvero si iidem manemus, quî tandem
» alia nobis modo placent, qui aliis ante ducebamur? quî
» contraria vel amamus aut odimus, vel prædicamus aut
» damnamus? quî denique aliter atque aliter vel loquimur, vel
» afficimur, non speciem, non vultum, non mentem amplius
» eamdem retinentes? Quippe, nec sine mutatione, tanta re-
» rum in quoquam varietas, nec is, qui mutatur, idem esse po-
» test. Idem porro si non est, ne est ipse quidem, sed ex con-
» tinua sui mutatione alter subinde fit ex altero. Sensus inte-

» rea, quoniam ejus, quod est, naturam ignorat, quod esse » adhuc videtur, id est falso opinatur. Ecquid igitur illud » est, quod vere est? Id unum utique, quod sempiternum » est quod ortu interituque caret, cui nullum tempus mu- » tationem affert. Est enim omnino tempus mobile quid- » dam, quodque simul cum mobili materia semper fluens, » ac nihil usquam firmitatis habens, sic tanquam vas ali- » quod interitus ortusque, cogitatur. Cujus profecto vel » appellationes ipsæ, posterius, prius, erit, fuit, illud non » esse palam ac per sese confitentur. Nam quod vel non- » dum habuit ut sit, vel jam esse desiit, id esse, non nisi » stolide absurdeque dicas. Quin etiam illud ipsum, quo » maxime temporis cogitationem sustinemus atque fulci- » mus, dum vel instans, vel præsens, vel nunc dicimus, » soluta dissipataque ratio confestim amittit : perinde enim » in futurum ac præteritum elisa distrahitur, ut in oculo- » rum radiis usu venit, si quis quod sua quadam necessi- » tate disjunctum atque divulsum est, id semel intueri ve- » lit. Jam si eadem ipsa, quæ tempori metienti conveniunt, » ea, quam metitur, natura subeat, ne ipsa quidem aut » manet, aut vere est, sed prout tempori contribuitur, vel » nascitur, vel interit. Quare nihil ejusmodi, quod per » erat, vel erit, significetur, de eo, quod est, dici queat : » cum ista ejusmodi rei, quæ per sese firmiter et constanter » esse non potest, inclinationes quædam, seu trajectiones, » deflexionesque sint. At vero ita plane loquendum, Deus » est, nec tamen ipse tempore ullo est, sed æternitate dun- » taxat, quæ motu omni, omnique tempore simul et incli- » natione caret : cujus nec prius quicquam est, nec quic- » quam posterius, futurum nihil, nihil præteritum, » vetustius nihil, nihilque recentius. Sed qui unus est, » idem uno etiam nunc, sempiterni durationem implet : » adeoque illud unum est, quod vere per sese est, non au-

» tem aut fuit, aut futurum est; quemadmodum nec aliquando cœpit, nec unquam desiturum est. Sic igitur idem ipsum venerando, salutare nos, et appellare decet, aut saltem, his verbis, *Unum es*, id quod priscorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus est, uti nostrum quilibet, qui congeries quædam sumus, ex omni sexcentarum varietatum diversis ex casibus mutationibusque nascentium genere, et quadam veluti universitate conflata atque permixta. Sed unum oportet id esse, quod est, ac vicissim id esse, quod unum est. Nam alterum quid si additur, illud sane tanquam ejus, quod est, differentia, ad ejus, quod nullum est, procreationem declinat. » Hactenus Plutarchus.

CAPUT XII.

—

Deum verbis explicari non posse.

Similiter cum Moses, ac prophetæ Hebræorum universi, naturam divinam verbis explicari non posse doceant, ejusque reconditi nominis quandam veluti notam singulari, quam ipsimet efferre non possint, elementorum informatione repræsentent : vide sis quam belle Plato cum iisdem in magna illa epistola consentiat, dum ita loquitur. « Nec enim, *inquit*, uti reliqua disciplinarum genera solent, ulla penitus exprimi verborum significatione potest; sed tantum, post longam cum eo vitæ consuetudinem, repente lumen aliquod, sic tanquam exiliente igne

» succensum, ubi semel in animum incidit, seipso deinceps alitur et gliscit. » Atque hanc etiam luminis similitudinem, alius Hebræorum prophetarum non nemo jam ante occupaverat, his verbis : « Signatum est super nos » lumen vultus tui, Domine. »[1] Itemque alius : « In lumine » tuo, inquit, videbimus lumen[2]. »

CAPUT XIII.

Unum ac solum esse Deum.

Præterea, cum de universi moderatore Deo, unum Moses Deum illum esse pronunciet, dum ait, « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est[3] : » Plato rursus cum eo conveniens, uti cœlum unum, ita Deum unum esse docens in Timæo, « Rectene igitur, *inquit*, cœlum unum » esse antea statuimus, an vero multos, adeoque infinitos » posuisse præstabat? Unum utique, si modo suum ad » exemplar conformatum illud esse concedimus. Quod » enim animantes omnes intelligentia præditos complec» tatur, id sane nunquam alterum ab altero fuerit. » Eundem porro, ut vulgari Græcorum more plurium numinum appellatione uti soleat, Deum tamen unum agnoscere, vel ex ea, quam ad Dionysium scribit, Epistola quivis intelligat : ubi quas studiose ac serio conscriberet epistolas, ab aliis, quas temere negligenterque profunderet, sua quadam nota secernens; quæ grave nihil ac serium contine-

[1] Psal. IV, 7. — [2] Psal. XXXV, 10. — [3] Deut. VI, 4.

rent, iis Deorum; quæ vero diligenter abs se ac meditato scriberentur, illis Dei sese nomen, proprium veluti characterem, impressurum esse declarat. Sic enim ad verbum scribit. « Propriam quod attinet epistolarum notam, » seu quas serio, dataque opera, seu quas negligentius » scribo, tametsi ejus te meminisse existimo, nunc tamen » illam cogites velim, ac diligenter attendas. Nos enim » permulti, ad sibi scribendum invitant, quibus id facile » negari non possit. Igitur sic habeto: Quam serio scribi» mus, hanc a Deo auspicamur; a Diis vero, quæ minus » habet studii [1]. » Et vero se ab antiquioribus sanam de Deo sententiam hausisse conceptis ipse disertisque verbis in legibus confitetur, dum ait : « Deus certe quidem, uti ex » priscorum doctrina constat, rerum universarum princi» pia, finem mediumque complexus, recta illa, quomodo » natura postulat, obeundo perficit. Eum perpetuo justitia » sequitur, eorum, qui abs divina lege discedunt, ultrix at» que vindex : cui quidem affixus demisso compositoque » animo comitatur, quisquis ad felicitatem aspirat; con» tra vero qui vel superbia intumescens, vel opum vi co» piaque sublatus, vel etiam honorum amplitudine, cor» porisve specie, cum juventutis flore stultitiaque conjuncta » insolescens, animo petulantius exardescit, perinde ut si » nec principe, nec moderatore ullo indigeat, sed potius » ad cæteris imperandum aptus ipsemet idoneusque sit, is » Deo vacuus relinquitur : relictus autem, adhibitis illico » geminæ proterviæ sociis, exultat cuncta miscendo; atque » interim aliquid esse permultis videtur, at modico post » tempore, dignas ab eo pœnas exigente justitia, seipsum, » domumque simul, cum tota funditus civitate perdit [2]. » Hæc Plato. Jam vero, cum illis, « Deus certe quidem re-

[1] Plat. Epist. XIII, ad Dion., IV. — [2] Plat., leg. lib. VI.

» rum universarum principia, finem mediumque com» plexus », hæc tu ex Hebræorum Prophetia compone, « Ego » Deus primus, et novissimus ego sum [1]. » Itemque cum illo, « Recta perficit, » alterum hoc, « Rectitudines novit » vultus ejus [2]. » Deinde cum illis, « Eum perpetuo justitia se» quitur, eorum, qui abs divina lege discedunt, ultrix atque » vindex », ista confer : « Justus Dominus, et justitias di» lexit [3] » ; itemque hæc alia : « Mea est ultio, et ego retri» buam, dicit Dominus [4] : » necnon ista, « Quoniam vindex » Dominus, et retribuet facientibus abundanter super» biam [5]. » Præterea cum illis, « cui quidem affixus demisso » compositoque animo comitatur, quisquis ad felicitatem » aspirat, » congruit sane quod sequitur, « Post Dominum » Deum tuum ambulabis [6]. » Denique cum illis, « At vero su» perbia intumescens, abs Deo vacuus relinquitur, » hæc compone, « Deus superbis resistit, humilibus autem dat » gratiam [7]. » Et, « lætitia impiorum, casus terribilis. [8] » Ac de summo quidem rerum omnium moderatore Deo, hæc de infinitis pauca sufficiant. Deinceps cujusmodi sint, quæ secundum ad principium pertinent, considera.

CAPUT XIV.

De secundo Hebræorum Platonisque Principio.

De primo totius universi principio hæc a nobis pro confessis habeantur. Nunc vero in secundi contemplationem


[1] Isa., XLI, 4. — [2] Psal. X, 8. — [3] Psal. X, 8. — [4] Deut. XXXII, 35. — [5] Psal. XXX, 24. — [6] Deut., XIII, 4. — [7] Jacob, IV, 6. — [8] Job., XX, 5 apud 70.

ingredere, quod Dei Verbum, ac Deum ex Deo esse Hebræorum docent oracula, cujusmodi theologia nos etiam imbuti et informati sumus. Moses certe quidem, Dominos agnoscit prædicatque duos, dum ait : « Et pluit Dominus a » Domino ignem et sulphur, super impiorum civitatem[1] : » Ubi solito more similem apud Hebræos in ambobus litterarum notam expressit, quæ alia non est, quam illa ipsa, quam efferre nequeunt, elementis quatuor informata divini numinis appellatio. Eidem quoque David accinens, alius et ipse Hebræorum propheta simul et rex, ita loquitur : « Dixit Dominus Domino meo, sede » a dextris meis[2] : » Ubi quemadmodum prioris Domini voce Deum maximum, ita posteriori appellatione alterum ab illo declaravit. Quem enim cogitare fas est, qui ab ingenita Divinitate ad ipsius dexteram considendi jus acceperit, præter unum illum, quo de sermo a nobis instituitur? Quem idem ipse propheta, planius adhuc alibi patris Verbum esse pronunciat, dum illum universi Molitorem esse testatur ac ponit, Verbo, *inquiens*, « Domini cœli firmati sunt[3]. » Quin omnium etiam, ejus ope et curatione indigentium, Servatorem illum esse confirmans, « Misit, *inquit*, Verbum suum, et sanavit eos[4]. » Similiter ejusdem filius simul atque successor Salomon, appellatione quidem alia, sensu tamen prorsus eodem, pro Verbo sapientiam nominans, hæc illius ex persona commemorat. « Ego Sa» pientia habitans in consilio, et cognitionem et intelli» gentiam invocavi[5]. » Tum paulo post ita prosequitur. « Do» minus creavit me initium viarum suarum in opera sua. » Ante seculum fundavit me, in principio antequam terram » faceret, antequam montes constitissent. Ante omnes col-

[1] Gen., XIX, 24. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] Psal. XXXII, 6. — [4] Ps. CVI, 20.
[5] Prov. VIII, 12.

»les gignit me. Quando præparabat cœlum, aderam »ipsi [1]. » Ejusdem quoque sunt, quæ sequuntur. « Deus »in sapientia fundavit terram, præparavit cælos in prudentia [2]. » Tum etiam ista, « Omnia occulta et aperta novi : »omnium enim artifex docuit me sapientia. » Quibus sequentia deinceps adjungit, « Quid autem est sapientia et »quomodo genita est ? Ego referam et non abscondam a »vobis sacramenta, sed ab initio nativitatis investigabo [3]. » Deinde rem illustrans uberius, « Est enim, *inquit*, ipsa »spiritus intelligentiæ, sanctus unigenitus, multiplex, sub- »tilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, omnem habens »virtutem, omnia prospiciens, omnes permeans spiritus, »intelligibiles, puros, tenuissimos, omnibus enim mobili- »bus mobilior est sapientia : penetrat autem ac pervadit »omnia propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis »Dei, et emanatio quædam est Omnipotentis gloriæ »sincera. Et ideo nihil inquinatum in ea incurrit. Candor »est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei effi- »cacitatis, et imago bonitatis illius. Attingit autem a fine »usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter [4]. » Hæc Scriptura. Cujus quidem doctrinæ sensum Philo Hebræus exponens, clarius hunc in modum illustriusque repræsentat.

[1] Prov. VIII, 22. — [2] Sapi., VI, 24. — [3] Sapi. VII, 22. — [4] Cap. VIII, 1.



CAPUT XV.

De secundo Principio, Ex Philone.

« Decet enim[1], *inquit*, eos, qui cum scientia societatem » inierunt, ejus quod est, vivendi desiderio teneri; aut, si » minus id possint, ejus saltem imaginis, hoc est sacratis- » simi Verbi. » Quo eodem libro, hæc etiam, quæ sequuntur, habet. » Ut quis minus adhuc filii Dei appellatione dignus » fuerit, se ipsum tamen ad primogenitum illius Verbum, » qui angelorum antiquissimus, ac veluti archangelus plu- » rimis nominibus insignis est, conformare conetur. Ete- » nim Principium, Dei nomen, Verbum, Homo secundum » imaginem, et videns Israel appellatur. Itaque ad celebran- » das eorum virtutes paulo ante permotus sum, qui nos » omnes hominis unius filios esse dicunt. Nam ut nondum » idonei simus, qui pro Dei liberis habeamur; ejus quidem » imaginis sensum omnem superantis, Verbi, inquam, sa- » cratissimi esse possumus. Dei enim imago Verbum hoc » antiquissimum est. » Tum ista subjungit : « Quin etiam ab » socio Mosis aliquo ejusmodi pronunciatum esse oraculum » audivimus, « Ecce homo cui nomen Oriens[2]. » Novum pro- » fecto nomen, si aliquem ex corpore animoque conflatum » intelligas. Sin autem incorporeum illum, ac divinum » exemplar ferentem accipias, tum enimvero, convenien- » tissimum hoc ipsi Orientis nomen impositum esse, facile

[1] Locus hic apud Phi. nunc non legitur. — [2] Zac., VI, 12.

» admodum libenterque fateberis. Eum quippe filium anti
» quissimum edidit universi parens, quem etiam alibi pri
» mogenitum appellavit. Is autem ex Deo genitus, in ar-
» chetypa illius exemplaria respiciendo formavit. » Hacte
nus ex illo Hebræi Philonis opere, cujus hic titulus est,
« Deterius perfectiori semper infestum esse. » Verum cum
jam alibi veterum Hebræorum dogmata pietatem religio
nemque complexa protulerim, tum vero quæ secundum ad
principium pertinent, hoc in Evangelicæ Præparationis
opere, satis abs me pro instituto quidem meo disputata
sunt: ad quæ proinde nunc rei studiosos remittam. Cum
igitur ejusmodi apud Hebræos de secundo rerum universa-
rum principio theologiæ ratio fuerit, tempus jam est, uti
Platonem in (Epimenide) ita disserentem audiamus.

CAPUT XVI.

De secundo Principio, ex Platone.

« Et honores, *inquit*, habeamus, sic tamen, ut non jam
» annum alteri, alteri mensem, dies aliis tribuamus, aut
» ullum omnino tempus, quo suam quilibet conversionem
» absolvat, dum ad mundi, quem Verbum omnium longe
» divinissimum conformavit, perfectionem ipse concurrit.
» Quod quidem Verbum, quisquis beatus est, primum admi-
» rari, tum ejusdem, quatenus mortali naturæ fas est, co-
» gnoscendi amore ac studio teneri solet. « Idem in ea, quam
ad Hermiam, Erastum, et Coriscum scribit epistola,

dogmatis hujus sententiam prudenter admodum inseruit, his verbis. « Epistolam hanc a vobis tribus, *inquit*, simul » convenientibus legi decet: sin autem, a duobus vicissim » unaque conjunctis, idque quam sæpissime fieri poterit. » Præterea pactum inter vos, legemque ratam fixamque ser- » vari, sic ut in æquum bonum juretis: adeoque studio » non illiberali, ac studii sorore doctrina mutuo conjuncti, » in Deum ipsum rerum omnium sive præsentium, sive fu- » turarum præsidem, nec non præsidis etiam principiique » parentem Dominum juretis, quem quidem, si modo recte » philosophabimur, quantum homines beati possunt, clare » omnes planeque cognoscemus. » An non tibi videtur Plato dum hæc ait, Hebræorum dogmatis insistere? Unde enim alioqui in mentem ipsi veniret, Deum alterum ipsomet rerum, quæ procreantur, omnium principio superiorem, imo et universi moderatoris parentem appellare? Unde porro, huic ipsi rerum conditoris parenti, Domini nomen imponere? quæ profecto Græcorum nunquam auribus, imo ne animis quidem mortalium ante se quisquam injecerat. Jam si ad certam et exploratam vel ejus philosophi sententiæ fidem, vel susceptæ disputationis confirmationem. testimoniis insuper aliis opus est: audi præterea, quæ Plotinus in suo de tribus substantiis principii vim et rationem habentibus opere, hæc in verba persequitur.

CAPUT XVII.

—

De secundo Principio, ex Plotino.

» Si quis[1], *inquit*, aspectabilem hunc mundum admiratur, » ejus magnitudinem, speciem, conversionis ordinem sim- » piternæ, quique in eo versantur, Deos, seu videri oculis, » seu non videri possint, genios item, animantes, ac genera » plantarum omnia considerans : idem ejus ad exemplar » longe sane verius cogitatione aspirans, cuncta etiam ibi » spiritalia, atque apud ipsum in propria cogitatione vitaque » sempiterna, simulque mentem illam immutabilem, re- » rumque moderatricem omnium, et superiorem quavis æs- » timatione sapientem contempletur. » Deinde quibusdam interjectis ita prosequitur. » Quis igitur illum condidit? » quis, inquam, simplex ille, tanta multitudine prior, » causa quamobrem ipse et est et multiplex est, ac nume- » rum omnem efficiens? Quippe, numerus enim primus » non est, cum binario prius unum sit, secundusque bina- » rius, atque ab uno procreatus. » Deinde progressus ita subjungit : « Quo igitur modo, quidve nobis circa illud, » dum idem perpetuo manet, cogitandum erit? Nempe » fulgor aliquis circumfusus, ex ipso quidem, sed eodem » persistente manans : cujusmodi solis fuerit clarum hocce » lumen, quod circa illum volvitur, ab eoque continue, » sed tamen eodem manente producitur. Ita plane quidquid

[1] Plot. Ennead. v, lib. 1. c. 4-8.

» est, quamdiu manet, ex propria substantia, necessarium
» aliquid, quod in sese hæreat, ac semper ex sese pendeat,
» foras tamen pro sua cujusque ac præsenti facultate trans-
» mittit, quod ejus ipsius unde profectum est, sui tanquam
» exemplaris imago quædam expressa sit. Et ignis quidem suum
» extra se calorem effundit, nixque suum frigus non intrin-
» secus modo tenet. Verum id potissimum omni odorum ge-
» nere comprobatur. Ex illis enim, quamdiu sunt, efflatur
» circa sese aliquid, quod etiam cum vicinis naturæ suæ vim
» fructumque communicat. Et quoniam omnia, ubi maturita-
» tem perfectionemque suam assequuta sunt, aliud generare
» solent; proinde quod perfectum semper est, idem semper
» ac sempiternum aliquid generat, et ejusmodi aliquid,
» quod se ipso minus sit. Ecquid igitur de perfectissimo
» statuere nos opportet? Ab eo nihil, aut maxima secun-
» dum ipsum omnia proficisci. Atqui res post ipsum ma-
» xima, eademque secunda, mens est. Ipsum enim mens
» intuetur, eoque uno indiget; ipse autem mente nihil pror-
» sus. Et sane si quid ab eo, qui mente melior superiorque
» sit, generatur, id mentem esse necesse est; ea vero rerum
» optima cæterarum est, quod eam cæteræ omnes conse-
» quantur.» Quibus hæc iterum addit. «Porro quisquis gene-
» ravit, quod generatum abs sese est, studio simul, et amore
» prosequitur, maxime vero si soli ambo genitor genitusque
» fuerint. Quod si genitus optimus sit, tum genitor cum eo
» simul ita necessario est, ut hoc tantum, quod alter ab illo
» sit, ab eodem secernatur. Et quidem genitoris imaginem,
» mentem esse dicimus: id enim jam a nobis explicandum illus-
» trius est. » Jam aliquot rursus interjectis. « Quamobrem,
» *inquit*, triplex rerum a Platone gradus ratioque statuitur,
» dum ait, circa universorum Deum, universa; ad secundum,
» circa ea, quæ secundo; tertium circa ea quæ tertio ordine
» continentur, cuncta versari. Addit autem principii patrem

» esse, principii nomine mentem intelligens: Platoni quippe » artifex mens est; idemque animum a mente in cratere » illo procreari docet: cujus principii, hoc est mentis, pa» rens sit bonum illud, quod mentem simul subtantiamque » prætergreditur. Præterea tam id quod est, quam men» tem ipsam, ideæ nomine appellare solet: prorsus ut ex bono » mentem et ideam, ex mente animum existere agnoscat » Plato: neque hoc philosophandi genus insolens sit ac » nuperum, quod jam olim usurpatum fuerit, licet minus » explicate et enucleate traditum: ejusque proinde, quæ nunc » instituuntur, disputationes, interpretes modo quædam sint, » quæ testimoniis ex Platonis ipsius operibus depromptis, » opiniones ejusmodi priscorum hominum fuisse confir» ment. » Atque hæc Plotinus. Sequatur deinde Numenius, qui Platonis quoque doctrinam digerendam enarrandamque suscipiens, in opere suo, de Bono, totidem verbis de secundo principio hunc in modum philosophatur.

CAPUT XVIII.

—

De eodem ex Numenio.

« Quisquis ad Dei tum primi, tum secundi cognitio» nem aspirabit, *inquit*, eum singula prius suo quæque » loco et ordine eleganter apteque dicere; tum ubi sua » cuique sedes ratioque constiterit, apposite de illis et » accomodate disputare oportebit; secus vero minime. » Alioqui, si quis antequam primum illud factum et con» stitutum erit, citius aliquid, quam par esset; avidius-

» que susceperit, suus ei thesaurus cinis futurus est. Ne » idem igitur nobis eveniat, studiose caveamus; Deumque » proinde obtestati, ut nostræ huic disputationi suimet » ipsius canon ac regula esse velit, nobisque cogitationum » thesaurum aperire, ita demum ordiamur. Prius enim fun- » dendæ preces, tum ad explicatam rei tractationem acce- » dendum. Primus ille Deus, ut in se ipso est, ita simplex » omnino est, quod qui secum ipse totus perpetuoque ver- » satur, divulsus esse nunquam distractusque possit, ac se- » cundus quidem tertiusque Deus unus est, idem tamen, » quod simul cum materia, qui binarius quidam est, cir- » cumferatur, ut eam conjungat, ab ea tamen, quæ vim » aliquam concupiscendi habet, assidueque fluit, dividitur. » Quod igitur ad id, quod spiritale est, minus adhærescat, » (alioqui enim ad se ipsum adhæresceret:) dum in con- » templanda materia diligentius occupatur, se ipsum con- » templari non potest. Verum quæ sensibus usurpantur non » attingit tractatque modo, sed etiam in proprias ejus quam » expetit versatque, materiæ conditiones devolvitur. « Idem- que nonnullis interjectis. « Nec enim, *inquit*, primum il- » lum Deum quicquam moliri fas est, sed potius artificis » Dei patrem ipsum habere nos oportet. Et quidem si de » artifice quæstio est, cum illum ante jam extitisse neces- » sario, atque ita demum excellenti quodam singularique » modo agere posse dicimus, commodus hic et opportunus » orationis ingressus jure videatur. At si omisso artifice, » de primo Deo loqui placet, genus id orationis usurpare » religio sit. Quare, quæ dicta sunt, dicta esse nolim: du- » cendam aliunde mihi disputationem hanc statuam. Ac pri- » mum quidem antequam eum in sermonem ingredimur, » id apud nos in confesso maneat, quo de prorsus qui au- » diat, nemo dubitare merito possit, Deum primum et ab » opere omni vacare, et regem esse universi: artificem

» vero Deum, cœlum permeando, cuncta moderari. Et sane » commeatus noster atque apparatus omnis, ipsius beneficium est, dum certa progressione, huc mens ad eos omnes transmittitur, quos in ejus communionem vocari pro » suo cujusque gradu et conditione fas sit. Itaque dum in » quemque nostrûm conversus intuetur Deus, tum enim » vero sua corporibus vita, suus vigor inest, quod immissis divinitus radiis foveantur. Sin autem ad sui ipsius contemplationem oculos revocarit, tum res inferiores extingui » subito, mens autem ipsa non vivere modo, sed etiam » beate admodum vivere. » Hæc Numenius. Quæ cum iis confer amabo, quæ jam olim apud Hebræos his verbis David propheta cecinerat, « Quam magnificata sunt opera tua! omnia in sapientia fecisti. Impleta est terra creatione tua. Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent : aperiente te manum tuam, » omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem, » turbabuntur ; auferes spiritum eorum, et deficient, et in » pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum, et » creabuntur, et renovabis faciem terræ [1]. » Quid enim hæc ab illa philosophi mente discrepant? dum ait, » Dum in » quemque nostrum conversus intuetur Deus, tum enim » vero sua corporibus vita, suus vigor inest, quod immissis divinitus radiis foveantur. Sin autem ad sui ipsius » contemplationem oculos revocarit, tum res inferiores subito extinguantur necesse est. » Rursus cum ita Christus in salutari Evangelio de seipso loquatur, « Ego sum vitis, » Pater meus agricola, vos palmites [2] ; » Vide porro cujusmodi sit Numenii de secundo principio theologia. « Quemmadmodum, *inquit*, agricolam inter et eum, qui plantat, » relatio quædam est, ita plane Deus primus ad artificem

[1] Psal. CIII, 2. — [2] Joan. XV, 5.

» Deum refertur. Nam primus quidem, ut omnis animæ se-» men est, in iis omnibus seminat, quæ ad aliquod sui con-» sortium et communionem vocavit : at vero legislator, » quæ jam ab illo proseminata sunt, eadem inserit ipse ac » dividit, atque in nostrum quemque transplantat. » Itemque postea, dum hac in explicanda quæstione versatur, « Que-» madmodum a primo principio secundum oriatur »; ita scribit : « Quæcunque postquam donata fuerint, sic ad eum, » qui accipit, traducuntur, ut ab eo, qui dederit, sejungan-» tur, exempli gratia curatio, divitiæ, argentum cælatum, » aut signatum : ea mortalia sunt humanaque omnia. At » vero divina ejusmodi sunt, quæ cum aliis ita communi-» cantur, ut neque postquam illuc inde commearunt, inde » tamen abscesserint; ut illuc profecta, sic eum juvent, qui » acceperit, ut ei, qui dederit, nihil incommodent, imo » prosint etiam aliquid, dum eorum, quæ jam ante norat, » ipse recordatur. Cujusmodi sane honesta ac liberalis doc-» trina est, res plane singularis et excellens, quæ cum uti-» litatis accipienti plurimum afferat, ab eo tamen, qui de-» derit, non aufertur. Nam quemadmodum lucernam eam » vides, quæ accensa ab altera fuerit, lumen illud retinere, » quod priori non abstulerit, sed tantum qua instructa ipsa est » materia, alterius igne accensa, acceperit. Ita profecto doc-» trina, ut donetur ab altero, ab altero accipiatur, eadem tamen » et in eo, qui dederit, postea remanet, et in eo tamen, qui » acceperit, ipsa versatur. Cujus sane rei causa, mi hospes, » humani nihil est; sed quod habitus illa naturæque ra-» tio, cujus ambitu scientia continetur, eadem omnino cum » in Deo sit, a quo profecta, tum in me simul ac te, qui » accepimus. Itaque Plato sapientiam ad homines, una cum » igne clarissimo, a Prometheo delatam esse dicebat. » Idem aliquantum progressus subjungit. « Ea sunt, *inquit*, vitæ » genera; primi Dei alterum, alterum secundi. Primus quippe

» Deus unus semper idemque persistit : secundus subinde » moveri solet. Ille spiritalibus duntaxat in rebus, hic in » iis, tam quæ sensus, quam quæ animus percipit, occupa- » tur. Neque vero tibi mirum id videatur; plus etiam admi- » rabilitatis habet, quod audies. Nam loco motus ejus, in » quo secundus versatur, illum ego, qui primi proprius est, » statum ac firmitatem quietis, nativum quendam motum » esse defendo, ex quo hanc in rerum universitatem, mundi » ordo ac sempiterna constantia, salusque derivetur. «Atque iterum libro sexto : « Cum Plato, *inquit*, probe intelligeret, » solum artificem Deum notum hominibus ac perspectum » esse; at primæ illius mentis nomen obscurum penitus » ipsis atque ignotum manere : hoc proinde genus oratio- » nis adhibuit, perinde ut si quis hunc in modum loquere- » tur. Quam vos mentem homines esse conjicitis, ea qui- » dem prima non est : antiquior altera quædam est atque » divinior. » Itemque nonnullis interpositis: « Utique navis gu- » bernator, medio jactatus mari, clavo quidem sublimis in- » sidens, navim gubernaculis regit ; at oculos simul atque » mentem, recta summum in cœlum intentam defixamque » tenet, suaque homini, dum inferius mare trajicit, via » superius per cœlum conficitur. Ita noster hic artifex, ne » aut materiam ipse disjiciat, aut dissipetur ipsa per sese, » eam ubi temperatione colligavit, eidem, perinde ut in » mari summæ navi, sic insidet, ut illam ipsius tempe- » rationem ideis, quibusdam quasi gubernaculis, modere- » tur; cœlique loco superiorem in Deum, suos ipsius » oculos in sese convertentem intuitus, ex contemplatione » judicandi vim, ut ex suopte desiderio propensionem et » impetum accipiat. » Quibus sane philosophi verbis affine illud est Servatoris nostri, « Nihil, *inquit*, potest Filius fa- » cere a semetipso, nisi viderit Patrem facientem[1] ». Verum

[1] Joan. 15, 5.

ex Numenio quidem hac de re modo satis. Qua quidem oratione, ut Platonis vere, non suam ab eo propriamque doctrinam explicari quivis intelligat, necesse nihil est hæc ad ejus verba quicquam adjungere. A Platone vero non hoc primum doctrinæ genus traditum, sed ab iis, qui apud Hebræos sapientia eminebant, occupatum fuisse, manifestis jam argumentis evicimus. Quinetiam Amelius, recentiores inter philosophos clarissimus, idemque Platonicæ philosophiæ studiosissimus, si quisquam alius, æmulator, ingenue certe quidem, nisi quod Hebræum ipse theologum barbarum appellat, ut Joannis Evangelistæ nomen ponere noluerit, ejus tamen orationem suis ipse verbis testimonioque confirmat, dum hunc in modum scribit.

CAPUT XIX.

—

De Joannis apud nos Evangelistæ Theologia, ex Amelio.

« Atque hoc plane Verbum erat, *inquit,* per quod, sempiternum cum esset, existebant omnia, quæ fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur : quod ipsum videlicet barbarus etiam ille, apud Deum in principii gradu ac dignitate constitutum, imo et Deum simul esse pronunciat : per quod facta simpliciter omnia sint, in quo quicquid factum est, et vivens, et vita, et aliquid pro sua quodque natura fuerit : idem porro in corpora delabi tradit, et carne indutum, humanam speciem præ se ferre, sic tamen ut suæ interea naturæ majestatem ostendat ; adeo-

» quæ solutum ubi jam fuerit, Dei locum denuo capessere, » ac Deum prorsus eumdem esse, qui erat, priusquam in » corpus atque in carnem hominemque descenderet. » Hæc ille, quæ profecto non jam subobscure adumbrata, sed palam, nudaque, quod aiunt, fronte, ex illa barbari hominis theologia translata esse nemo non videt. Barbarus autem ille, quem vocat, ecquis porro fuit, nisi Joannes Servatoris nostri Evangelista, qui Hebræus ex Hebræis erat? Cujus hæc est ipso statim Evangelii sui exordio theologia: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. » Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, » quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux ho- » minum. Et Verbum caro factum est, et habitavit in no- » bis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a » Patre[1]. » Sed audi quid alius quoque theologus de eodem, Hebræus et ipse, pronuntiet : « Qui est, *inquit,* ima- » go Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam » in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra; et » omnia per ipsum constituta sunt, et omnia in ipso creata » sunt, cum visibilia, tum invisibilia[2]. » Ac de secundi quidem principii generatione, et communicata cum illo essentia hactenus ea, in quibus Græcorum sapientes cum Hebræorum doctrina consentiunt. Jam ad alia transeamus.

[1] Joan. I. — [2] Coloss. I, 15.

CAPUT XX.

—

De tribus Substantiis principii vim habentibus.

Secundum Patrem ac Filium, tertium ordine Spiritum sanctum Hebræa oracula constituunt, sanctamque ac beatam Trinitatem eo se modo habere pronuntiant, ut abs virtute hac tertia, quicquid genitæ naturæ est superari, eamdemque cum spiritalium, quæ per Filium extitere, naturarum principem, tum ab primo principio tertiam esse velint. Jam vide sis, quemadmodum illa ipsa Plato subobscure licet, in ea, quam ad Dionysium scripsit, epistola, his verbis adumbrarit. « Hæc ænigmatice, *inquit*, aperienda tibi sunt, uti ne, si quid forte mari terrave, epistolæ hujus paginis factum erit intelligere possit, qui legerit. Sic enim se res habet. Circa universarum Regem omnia sunt, ac propter ipsum omnia. Idem bonorum omnium principium est. At circa secundum, ea quæ secundo: circa tertium, ea quæ tertio ordine continentur, cuncta versantur. Quæ quidem hominis animus, in res sibi cognotas intentus, cujusmodi sint, perspecta et explorata habere gestit. » Hæc Platonis verba, qui explicandam philosophi mentem suscepere, ad primum Deum, secundumque principium referunt, nec non ad tertium, quam mundi animam, Deumque tertium ipsi quoque appellare solent. At sanctam illam beatamque Patris, et Filii, et Spiritus sancti Trinitatem, principii, ut jam ante diximus, vim et rationem habere divinæ litteræ definiunt. Sequitur ut boni naturam exquiramus.

CAPUT XXI.

De Natura Boni.

Boni naturam, ipsumque adeo bonum, aliud esse nihil quam Dei naturam atque bonitatem, Scriptura Hebræorum divina pluribus testatur modis; ut cum ait: « Bonus Dominus omnibus sustinentibus eum : animæ quæ requiret » ipsum. » Itemque : « Confitemini Domino quoniam bonus, » quoniam in sæculum misericordia ejus [1]. » Ita Servator ipse noster, ad illum abs quo rogabatur, « Quid me interrogas » de bono? *inquit*: Nemo bonus, nisi solus Deus. [2] » Nunc Platonis in Timæo sententiam accipe. « Dicamus ergo, » quam ob causam, *inquit*, auctor ille molitorque Deus, » rebus ortum dare, atque hoc universum condere statue» rit. Bonus erat; bonus autem nulla unquam ullo in genere » laborat invidia. Cum igitur ea vacaret, omnia sibi quam » simillima esse voluit. » Idem in suis de Rep. libris: « Nun» quid vero ait, cum sol ipse visus non sit, ab eo tamen, » cujus ille causa est, cernitur? Plane, inquit ille. Hunc » igitur habeto, inquam, boni filium abs me vocari, quem » bonum sui similem genuerit: ut quod ipsum in loco spi» ritali est, cum mente, rebusque mente perceptis compa» ratum; id sol in loco aspectabili sit, si cum visu ac rebus » sub visum cadentibus conferetur. » Et paulo post: « Quod » igitur et iis rebus, quæ cognoscuntur, veritatem tribuit,

[1] Psal. 105, 1. — [2] Matt., 19. 17.

»et cognoscendi vim facultatemque suppeditat, id tu boni »ideam esse statuito. Itemque, solem, opinor, iis quæ »videntur, non id modo tribuere dices, ut videri queant, »verum etiam ortum ipsis, incrementa, nutritionemque »largiri, cum tamen ortus ipse non sit : quî enim esse pos- »sit? Ergo similiter res eas, quæ cognoscuntur, a bono di- »ces, non ut cognoscantur modo, sed etiam ut sint, »adeoque propriam essentiæ suæ rationem ab eodem »accipere, tametsi bonum essentia non sit, sed longe supra »essentiam omnem majestate simul ac potestate emineat.» Hæc Plato, quibus clarissime docet, spiritales intelligentesque naturas a bono, (sic autem Deum appellat) non ut cognosci modo possint, verum etiam ut sint, ac propriam essentiæ suæ rationem accipere : bonum tamen ipsum essentiam non esse, sed essentiam omnem majestate simul ac potestate longe multumque superare. Itaque naturas illas nec ejusdem cum illo essentiæ statuit, nec ortu carere arbitratur, quippe quæ ut essent, ac propriam essentiæ suæ rationem, ab eo quod essentia non est, sed majestate ac potestate essentiam omnem longissime prætergreditur, acceperint : quem propterea jure quidem ac merito solum Hebræa oracula Deum prædicant, cum rebus cæteris omnibus essentiæ fons principiumque sit. Illas autem omnes, quibus neque ut sint, neque sua cujusque essentiæ ratio a seipsis inest, imo ne boni quidem naturæ communio, absurde prorsus ac stulte deos esse putaveris, cum ipso quoque bono sua per sese natura spolietur. Hoc enimvero uni duntaxat tribuendum est, præterea nemini, soli, inquam, illi bono, quod majestate simul ac potestate Plato, longe supra essentiam omnem eminere tam egregie præclareque pronuntiat. Cujus iterum sententiam Numenius in suis de Bono libris exponens, hunc in modum philosophatur.

CAPUT XXII.

—

Numenii de Bono verba.

« Corporum, *inquit,* naturam intelligere possumus, dum » partim in aliorum similium conditiones, partim in pro- » prias et insitas obvio cuique notas intuemur. At boni » rationem capere, nullo prorsus modo, neque ullius ex » rei præsentis aspectu, neque ex cujusquam omnino, quæ » sensibus percipiatur, similitudine possumus. Sed necesse » fuerit, perinde ut si quis in edita specula considens, » cymbam medio in mari perexiguam unam ex piscatoriis » illis aliquam, quæ solæ apparere solent, omni comitatu » nudam, alternisque fluctibus inclusam, qua valet acie » prospiciens, conjectu oculorum uno totam pervideat : » ita quemque procul ab omni rerum, quæ sensu capiun- » tur, usu commercioque sejunctum, cum solo bono so- » lum agere, ubi non homo, non anima, non ullum om- » nino corpus occurrat, sed vasta quædam omnique oratione » major, ac plane divina solitudo : in qua boni mores, con- » suetudo, deliciæque versantur; ipsumque adeo bonum, » summa pace, ac placidissima quadam animi tranquillitate » fruens, princeps idem omnibusque propitium, naturæ in- » sidet universæ. Nam qui dum in rebus iis, quæ sensum fe- » riunt, assiduus ac totus est, boni nescio quam velut eo de- » volantis cogitationem informat, ac deinde illius se fami- » liaritate usum homo delicatus ac voluptuarius existimat,

» næ is vehementer errat. Nec enim ipsum facili ac ludicra, » sed plane divina quadam arte industriaque quærendum » est. Quo in genere optimum sane fuerit, omnibus iis, quæ » in sensum cadunt, præteritis, in mathemàticas discipli- » nas animose imprimis atque ardenter incumbere, atque » ubi numerorum discrimina rationesque pervideris tum in » hac demum quæstione, Quid unum et cujusmodi sit, as- » sidua meditatione versari. » Hæc in primo Numenius; at quæ sequuntur, in quinto. « Jam, *inquit*, si tam essentia, » quam idea, spiritale quiddam est, et si utraque antiquio- » rem, imo et causam utriusque mentem esse confitemur, » eam profecto solam bonum esse necesse est. Nam si arti- » fex Deus, generationis principium est. Bonum ipsum pro- » fecto essentiæ principium erit. Enimvero ut artifex ille » Deus cum bono, cujus æmulator est, ita cum essentia » generatio similitudinis atque affinitatis aliquid habet, » quod ejus imago quædam et imitatio sit. Quod si artifex » generationis auctor bonus est, essentiæ quidem artifex » ipsummet per sese bonum erit, atque in essentiæ rationem » et naturam immersum. Nam secundus sane, duplex ipse » cum sit, idemque artifex, primum quidem et ideam ipse » suam et mundum hunc procreat, deinde vero totus in » contemplatione versatur. Quare, ut rerum quatuor no- » mina colligamus, quatuor hæc esse possint, Deus primus, » quod ipsum per sese bonum est; ejusdem imitator ar- » tifex bonus : essentia duplex, primi altera, altera se- » cundi, cujus imitatio est pulcher ille mundus, pulchri » communione exornatus. «Idem rursus in sexto.» Cæterum, » *inquit*, quicquid ejus in communionem vocatur, unius » tantum in sapientiæ vocatur : quippe quod ita demum ex » ipsius boni conjunctione fructum aliquem capere possit, » secut autem nullum. Cujus quidem sapientiæ fons non » nisi penes primum illum esse debuit. Siquidem a quo

» cætera omnia cum perfectionem ipsa suam, tum aliquam » boni rationem accipiunt, eine tantum uni hæc perfecti » boni dignitas insit, præterea dubitare, stolidi profecto » ac vecordis animi fuerit. Si enim secundus non per sese » bonus est, sed tantum primi beneficio; qui tandem fieri » posset, ut cujus unius communione bonus alter iste sit, » is ipse per sese bonum non esset; maxime vero, cum se- » cundus eo dumtaxat qua bonus est perfruatur? Ita sane » Plato, si rem acute dispicias, bonum unum esse argu- » mento confecit. Itemque paulo post. Hoc philosophiæ » genus, alibi quidem aliter informatum Plato ac distinc- » tum reliquit. Nam qui privatim in Timæo, vulgarem » quamdam artifici Deo rationem descripsit, dum ait, Bo- » nus erat; idem in Republica, bonam boni ideam esse » pronuntiat, quippe bonum artificis esse definiens, quem » nonnisi primi illius soliusque boni communione bonum » esse cognovimus. Quemadmodum enim homines hominis » bovisque boves, equi similiter idea conformatos equos » dicimus; ita sane, cum artifex primi boni communione » bonus sit, mens ipsa prima, quæ ipsummet per sese » bonum sit, idea jure dicatur.

CAPUT XIII.

—

De Platonicis Ideis.

« Cum igitur, *inquit* Plato, procreatus ita fuerit (mun- » dus videlicet), sequitur ipsum ad exemplaris alicujus, » quod ratione tantum ac mente capiatur, quodque eo-

» dem se modo semper habeat, imitationem elaboratum » fuisse. Id quod si semel conceditur, mundum etiam hunc » alicujus imaginem esse concedatur, necesse est. Nam » exemplar quidem illud vim spiritalium animantium uni- » versam, uti nos iste mundus, in sese complectitur. » Hæc Plato in Timæo. Cujus ego loci sententiam, ex iis, quæ Didymus de Platonis opinionibus conscripsit, in medium proferam. Sic autem ipse loquitur: « Eorum, *inquit,* » quæ pro naturæ suæ ratione, sensibus usurpantur, certa » quædam in quoque genere ac definito exemplaria, quas » ideas vocabat, Plato constituit, quibus proprie cum » scientiæ, tum definitionis ratio conveniat. Etenim præter » omnes homines, hominem; præter equos, equum; at- » que in universum præter animantes omnes, animantem » quemdam ortu simul interituque carentem animo cogi- » tari. Et quemadmodum unius ejusdemque sigilli ex- » pressæ complures formæ, virique unius imagines per- » multæ esse possunt; ita prorsus ex unaquaque sensu » perceptorum corporum idea, vim naturarum ingentem » existere: verbi causa ex hominum idea, homines uni- » versos; quod ipsum de cæteris omnibus sit pro sua cu- » jusque natura statuendum. Ideam porro sempiternam » quandam essentiam esse vult, quæ rebus singulis causa » principiumque sit, ut qualis ipsa est, tales esse possint. » Ut igitur peculiares ideæ, sensu percepta corpora, sic » tanquam archetypum aliquod antegrediuntur: ita pul- » cherrimam illam atque perfectissimam, quæ cæteras om- » nes sinu suo complectitur, mundi hujus exemplar esse » defendit: quod ejus ad imitationem, auctoris sui molito- » risque Dei providentia conditus, atque omni ex natura- » rum genere conflatus extiterit. » Hactenus ex Didymo. At enimvero totum etiam hoc philosophiæ genus Moses ille sapientissimus occupavit, dum ante solem istum quem

cernimus ante astra cætera, et cœlum aspectabile, quod firmamentum vocat, ante nostram hanc sicciorem terram, ante diem nostrum, nostramque noctem, aliam quandam lucem, ab solis distinctam lumine, atque abs die, nocte, cæterisque omnibus diversam, a summo totius universi moderatore ac molitore Deo factam esse docet. Quinetiam sequuti Mosem Hebræi, solem quemdam esse statuunt, qui corpore careat, nec ab omnibus spectari possit, imo nec sub mortales oculos omnino cadat: ut cum propheta Dei personam sustinens, «Timentibus me, *inquit*, orietur sol justitiæ[1]». Et vero ipsam quoque justitiam, non certam hanc atque singularem, cui locus inter homines est, sed ejus ideam agnoscebat alius ille Hebræorum propheta, qui de Deo loquens, « Quis, » *inquit*, suscitavit ab Oriente justitiam? vocavit eam ante » faciem suam, et procedet quasi in conspectu gentium[2]. » Et divinum quoque Verbum, ortu omni carere, ac nobiscum essentiæ ratione convenire, nostrum hoc commune verbum Hebræorum ex litteris jam ante patefecit. Quo de verbo hæc insuper apud illos habentur, « Qui natus est » nobis sapientia a Deo, justitia, et sanctificatio et re» demptio[3]. » Quippe, vita etiam, et sapientia, et veritas appellatur. Præterea, quæcunque proprio substantiæ more sunt, atque subsistunt, ea quidem omnia Hebræorum monumenta docent (nam in Hebræis ipsi quoque Servatoris nostri apostoli atque discipuli numerantur), simulque vim quamdam naturarum aliarum corporis expertium infinitam, cœlumque ipsum, et quicquid in materiam immersæ fluxæque substantiæ est longissime prætergressam. Quarum quidem imagines in iis, quæ sensu percipiuntur expressas esse volunt, quibus propterea nomen imaginis

[1] Malach. IV, 2. — [2] Isa. XLI, 3 — [3] II Cor. I, 30.

tribuere vulgo solent. Hominem certe quidem spiritalis exemplaris imaginem conceptis verbis appellant, et vitam hominum universam « in imagine pertransire[1] » pronuntiant. Quippe ita Moses, « Et fecit, *inquit*, Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. » Hebræus item alius patrio et ipse ritu philosophans, « Verumtamen, *inquit*, » in imagine pertransit homo[2]. » Sed audi tu vero, quemadmodum sacrarum legum interpretes Mosaicæ doctrinæ sententiam aperiant. Philo sane, Hebræus homo gentis suæ litteris explicans, totidem verbis ita disserit.

CAPUT XXIV.

—

De Mosaicis Ideis, ex Philone.

« Si quis, *inquit ille*, planioribus verbis uti volet, is » aliud nihil mundum illum mente perceptum, quam » Dei mundum hunc re ipsa molientis Verbum esse » dicat. Nec enim aliud est urbs mente percepta, quam » ipsamet architecti ratio, urbem illam quam animo informavit suo, re ipsa condere statuentis. Quæ quidem doctrina Mosis est, non mea. Enimvero, ubi hominis procreationem ipse discribit, progressus aliquantum, ad » imaginem Dei formatum illum fuisse, diserte confitetur. » Quod si pars mundi aliqua, imaginis imago est, idem » profecto de universa hac specie, toto, inquam, mundo » hoc aspectabili statuendum erit, qui quidem imaginis

[1] Gen. I, 27. — [2] Psal. XXXVIII, 7.

» divinæ imitatio est, humana longe major atque per-
» fectior. Ex quo etiam quivis intelligat, archetypum
» illud primariumque sigillum, quem nos mundum mente
» perceptum vocamus, exemplar archetypum ideamque
» idearum, hoc est, ipsummet Dei Verbum esse. Explicat
» enim ipse, quemadmodum in principio fecerit Deus cœ-
» lum et terram; ubi principii nomine, non illud sane, ut
» nonnulli putant, quod ex tempore ducitur intelligit; nec
» enim ante mundum tempus erat, sed aut cum eo simul,
» aut post eum esse cœpit. Cum enim tempus mundi motus
» intervallum quoddam sit, nec motus eo quod movetur
» prior esse queat, sed necessario vel ipso posterior, vel
» cum eo simul existat, tempus etiam utique vel æquale
» mundi, vel etiam eo recentius esse necesse est; nam an-
» tiquius facere velle, cum omni philosophia pugnare est.
» Quod si hoc loco principium illud non intelligit, quod ex
» tempore ducitur, par omnino fuerit quod in numero ver-
» satur accipere, ut illud, « in principio fecit », idem signi-
» ficet, ac primum fecit cœlum. Inde aliquot interjectis,
» primum ergo conditor ille Deus corporis expers cœlum
» creavit, necnon terram invisibilem, aerisque simul
» ideam et vacui. E quibus alterum illud tenebras appel-
» lavit, quod natura sua nigrorem aer; adjunctum ha-
» beat; alterum hoc abyssum, hoc est sine fundo, quod
» altissimum quiddam vacuum sit, atque vastissimum. Tum
» atque similiter ac spiritus expertem corporis substantiam:
» lucis denique septimæ, quæ corpore carens ipsa quoque,
» mente perceptum solis, ac cæterorum omnium clarissi-
» morum siderum, quæ producenda deinde forent, exemplar
» erat. Jam Spiritus atque lucis eximium aliquid ac præci-
» puum esse voluit: nam illum, Dei Spiritum nominavit, quod
» Spiritus vitam, cujus auctor Deus est, maxime foveat;
» hanc vero, lucem, quod excellenti pulchritudine con-

» spicua sit. Tanto enim utique lux illa quæ mente percipi- » tur, aspectabili hac illustrior ac splendidior est, quanto » vel tenebræ solis, vel nox diei, vel sentiendi vis ac facul- » tas, mentis animi totius principis, vel denique corpus » oculorum splendore superatur. Porro lux illa, mente sola, » non visu percepta, Verbi divini, ortus sui interpretis » imaginem expressit, astrum cœlo superius, fonsque si- » derum aspectabilium, quam luminis universitatem rite » ac significanter appelles, unde sol, luna, stellæque cæ- » teræ tam fixæ, quam errantes, pro suis quæque viribus » convenientem splendorem hauriunt, dum sensim hebescit » purus ille simplexque fulgor, ubi cœperit hac spiritalis » in aspectabile conversione mutari. Sincerum quippe nihil » est quod in sensus cadit. Itemque post pauca, Ubi autem, » *inquit*, lux extititisset, tenebræque summotæ loco cessis- » sent, terminis etiam medio intervallo fixis atque constitutis, » vespera nimirum atque diluculo, prout necessaria tempo- » ris mensura postulabat, id perfectum continuo est, quod » ipse diem jure nuncupavit; et diem, non primum, sed uni- » cum, idque propter spiritalis illius, qui adjunctam a na- » tura unitatem habet, mundi solitudinem. Jamque suam » incorporeus ille mundus perfectionem sortitus erat, di- » vino in Verbo situs, cum ejus ad exemplar aspectabilis » iste absolveretur. Cujus partem omnium uti optimam, » ita et principem cœlum, artifex elaboravit, quod vere » idem ac proprie firmamentum, utpote corpore præditum » appellavit. Corpus quippe natura sua firmum est, idem- » que trifariam dividi potest. Nam firmi quidem et corpo- » ris, quænam alia notio est, quam ejus rei, quam omni » ex parte dividere possis? Jure itaque spiritali et corporis » experti, aspectabile hoc et corporeum opponens, firmum » appellavit. » Atque hactenus Philo, cui affinia plane ac ge- mina Clemens stromate sexto hunc in modum persequitur.

CAPUT XXV.

De iisdem, ex Clemente.

«Præterea mundum, *inquit*, mente alterum, alterum »sensu perceptum barbara agnovit philosophia, et illum »quidem archetypum, hunc vero præclari exemplaris »imaginem. Illum item, quod sola mente capiatur, unitati; »hunc, qui in sensum cadit, senario attribuit. Senarium »enim Pythagorei, quod fœcundus is numerus sit, conju- »gium vocarunt. Et quidem in unitate, cœlum illud quod »videri non poterat terramque sanctam, et lucem mente per- »ceptam constituit, « In principio enim, *inquit*, fecit Deus »cœlum et terram; terra autem erat invisibilis. Tum ad- »dit, Et dixit Deus, fiat lux, et facta est lux. » At in ea mun- »di, quæ sub sensum cadit, procreatione, solidum cœlum »molitur; quod autem solidum est, idem quoque sensus »movet: terram item ac lucem aspectabilem. Num tibi »hoc Plato sequutus videtur, dum animantium ideis, eo in »mundo quem sola mens capit, relictis, formas illas quæ »in sensum cadunt, pro spiritalium generum varietate mo- »litur. Enim vero jure sane Moses corpus hoc, quod ter- »restre tabernaculum a Platone dicitur, e terra fictum; »at ratione præditum animum, desuper in faciem a Deo »inspiratum fuisse commemorat. Tum enim principem »illam animi facultatem constitutam esse dicunt, nec aliud »quicquam animi primum in parentem subeuntis ingres- »sum, quam ejusdem per sensus accessionem esse volunt. »Atque hanc esse causam, quam ob rem ad imaginem, et

»similitudinem factus homo dicatur. Imago quippe Dei »est, divinum illud regiumque Verbum, homo patiendi »expers : aut imaginis imago, humana mens est. » Verum sequentia porro audiamus.

CAPUT XXVI.

—

De adversariis Naturis, Hebræorum Platonisque Doctrina.

Quinetiam Hebræorum doctrinam sequutus Plato, non expertes modo corporis benignasque naturas, sed alias etiam hostiles infestasque ponit, Legum decimo hunc in modum scribens : « Numquid animum illum, qui et omnia »moderatur, et in omnibus quæ passim moventur habi»tat, cœlum etiam ipsum regere necessario fatendum erit? »Erit sane? Unum autem, an plures esse statuemus. Plures »equidem vestro ipse loco respondeam. Nos vero ne duo»bus saltem pauciores esse dicamus, beneficum ac beni»gnum alterum, alterum contraria vi et facultate præditum.» Inde longius aliquanto progressus : « Cum enim jam inter »nos convenerit, cœlum permultis quidem partim bonis ple»num esse, partim contrariis, quibuscum tamen genus aliud »nullum misceatur : immortalis profecto pugna sit ista ne»cesse est, et cautionem postulat omnino singularem. At »vero uti nobis dii simul ac dæmones opitulantur, ita nos »quædam vicissim deorum sumus dæmonumque possessio.» Unde ista porro in mentem Platoni venerint, equidem sta-

tuere non possum ; vere tamen hoc pronuntiare possum, sexcentis antequam Plato nasceretur annis , Hebræos homines id etiam doctrinæ genus esse professos. Sane quidem sacris eorum litteris ita scriptum habetur : « Cum die » quadam venissent angeli Dei , ut assisterent coram Deo , » affuit etiam inter eos diabolus , cum circuivisset terram , » et perambulasset eam [1]. » Quo loco, diaboli nomine infesta illa natura, Dei vero angelorum , beneficæ aliæ designantur. Quas quidem meliores naturas , spiritus etiam divinos, Deique administros appellant, dum aiunt: « Qui facis » angelos tuos spiritus, et ministros tuos flammam ignis [2]. » Quinetiam hostilium naturarum pugnam expressit , qui dixit, « Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et car- » nem, sed adversus principes et potestates , adversus mundi » rectores tenebrarum hujus sæculi contra spiritualia nequi- » tiæ in cœlestibus [3]. » Enimvero illud etiam Mosis oraculum plane interpretatus videtur Plato, quod sic habet : « Quando dividebat Altissimus gentes , quando separabat » filios Adam , constituit terminos populorum juxta nume- » rum angelorum Dei [4], » cum universum hominum genus, deorum ac dæmonum possessionem esse pronuntiavit.

[1] Job I. — [2] Psal. CIII , 4. — [3] Eph. VI, 12. — [4] Deut. III , 2-8.

CAPUT XXVII.

De animæ Immortalitate, ex Hebræorun Platonisque doctrina.

Jam vero de immortalitate animæ, gemina quoque Mosis fuit Platonisque sententia. Et ille quidem immortalem esse in homine animi substantiam, prior tum statuit, cum eam Dei imaginem, vel potius divinam ad imaginem factam esse docuit. « Dixit enim Deus, *inquit*, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et » fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum. » Deinde compositum, in corpus hoc aspectabile, et eum qui animo tenus intelligitur oratione distinguens, addit : « Et accepit Deus pulverem ex terra, et formavit Deus » hominem et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, » et factus est homo in animam viventem. » Eumdem præterea omnium quæ in terra sunt principem ac regem creatum fuisse tradit, dum ait, « Et præsint piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis universæ terræ. » Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum[1]. » Quomodo autem aliter Dei imago ac similitudo intelligatur, quam ex divinarum facultatum imitatione, virtutisque similitudine? Quo etiam in genere Plato, perinde ut si Mosis discipulus fuisset, hæc in Alcibiade philosophatur. « Potestne a nobis divinius aliquid in animo statui, quam

[1] Gen. 1, 26.

» id in quo intelligentia sapientiaque versatur? Non potest. » Illa igitur animi facultas, divinæ similis utique fuerit; ac » proinde qui in eam intuebitur, ac simul quicquid divini » est, Deum, inquam, et sapientiam intelliget, is demum se » ipsum una perfectissimeque cognoscet. Enimvero liquet, » opinor, illud; quemadmodum specula quædam sunt, » quæ oculi nostri pupillam perspicuitate, nitore, ac splen- » dore superent, ita Deum illo ipso, quod nostro in animo » perfectissimum est, puriorem et illustriorem esse. Et me- » rito id quidem, o Socrates. Cum igitur in Deum ipsum » intuebimur, tum pulcherrimo sane rerum etiam huma- » narum speculo, ad vim animi perspiciendam utemur, at- » que ita nos ipsos pervidere maxime ac nosse poterimus. » Ita prorsus. » Hæc in Alcibiade. At in dialogo de Anima locum hunc uberius fusiusque tractans, sic loquitur: « Pla- » cetne, inquit Socrates, duo rerum genera statuamus, as- » pectabile unum, alterum non aspectabile? Placet, in- » quit. Et hoc quidem non aspectabile, eodem semper » modo se habere; aspectabile autem illud nunquam? Et » hoc quoque placet, inquit. Age jam, inquit ille, an aliquid » in nobis præter corpus animumque reperias? Nihil vero, » inquit. Utri ergo generi corpus nostrum simile magis » cognatumque dixerimus? Nemini vero, inquit dubium, » quin aspectabili. Quid animus autem? Num aspectabile » quid est, an potius non aspectabile? Non hominibus certe » quidem, o Socrates. Atqui nos sane cum aspectabile aut » non aspectabile diceremus, humanæ naturæ respectu » utrumque dicebamus: tu vero aliamne aliquam cogita- » bas? Equidem humanam quoque solam. Utrum igitur de » animo dicebamus, videri eum posse, an contra? Non » posse, inquit. Esse igitur aliquid non aspectabile? Esse. » animus ergo rei non aspectabili similior est, quam cor- » pus; hoc vero aspectabili similius. Necesse id prorsus, o

» Socrates. Num id præterea dicebamus, animum quoties » ad aliquid investigandum corporis operam interponit, sive » hoc visu fiat, sive auditu, sive alio quocunque sensu (quod » enim sensu percipitur, corporis opera utique percipitur): » toties ejusdem corporis vi, ad ea, quæ nunquam eodem se » modo habent pertrahi, errare simul, perturbari, et quadam » vertigine sic quasi ebriam circumferri, quod rerum istarum » tractationem attigerit? Omnino. At ubi per sese aliquid » ipse contemplatur, tum illuc sane proficiscetur, ubi sese » ad naturæ purissimæ, quæ sempiterna, immortalis, et ra- » tionis semper ejusdem est, societatem adjungit; adeoque » tanquam ipsi cognatus, cum ea versatur assidue, quam- » diu quidem et apud sese est, et ipsi licet : itaque ab » omni errore liberatur, et circa genus illud rerum eodem » se modo semper habet, quod in earum sese commer- » cium dederit. Qui quidem animi sensus prudentia nun- » cupatur. Recte prorsus ac vere loqueris, o Socrates. Tu » ergo cum superioribus, tum iis præterea, quæ a nobis » etiamnum disputantur, adductus, utri tandem ex illo » duplici genere similiorem animum, magisque cognatum » arbitraris? Nemo enim opinor, o Socrates, tardissimus » licet atque pinguissimus, non hac tua argumentatione » convictus agnoscat, in omnibus omnino, naturæ illi si- » miliorem esse animum, quæ eodem se modo semper ha- » beat, quam ei quæ secus. Corpus vero quid? Alteri vi- » delicet. Jam mihi quoque istud attende : dum simul ani- » mus corpusque versantur, huic servitutem et obsequium, » imperium illi atque dominatum, ab ipsamet natura man- » datum esse. Quibus e duobus, utrum porro divinæ, » utrum mortali naturæ affine arbitraris? Num tibi ut impe- » rare ac moderari, divinum, ita obsequi ac servire, mor- » tale tibi quiddam videtur? Videtur sane. Utrius ergo si- » milis animus est? Enimvero, divinæ animum, corpus

» mortali simile esse liquet, o Socrates. Vide igitur, inquit, » o Cebes, num id ex superioribus omnibus consequatur; » divinæ, immortali, spiritali, simplici, indissolubili, unoque semper et eodem se modo habenti naturæ, simillimum esse animum : corpus contra, humanæ, mortali, » mentis experti, multiplici, solutioni obnoxiæ, nec rationem semper eamdem vultumque retinenti, simillimum. » Causæ ne dicimus aliquid, carissime Cebes, quominus » vera ista videantur? Nihil plane. Hæc ergo cum ita sint, » nunquid proprium id corporis est, uti brevi solvatur, » animi contra, vel ut nunquam penitus dissolvi possit, » vel aliud quiddam hujus conditionis affine? Quippe. Jam » intelligis ipse mecum, inquit, ubi homo interierit, corpus hoc ejus aspectabile, quod in re similiter aspectabili » jacet, quæ a nobis cadaver appellatur, cujus id proprium est, ut solvatur, diffluat, evanescat, ejusmodi tamen continuo subire nihil; sed potius satis multo tempore consistere : adeoque si quis formoso et eleganti corpore decesserit, illam ipsam dignitatem ac speciem admodum retinere. Et vero posteaquam exsiccatum fuerit » conditumque corpus, ut qui apud Ægyptios condiri solent, mirum quamdiu totum fere integrumque maneat. » Quin et partes corporis aliquæ, tametsi jam extabuerit, » ossa videlicet, nervi, ac cæteræ id genus omnes, immortales, pene dixerim, supersunt ipsæ tamen : nonne? Sic » est. At vero, animus ille noster (qui videri non potest, » qui in alteram quamdam similemque sedem commigrans, » eamque nobilem simul et castam, atque ab omni conspectu sejunctam apud inferos, ad bonum aliquem haud » dubio sapientemque Deum proficiscitur; quo quidem, si » Deo placuerit, animo isti meo abeundum jamjam erit). » Ille, inquam, noster animus, talis cum sit ab natura » satus, simul atque liberatus corpore fuerit, evanescet

»illico, ac funditus, ut vulgus hominum loquitur, interi»bit? Permultum id quidem abest, mi Cebes, tuque o »Simmia. Imo longe profecto verius quod sequitur. Si pu»rus ex corpore discesserit, nihilque secum ex eo trahens, »quod nullum unquam hac in vita cum eo prudens volens»que commercium habuerit, sed potius illud fugiens in se »ipsum collectum persliterit, quod in eo meditationis ge»nere totus semper esset (quod dum agebat, hoc sane »agebat unum, uti recte philosopharetur, ac re ipsa facile »moriendi rationem secum ipse versaret. Quid enim? an »hæc tibi mortis meditatio non videtur? Ita plane). Ani»mus, inquam, hoc statu si discedet, ad illud continuo sese »recipiet, quod affine sibi est, spectarique non potest, »divinum quiddam utique, immortale simul ac sapiens, »quo cum pervenerit, tum demum felix esse incipit, ab »errore, inscitia, terroribus, insanis amoribus, ac reliqua »malorum humanorum contagione liberatus. Atque, ut »de initiatis dici vulgo solet, in deorum societate dein»ceps totus vere ac perpetuus est. Utrum tibi hoc, mi »Cebes, genus orationis probatur, an aliud placet? Mihi »vero admodum probatur, inquit Cebes, ita me Jupiter »amet. At vero, idem, opinor, si contaminatus ex cor»pore inquinatusque migrabit, quod assiduus cum eo »fuerit, quod ipsum coluerit atque amaverit, ejusque si»mul cupiditatum voluptatumque veneficiis usque adeo »fascinatus captusque fuerit, nihil ut aliud rerum putaret, »quam quod esset corporeum, quod tactu visuque perci»peretur, quod poculentum aut esculentum esset, aut in »rebus venereis locum haberet: quicquid autem sic oculis »obscurum esset, ut ab iis non videretur quidem, sed »mente tamen ac philosophiæ vi caperetur, id totum »odisse, formidare, ac fugere soleret: an tu eum, qui »comparatus ita sit, purum ac sincerum, atque ab omni

» per sese labe sejunctum ex corpore discessurum arbitra-» ris? Nullo modo, inquit ille ». Hactenus Plato. Cujus sententiam uberius exponens tractansque Porphyrius, in eorum primo, quos ad Boethum scribit, ita de animo loquitur.

CAPUT XXVIII.

De eadem, ex Porphyrio.

« Ad immortalitatem animi defendendam, *inquit*, » promptum id firmumque argumentum Platoni visum, » quod ex rei similis ratione duceretur. Nam si naturæ di-» vinæ, quæ et immortalis est, nec videri, aut dissipari, » solvique potest, sed in ipsa integritate sitam habet et » consistentem essentiam, affinis est animus; quid ni ejus » quoque generis ille sit, quod suum illud exemplar imite-» tur? Cum enim, ubi summa duo quædam inter sese op-» poni constat, cujusmodi sunt ratione præditum, et ra-» tionis expers, de tertio aliquo dubitatur, utrius in classe » numeroque ponendum sit: tum is quoque probari solet » demonstrandi modus, quo utri e duobus simile sit osten-» ditur. Sic enim, tametsi prima hominis ætas rationis et » consilii laboret inopia, multique præterea ad ipsam us-» que senectutem in plurimis imprudentia ac temeritate » labantur: quod tamen hominum genus cum ea natura, » cujus integra sinceraque ratio est, multarum similitudi-» num societate conjunctum sit, idem jam inde ab initio ra-tionis compos habitum est. Cum itaque, divinus ille deo-

» rum cœtus, nihil unquam, ut constat, detrimenti capere » possit : terrestre contra genus corruptioni obnoxium esse » nemo non videat : in illa profecto dubitatione, qua non- » nulli hærent, utrum ad genus animum adjungere debeant, » jure Plato investigandam ex similitudine veritatem putavit. » Et quoniam ipse cum ea natura, quæ dissolvi potest, » quæ mente simul ac vita caret, quæque tactu propterea » cæterisque sensibus usurpari solita, nascitur pariter et » extinguitur, affinitatis nihil habet : cum ea vero pluri- » mum, quæ divina et immortalis est, quæ non visu, sed » mente percipitur, quæ vitæ particeps est cognataque ve- » ritati, ac cæteris instructa dotibus, quas in animo phi- » losophus agnoscit : adduci potuit nunquam, ut alias Dei » similitudines in eo reperiri concederet, essentiæ con- » junctionem et affinitatem negaret, cujus unius causa in » cæterorum ornamentorum communionem vocatus esset. » Ut enim quæ Deo agendi vi ituque dissimilia sunt, eadem » continuo ab propria illius essentiæ ratione discedunt ; ita » plane consequens esse, ut quæ res eamdem propemodum, » quam ipse, agendi vim ac rationem habent, jam eæ prius » essentiæ cum eo similitudinem acceperint. Talis enim » essentiæ gratia, tales etiam esse agendi vires, quippe quæ » ab ea manent, et quædam ejus quasi germina sint.» Cujus argumenti vim cum optime Boethus caperet, audi sis quemadmodum ipso statim suæ disputationis exordio persequatur. » Utrum, *inquit*, immortalis sit animus, omni- » que interitu superior, qui rem per sese demonstrare vel- » let, multis cum sane ac longissimis disputationum flexio- » nibus uti oporteret. At vero, ut ex rebus nostris, Deo » similius nihil esse quam animum quivis sibi persuadeat, » non spissam admodum et actuosam contentionem desi- » deret : non modo quod ipse continuum in nobis peren- » nemque motum efficiat, sed etiam ob ejus qua præditus

» est mentis excellentiam. Quod quidem physicus etiam ille
» Crotoniates (Pythagoras) dum videret, animum illico nos-
» trum, immortalis quod esset, quietem omnem, divinorum
» more corporum, suapte natura defigere pronuntiavit. Et
» vero, qui semel animi hujus ideam noverit, ac præsertim
» quanta mens illa nostri moderatrix agitet versetque consi-
» lia, aut cujusmodi sæpissime in nobis impetus efficiat;
» idem profecto similitudinem ejus cum Deo maximam de-
» prehendet. » Tum aliquot interjectis : « Nam si animum,
» *inquit*, naturæ divinæ omnium longe simillimum esse
» constiterit, quorsum alias deinceps, quasi præfandi
» causa, ejus immortalitati probandæ rationes exquiras, ac
» non istam potius unam inter plerasque censeas, ejusmodi
» cum sit, cui non cedere modestiores et æquiores salvo
» suo pudore non possint, quod nimirum Deo similes
» agendi vires accepisset nunquam, nisi esset ipse divinus?
» Nam si mortali corpori, fluxo et sine mente; imo etiam
» vero ex sese cadaveri, quod extinguitur assidue, atque in
» interitus mutationem dilabitur, infossus ille dum est, non
» illud modo fingit atque conservat, sed naturæ quoque
» suæ divinitatem ostendit, tametsi exitialis hujus, quod
» obvium semper habeat, figmenti moles lucem ejus vim-
» que debilitet : quomodo tandem, ubi semel rationem
» illam suam, velut aurum, ab circumfusi luti contagione
» secretam ac sejunctam habuerit, suam per sese formam
» speciemque patefaciet, quæ non affinis tantum Deo sit,
» verum etiam propter hanc cum eo communionem, et
» agendi rationem ei persimilem adhuc retineat, et vero,
» qua sui parte mortalis est, ut sane est, dum mortali cor-
» pore inclusus constrictusque manet, eo tantum non dissol-
» vatur, quod ejus naturæ sit, quæ nullam corruptionem in-
» teritumque patiatur? » Deinde progressus ulterius, « Idem,
» *inquit*, præterea, uti ex sua cum eo qui parte omni ca-

»ret, similitudine, divinus merito videri potest: ita, »quatenus mortalem ad naturam accedit, mortalis existi- »mari. Descendit idem ac vicissim ascendit, mortalibus »simul et immortalibus similis. Etenim homo est, qui far- »cire ventrem, qui jumenti more abdomen saturare con- »tendat : homo item est, qui medio in mari, arte atque in- »dustria naufragii periculis navim eripere, qui alios libe- »rare morbis, qui et verum perspicere, et ejusdem cogno- »scendi rationem aliis viamque munire, qui et igniarium »reperire, et horologium signare, ipsaque adeo summi Arti- »ficis opera æmulari possit. Quippe homo enim septem il- »lorum siderum concursus et conversiones arte repræsen- »tavit, machinis quibusdam res cœlestes imitatus. Ecquid »vero non excogitavit, quo mentem illam suam et divinam, »et Deo persimilem ostenderet? Quibus ille rebus cum »cœlestem plane, divinumque, nec ullatenus mortalem im- »petum atque industriam exereret : vulgo tamen, quod uti »nimium suam illam in res inferiores inclinationem amat, ita »minus eum intueri possit, rebus illis quæ omnium in as- »pectum cadunt, facile persuasit, ut illum in eadem ipse »secum mortalium classe reponeret : præsertim cum inde »quoque, hoc tanquam aliquod improbitatis suæ solatium »habeat, ut dum in illa quam sibi ex rerum exteriorum »specie fingit, suæ cum aliis miseriæ communione acquies- »cit, cunctos homines tam intrinsecus quam extrinsecus »alios aliis similes arbitretur.» Hæc Porphyrius. Quorum omnium doctorem ac magistrum Mosem fuisse constat, qui verbis ante laudatis cum primam illam hominum molitionem exposuit, ea cum Deo similitudine immortalis animi fidem fecit. Sed quoniam ejusmodi est in constituendis incorporeæ, sensumque fugientis naturæ rationibus, Mosem inter Platonemque consensio: reliquas deinceps Platonicæ philosophiæ partes videamus, eumdemque Hebræorum in

omnibus amantem ac studiosum fuisse ostendamus, nisi sicubi dum plus humano sensui, quam ferebat sacrarum litterarum veritas indulgeret, longius exerravit. Id sane liquet, ubicunque verum feliciter attigit, Mosis cum vestigiis institisse : Eumdem, quoties a Mosis ac prophetarum mente discessit, toties disserendo ac ratiocinando titubasse. Atque id suo a nobis loco demonstrabitur. Interea, quando cum illis in spiritalium naturarum tractatione cohærenter loquentem audivimus; sequitur, ut ad earum quæ sensibus usurpantur physiologiam transeuntes, quam ipsi quoque cum Hebræis hoc in genere conveniat, paucis indicemus.



CAPUT XXIX.



Quod mundus ortum habuerit.

Universum hoc a Deo conditum, aliquem ortum habuisse Moses docuit, dum ait ipso statim operis sui vestibulo : « In principio fecit Deus cœlum et terram » : itemque partes ordine singulas exequutus addit, « Hic liber generationis cœli et terræ, quando extitit ille dies, quo fecit Deus et terram[1]. » Audi jam, quam non ab ea sententia Plato deflectat, hunc in modum scribens ipse quoque. « Quidquid fit, id omne vi alicujus principii fieri : prorsus enim evenire non posse, ut quod ortum habet, ortus sui auctorem non habeat. » Quibus ita subdit, « Omne igitur cœlum, sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a

[1] Gen. I.

» nobis nuncupatus sit. De quo id primum consideremus, » quod principio est in omni quæstione considerandum: sem» perne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo » temporis principatu quandoquidem cernitur, et tangitur, » et est undique corporatus. Omnia autem talia sensum mo» vent sensusque moventia quæ sunt, eadem in opinione con» sidunt : quæ ortum habere gignique diximus; nihil autem » gigni posse sine causis. Atque illum quidem quasi Pa» rentem hujus universitatis invenire difficile est, et cum » jam inveniris indicare in vulgus nefas. « Et deinceps. » Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si » modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mun» dum animal esse, idque intelligens, et divina providentia » constitutum. »

CAPUT XXX.

—

De cœli Luminibus.

Moses præterea suum cœli luminibus ortum assignavit his verbis, « Et dixit Deus, fiant luminaria in firmamento » cœli, ut luceant super terram, et sint in signa et tempo» ra, et dies, et annos. Fecitque Deus duo luminaria » magna, et stellas. Et posuit eas in firmamento cœli. » Quam in sententiam Plato, « Ratione igitur, *inquit*, et » mente divina, ad originem temporis curriculum inventum » est solis et lunæ et aliorum quinque astrorum errantium » cognomento, ad temporis numeros distinguendos et con» servandos. » Corpora autem eorum singulorum cum effe» cisset Deus, ea ad conversiones collocavit ». Hic tu mihi

vide sis, num quod Plato dixit; λόγου καὶ διανοίας Θεοῦ, (verbo ac mente divina) ei persimile sit, quod ait Moses, λόγῳ, « verbo Domini cœli firmati sunt, et πνεύματι spiritu » oris ejus omnis virtus eorum. » Quinetiam cum Moyses dixerit, Καὶ ἔθετο. « Et posuit ea in firmamento cœli : Plato » simili quoque voce usus, hoc est, ἔθηκεν, Corpora, *inquit,* » singulorum cum effecisset Deus, ea ad conversiones col» locavit. »

CAPUT XXXI.

—

Omnia Dei opera bona esse.

Cum etiam, ut quodque perfectum erat divinum opus, hanc sacræ litteræ clausulam identidem adjecerint, «Et vidit Deus quod bonum esset : » itemque, ut simul omnia comprehenderent, «Et vidit Deus omnia, et ecce valde bona erant : » Platonem audi sic loquentem, « Atque si bonus » est hic mundus, si bonus ejusdem artifex, profecto spe» ciem æternitatis imitari maluit. » Atque iterum, Nam » uti mundus omnium quæ condita sunt optimus est, ita » Deus artificum omnium optimus. »

CAPUT XXXII.

De Alteratione ac Mutatione mundi.

Mundi mutationem Scriptura Hebræorum universa testatur, ut cum ait, « Et complicabitur sicut liber cœlum[1] : » itemque, « Et erit cœlum novum, et terra nova quæ ego » faciam manere in conspectu meo, dicit Dominus[2]. » Et rursum alibi, « Præterit enim figura mundi hujus[3]. » Quam doctrinam audi quemadmodum Plato commendet in Timæo. « Qua ex conjunctione, *inquit*, cœlum ita aptum est, » ut sub aspectum et tactum cadat. Itaque et ob eam causam, et ab iis rebus numero quatuor mundi est corpus » effectum, ea constructum proportione, qua dixi : ex quo » ipse sese concordi quadam amicitia et caritate complectitur; atque ita apte cohæret, ut dissolvi nullo » modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. » Tum pluribus interjectis. « Tempus, *inquit*, una cum » cœlo factum est, ut quæ simul orta sunt, ea simul » etiam dissolvantur, si quo modo unquam dissolvenda » sunt. Idem ubi dixisset : Hæc vos, qui deorum satu orti » estis, attendite : Quorum operum ego parens, effectorque » sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito. » Subdit, « Quanquam omne colligatum solvi potest. Sed » haud quaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. » Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et in» dissolubiles non potestis : neutiquam tamen dissolvemini, » nec vos ulla mortis fata periment : consilium enim meum,

[1] Is. XXXIV, 4. — [2] Is. LXV, 17. — [3] 1 Cor. 7

» majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa,
» quibus estis, tum cum gignebamini, colligati. » Quin etiam hæc habet in Politico. « Nam universi hujus modo Deus » ipse viam cursumque regit atque versat, modo ipsum di» mittit, ubi circuitus justa convenientis sibi curricula tem» poris impleverint. Idem per sese nonnunquam oppositas » in partes convertitur, utpote quod animal sit, pruden» tiamque ab illo sui molitore sub ortus sui principium ac» ceperit. Atque hæc retrogradi motus ratio, ipsi a natura » vi quadam necessitatis hanc ob causam insita est. Quam » tu causam obsecro? Nimirum ejusdem naturæ rationes » semper easdem retinere, idemque penitus esse, rebus dun» taxat divinissimis convenit, quarum in ordine corporis na» tura non censetur. Illud quidem quod cœlum vulgo mun» dumque nominamus, plurimis et insignibus a conditore » suo muneribus ornatum est : idem tamen, quod in cor» poris etiam communionem vocatum sit, omni prorsus » mutatione carere non potest. Cæterum et eodem in spa» tio, quantum ipsi licet, et rationis prorsus ejusdem motum » semper unum retinet : ac propterea hoc revolutionis ge» nus sortitum est, quod perexiguam ipsi motus sui com» mutationem ac varietatem afferret. Enimvero nihil ad» modum est, quod se ipsum perpetuo versare queat, præ» ter illud quod omnium quæ moventur conversionem re» git. A quo tamen ipso, aliud quid modo hoc, modo con» trario motu agitari, fas utique non fuerit. Quibus ex » omnibus hoc tandem efficitur, ut neque se ipsum perpe» tuo convertat mundus, neque abs Deo totus duplici ea» que contraria conversione moveatur : neque abs diis » etiam duobus, qui voluntate ac sensu alter ab altero dis» sideant, hinc illincque torqueatur, sed potius, quod jam» jam dicebatur, quodque reliquum unum est, ut modo ab » alio regatur, eoque diviniore principio, novamque rursus

» vitam consequatur, ac subinde instauratam a Conditore » immortalitatem accipiat : modo vero, cum relictus sibi fue» rit, per sese feratur ipse, quippe qui eo tum fine sibi permit» tatur, ut multa conversionum millia proprio motu retexat, » cum et mole corporis maxima, et paribus admodum æqua» libusque momentis, et minimo super cardine rapiatur. Habet » vero quicquid adhuc abs te dictum est, speciem probabilita» tis maximam. Nos igitur ex iis quæ disputata sunt, casum » illum, quam admirabilium omnium causam esse diximus, » ratiocinando colligamus. Ille siquidem ipse est. Quis ille » tandem? Quod nimirum universi motus, nunc eam in » partem qua volvitur, nunc in contrariam feratur. Cur au» tem? Hanc enim mutationem, omnium quæ in cœlo contingunt, maximam haberi par est, atque absolutissimam. » Æquum id quidem. Et nos quoque omnes, qui ejus am» bitu inclusi continemur, maximas tum mutationes subire » par est. Nec minus hoc verisimile. Num autem obscu» rum nobis est, ejusmodi animantium esse naturam, quæ » mutationes crebras, easdemque magnas, omnisque simul » generis incumbentes ægre sustineat? Quî tandem obscu» rum id esse possit? Tum igitur et exitia cæterorum ani» mantium maxime consequantur necesse est, et hominum » ipsorum exiguus admodum numerus relinquatur. Et qui» dem ipsis, cum alii plerique extraordinarii novique casus » eveniunt, tum is omnium longe maximus, ac revolutio» nis universi comes, cum statæ huic et quotidianæ con» versioni opposita contigerit. » Idem paulo post, de resurrectione mortuorum, similiter Hebræorum ex sensu ista subjungit.

CAPUT XXXIII.

De Resurrectione mortuorum, ex eodem.

« Tum vero, mi hospes, *inquit*, animantium ortus qui » tandem erat? aut quemadmodum ex aliis alii gignebantur? » Enimvero liquet, o Socrates, eo naturæ statu, alia ex » aliis genita fuisse nulla; sed tum illud fuisse genus, quod » ex terra quondam satum esse perhibetur, ejusdem ex terræ » sinu rursus effusum. Quod quidem principes illi majores » nostri commemorarunt; qui cum sub conversionis hujus » initia sati essent, tempore proxime postremam illam ex- » cipiente vixerunt. Quippe, hujus illos famæ præcones » habuimus, cui fides hodie, temere nimis ac leviter a ple- » risque detrahitur. Nam quod inde consequens est, hoc » imprimis cogitare non oportet. Quod enim puerorum in » naturam senes redeant, huic vero cohærens et affine est, » ut ex mortuis ac terra consepultis, coalescentes denuo » reviviscentesque nonnulli, novam conversionem sequan- » tur, ortu simul ipso contrarium in orbem revoluto: ac » proinde quod hunc in modum ex terra sati necessario pro- » deant, sic etiam nomine simul et communi hominum sermo- » ne appellentur, quotquot ex iis aliam in sortem Deo transcri- » bere non placuit. » Hoc quidem ex superioribus omnino sequitur. Tum progressus etiam ulterius, de supremo mundi fine, Hebræorum doctrinæ gemina, philosophatur hunc in modum.

CAPUT XXXIV.

De supremo mundi Fine.

« Posteaquam enim istorum omnium tempus exactum » esset, cum evenire mutationem oporteret, jamque adeo » terrenum genus universum funditus exhaustum esset; » quippe quod suas omnes animus quilibet generationes » repræsentaverat, cum in terram imperata sibi quisque se- » mina profudisset : tum vero universi Moderator, sic tan- » quam gubernaculi dimisso clavo, sese deinceps ad sui » ipsius contemplationem recepit; fatumque rursus insita- » que cupiditas mundum versare cœpit. Ergo cæteri quo- » que dii, summo cum numine suis quique præfecti regio- » nibus, ubi rem intellexissent, partes continuo curæ suæ » creditas reliquerunt. Itaque mundus nova secum ipse » conversione concurrens, et contrario principii simul ac » finis impetu agitatus, vehementiore sui ipsius concussione, » aliam denuo generi animantium omni pestem creavit. » Inde, justo aliquo temporis intervallo, ab omni jam tu- » multu, perturbatione, et quassatione recreatus, pace ac » tranquillitate succedente, solitum ad cursum illico sese » revocavit, suique pariter ac rerum quas ambitu suo con- » tinebat omnium administrationem et imperium capessit.» Idemque paucis interjectis, « Quamobrem, *inquit*, Deus » ille, qui eum ab initio tam eleganti ordine digesserat, ut » nutantem ipsum fluctuantemque videt, peramanter ca- » vens, ne hac tempestate ac perturbatione dissipatus, im- » mensa quadam dissimilitudinis voragine hauriatur, receptis

» ejus iterum gubernaculis, ægras luxatasque partes ad » institutum abs sese conversionis orbem revocat, atque » omni errore castigato, suum ipse ornatum restituit, et » immortalem eum deinceps, ac senectutis expertem esse » jubet. Atque hic rerum finis omnium appellatus est. »

CAPUT XXXV.

Mortuos quosdam revixisse Plato scribit, cum Hebræis hoc etiam in genere consentiens.

« Atqui nullius, inquam, ista vel numeri sint, vel ma- » gnitudinis, si cum iis quæ post obitum utrumque ma- » nent conferantur. Et ea quidem audire juverit, ut ambo » quicquid hac in narratione fructuosum erit, accurate per- » cipiant. Tu vero, inquit, ea commemores licet, non » quasi multa sint futura, sed tanquam libenter audituro. » Equidem, inquam, tibi non jam Alcini, sed Alcimi, hoc » est fortis viri, eris Armenii filii, genere Pamphyli apo- » logum narrabo. Is enim in bello cum cecidisset, elatis » cæterorum cadaveribus post decimum diem jam corruptis, » solus absque vitio reportatus domum est. Ibi sepeliendus » cum esset, die ab interitu duodecimo, rogo jam imposi- » tus, revixit. Tum vero, quæ visa illic abs se fuerant, ita » complexus est. Animum, simul atque migrasset e cor- » pore, cum aliis plerisque progressum, quemdam in locum » admirabilem una devenisse. Illic terræ hiatus esse duos, » admodumque vicinos, quibus adversi totidem sursum in » cœlo respondeant. Hos inter, judices considere, qui re

» diligenter excussa, probos jubeant dextram illam ac su-
» periorem per cœlum viam inire, notis eorum omnium,
» quæ judicio illo constiterint, ad pectus ante suspensis :
» improbos contra, per sinistram alteram et inferiorem
» amandent, qui criminum suorum notas a tergo deferant
» ipsi quoque. At eosdem sibi, cum jam se propius stitis-
» set, dixisse, ad homines sibi redeundum esse, et quicquid
» ibi vidisset iis nuntiandum. Quare se diligenter omnia
» loci ejus cum audire, tum etiam pervidere jussum. »
Hæc Plato. Quibus etiam affinia Plutarchus in primo de Anima refert hunc in modum.

CAPUT XXXVI.

—

Ex Plutarcho, in re simili.

« Antyllo[1] quidem huic aderamus, *inquit ;* verum id So-
» siteli et Heracleoni narremus. Is nuper cum ægrotaret,
» nullum amplius vitæ vestigium medicis retinere videba-
» tur. At ubi se nonnihil e somno eoque non admodum
» gravi recepisset, nihil omnino quod insaniam argueret,
» aut fecit aut loquutus est : id modo confirmavit, mor-
» tuum se quidem, sed tamen redire jussum esse, adeoque
» hoc se morbo nequaquam penitus moriturum. Enimvero,
» a quibus abductus fuerat, eos domini sui voce graviter
» reprehensos fuisse. Quippe ad Nicandan missi cum fuis-
» sent, ab illis ejus sese loco asportatum. Nicandas autem
» ille Cerdo quidam erat, cæterum ex iis unus, qui pa-

[1] Locus hic apud Plutarchum non nunc habetur.

» læsiram terebant, multisque vulgo familiaris ac notus. » Quare adolescentes jocis hominem et dicteriis incesse- » bant, quasi aufugisset, ac missos inde apparitores cor- » rupisset. Ipse autem conturbari palam, ac vehementius » commoveri, donec tandem febri opressus intra diem ter- » tium repente sublatus est. At hic noster vitæ redditus, » superstes etiamnum feliciter est, hospitum nobis longe sua- » vissimus. » Hæc eo referre volui, quod Hebræorum litteræ mortuos quosdam revixisse testentur. Jam vero, quoniam ipsæ quoque terram quamdam solis iis, quos DEUS amet, pollicentur; quo spectat illud oraculum, « Mites autem » hære ditabunt terram [1]. » Hanc vero cœlestem esse locus ille Pauli declarat, « At illa quæ sursum est Hierusalem, » libera est, quæ est mater nostra [2]. » Eamdem ex lapidibus pretiosis conflatam esse, allegorico sensu propheta signifi- cat, dum ait, « Ecce ego præparabo carbunculum lapidem » tuum, et ponam propugnacula tua jaspim, et fundamenta » tua sapphirum, et ambitum tuum lapides electos [3]. » Vide sis quemadmodum, vel ipsissima, vel prorsus affinia, Plato vera sibi videri in dialogo de Animo profitetur, ubi Socratem his verbis loquentem introducit.

[1] Math. v. — [2] Gal. iv. — [3] Is. liv. 12.

CAPUT XXXVII.

Platonem de Terra illa, quam cœlestem vocant, Hebræis simillima tradidisse.

« Atqui, o Simmia, nec artis Glauci videtur, quæ et »cujus modi ea sint exponere, et quam illa ipsa vera sint »demonstrare, majus aliquid existimo, quam ut eo vis »ejusdem artis aspirat. Imo ne ipse quidem fortasse huic »orationi par esse queam; nec, ut essem, mihi tamen vitæ »satis pro argumenti magnitudine superesse crediderim. »Sed tamen nihil vetat, quo minus illius terræ speciem, »qualem mihi quidem eam esse persuasi, et proprias »ipsius regiones informem. Enimvero, inquit Simmias, »satis id nobis erit, o Socrates. Primum igitur, in- »quit ille, si medio in cœlo rotunda illa terra est, »eam ne corruat, nec aeris, nec alterius cujuscunque »rei tanquam necessario tibicine indigere statuo : ve- »rum ad eam continendam hoc utrumque satis esse, »tum quod cœli æquabilis omni ex parte similitudo sit, »tum quod ipsa terra paribus undique momentis librata »consistat. Res enim æquilibris, cum in similis alicujus »corporis medio sita est, nullam in partem aut magis, aut »minus inclinare potest : sed potius ut sibi semper similis »est, ita nusquam omnino nutat. Atque hoc primum, in- »quit, statuo. Et recte id quidem, ait Simmias. Deinde, »ingens quiddam esse terram existimo, cujus nos exiguam »tantum particulam a Phaside ad columnas Herculis, pe- »rinde ut circa paludem formicæ, aut ranæ circa mare,

» habitemus; locaque similiter id genus alia pleraque, ab
» aliis passim quamplurimis incolantur. Terram enim con-
» cavis ubique partibus, iisque tam magnitudine quam figu-
» ra diversis abundare, in quas unda, caligo, et aer con-
» fluxerint : ipsam vero per se puram puro in cœlo sitam
» esse, quod et astrorum sedes est, et a plerisque omnibus,
» qui his de rebus tractare solent, æther appellatur.
» Fæcem hujus quamdam tria ista esse, ac semper in con-
» cavas terræ altitudines confluere. Nos porro, qui partes
» illas depressiores incolamus, usque adeo falli, ut in sum-
» ma nobis terra degere videamur : perinde ut si quis dum
» in medio pelagi fundo versaretur, se tamen summo in
» æquore degere, dumque per mediam aquam cœlum ac re-
» liqua sidera prospiceret, mare cœlum ipsum esse arbitra-
» retur : cum is quod tardior esset atque infirmior, nunquam
» vel ad summum æquor evassisset, vel emergente ac sublato
» hanc in regionem capite, quantum ea suam illam nitore ac
» pulchritudine superet, suis ipse oculis videre, aut ab alio sal-
» tem qui vidisset, audire potuisset. Nobis enim idem usu ve-
» nire. Quippe dum in concava aliqua terræ parte degimus,
» nobis tamen videri superiores incolere, aerem quoque cœ-
» lum a nobis appellari, quasi astra per ipsum, tanquam per
» verum cœlum decurrerent. Id autem infirmitati cuidam ac
» tarditati assignandum esse quod summum ad aerem evadere
» nequeamus. Eo enim si quis aspiraret, aut novis instructus
» alis evolaret, sublato nonnihil capite, perinde, ut e mari exis-
» tentes aliquando pisces nostra hæc aspiciunt, ita ipsum res
» illas cœlestes conspecturum. Quod si ad contemplationem
» istam natura virium satis haberet, eum intellecturum con-
» tinuo verum illud cœlum esse, veram lucem, veramque
» terram. Enimvero terra hæc nostra, lapides isti quos vi-
» demus, plagæ istæ omnes corruptæ sunt atque corrosæ,
» ut marina omnia salsugine exeduntur, Siquidem nec ullius

»pretii quicquam in mari nascitur, nec fere perfectum
»quicquam eo continetur : cavernæ ibi tantum, arena et
»vasta luti sordiumque congeries, ubicunque terra cum eo
»conjuncta est : quæ profecto ejusmodi sunt, ut ne dicis
»quidem causa cum hac rerum nostrarum specie conferri
»possint. Res autem illæ cœlestes, longe nostris adhuc ex-
»cellentiores utique videantur. Nam si fabulæ locus esse
»debeat, juverit equidem, o Simmia, cujusmodi terra
»illa cœlo proxima sit audiisse. Nos vero, inquit Simmias,
»libenter, o Socrates, fabulam istam audiemus. Primum
»igitur ferunt, mi Simmia, terram illam si quis despiciat,
»sphærarum nostrarum ex coriis duodecim contextarum
»persimilem esse, hoc est variam, coloribusque distinctam;
»quorum speciem aliquam colores isti nostri præ se
»ferant, quibus pictores abutuntur. At vero terram illam
»ex iis universam, longeque adhuc illustrioribus puriori-
»busque constare. Enimvero purpuream hic, et pulchri-
»tudine admirabili conspicuam, auream illic, alibi gypso ac
»nive candidiorem, nec non aliis similiter coloribus, qui
»nostros multum varietate pariter ac nitore superent,
»intertextam videri. Nam concavas etiam ipsius altitudines
»aquæ simul aerisque plenas, speciem ejusmodi coloris
»aliquam ostendere, quæ vel in tanta reliquorum diversi-
»tate refulgeat, itaque unam illius faciem, continuam simul
»et variam apparere. Talis porro cum ea sit, in eadem sa-
»tiva quoque, ut arbores, flores, fructusque nasci consen-
»taneum est : montes præterea, lapidesque similiter, per-
»fectionem quemque suam cum perspicuitate ac suavioribus
»coloribus obtinere. Quorum quidem particulæ tantum ali-
»quæ sint lapilli isti, quos tantopere concupiscimus, sardii
»videlicet, jaspides, smaragdi, aliique id genus. Illic au-
»tem nihil non esse hujusmodi, aliaque adhuc longe pul-
»chriora, cujus rei causam aliam esse nullam, quam quod

» lapides illi puri sint, non autem ut nostri, tabe ac salsu-» gine, aliarumque rerum injuria exesi atque corrupti, quæ » huc confluentes, lapidibus, terræ, ac reliquis tam ani-» mantibus, quam plantis vitia morbosque creant. At vero » terram illam cum his omnibus, tum auro etiam atque ar-» gento, ac cæteris id genus ornatam ac decoratam esse. Et » quoniam ea sint cum nitore singulari, tum ingenti nume-» ro ac magnitudine, adeoque terram occupant universam, » ejus proinde aspectu frui, verum id propriumque beato-» rum spectaculum jure ac merito haberi posse. »

CAPUT XXXVIII.

—

De Judicio, quod mortem excipiat, Platonem Hebræis affinia sensisse.

Postremo, cum Hebræorum litteræ, animos posteaquam e corpore migraverunt, divinum tribunal ac judicium excipere denuntient, cum sexcentis aliis, tum hoc etiam loco, « Judicium, *inquit*, constitutum est, et libri aperti » sunt, et Antiquus dierum sedit. Fluvius ignis volvebatur » in conspectu ejus : decies millies centena millia minis-» trabant ei, et millia millium assistebant coram eo[1]. » Audi nunc Platonem, quemadmodum et divini judicii, et ignei fluminis nominatim meminerit, multasque piorum sedes, et impiorum varia supplicia Hebræorum ex sensu doctrinaque describat. Sic enim in dialogo de Animo loquitur : « Jam tertius, *inquit*, fluvius amborum erumpit e medio,

[1] Dan. VII, 9.

»primumque sub exitum, in vastum quemdam locum
»influit, multo igne conflagrantem, ubi paludem efficit
»mari nostro majorem, et aqua simul ac luto effervescen-
»tem. Inde turbidus in orbem cœnosusque fertur, terræ-
»que circumfusus, cum alio passim, tum ad extremam
»quoque paludem Acherusiam allabitur: sic tamen ut
»nullo modo cum ejus aqua misceatur; sed multo sub ter-
»ram flexu, tandem sese penitiorem in Tartarum exone-
»ret. Atque is est quem Pyriphlegethontem nominant, cu-
»jus particulas ipsi quoque rivi, quaqua terrarum datur,
»expirant. Huic adversus item quartus, primum in locum
»erumpit horribilem, ut aiunt, et squalidum totumque
»colore cæruleo persimili tinctum, vulgo Stygium nomi-
»nant. Is qua sese parte effundit Stygem quoque paludem
»efficit, in quam dum prorumpit, novis ejus aquæ viri-
»bus majorem in modum intumescens, altam sub terram
»subit, ubi longo circuitu adversus Phlegethonti volvitur,
»donec ipsi, altera ex parte, ad Acherusiam paludem oc-
»currat. Idem porro undam quoque suam alii permixtam
»nulli retinens, post multas demum flexiones, sese in
»Tartarum Pyriphlegethonti similiter adversus exonerat.
»Ei, si poetis credimus, Cocyto nomen est. Hoc statu re-
»rum, ut primum eo mortui devenere, quo dæmon quem-
»que rapit, judicium ante omnia subeunt, tum qui bene,
»sancte, justeque vixerunt, tum qui secus. Inde, qui me-
»diam inter utramque vitæ rationem tenuisse videantur,
»ii Acherontem petentes, conscensis illic suis quique ve-
»hiculis, ad paludem usque deferuntur. Ibi degunt ali-
»quamdiu, donec prorsus expiati, pœnisque criminum
»persolutis, quicquid ante peccaverint, absolvuntur: quin
»etiam beneficiorum quoque suorum præmia, pro sua
»quique dignitate ferunt. At qui propter scelerum atro-
»citatem, locum remedio nullum reliquisse videantur, ut-

» pote crebris et immanibus sacrilegiis, aut plurimis cædi-
» bus nefarie et contra leges omnes perpetratis, et aliis
» ejusmodi piaculis obligati : hos vero digna plane sors in
» Tartarum, unde nunquam emergant, præcipites agit.
» Jam quos ea peccasse constiterit, quæ ut curationem
» admittant, gravia tamen per sese sint; ut si adversus pa-
» trem aut matrem indignum quidpiam iracundia stimu-
» lante commiserint, eosque reliqua deinceps vita pœni-
» tuerit; aut si alio quocunque modo cædis humanæ rei
» fuerint : eos quidem in Tartarum cadere necesse est, sed
» tamen exacto anni unius curriculo, eosdem fluctus eji-
» cit, et homicidas quidem cæteros in Cocytum, parricidas
» autem vel matricidas in Pyriphlegethontem. Hi postquam
» ad Acherusiam paludem delati fuerint, tum ingenti cla-
» more appellant, sive quos intefecerint, sive quibus inju-
» riam fecerint, obsecrant deinde atque obtestantur, uti
» se in eam paludem subire, ibique recipi patiantur. Quod
» quidem impetrare si possint, tum eo subeunt, malorum-
» que suorum finem accipiunt. Sin minus, in Tartarum
» indeque rursus in flumina referuntur. Quo supplicii ge-
» nere non ante liberantur, quam eos quibus injuriosi fue-
» rint, exorarint : hæc enim illis a judicibus constitua pœna
» est. Postremo, qui excellenti quadam et eximia vitæ sanc-
» timonia præstitisse videantur, ii demum ex terrenis hisce
» locis quibusdam quasi carceribus educti atque liberati, ac
» sursum in purius aliquod domicilium sedemque transcripti,
» supra terram degunt. Quo etiam ex numero, qui philo-
» sophiæ opera expiati omnino purgatique discesserint, ii
» non modo sine molestiis ævo sempiterno vivunt, sed
» etiam in domicilia longe adhuc nobiliora perveniunt,
» quæ nec verbis describere facile sit, nec per tempus
» commemorare mihi jam liceat. Cæterum videndum nobis
» est, mi Simmia, ut rebus abs me commemoratis adducti,

» virtutem ac prudentiam hac in vita consequi omni contentione studeamus. Dignum enim præmium, et magna » quædam spes ostenditur. » Hactenus Plato. Tu vero cum his illius, « In domicilia longe adhuc nobiliora perveniunt, » quæ nec verbis describere facile sit, nec per tempus mihi jam liceat », conferas velim nostrum illud: « Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in » cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se[1]. » Itemque cum illis pluribus domiciliis, quod habetur in Evangelio, « Multas apud Patrem, iis » qui Deum diligunt, constitutas esse mansiones[2]. » Cum iis quæ de Pyriphlegethonte dicta sunt, sempiternum ignem impiis denuntiatum, juxta illud Hebræi prophetæ, « Quis » annutiabit nobis, quod ignis ardeat? quis annuntiabit vobis locum æternum[3]? » Et rursus, « Vermis eorum non » morietur, et ignis non extinguetur, et erunt in visionem » omni carni[4]. » Quibus etiam vide quam egregie Plato consentiat, dum impios in Tartarum detrudendos affirmans, subjungit, « Unde nunquam emergant. » Itemque pios in beatis quibusdam domiciliis victuros pronuntians, addit, « Penitus, ævoque sempiterno. » Quod autem ait, « sine ullis omnino molestiis, » nostro huic geminum est, « Fugit dolor, et tristitia, et gemitus[5]. » Denique, dum Acherontem illum subeuntes, non simpliciter eo devenire statuit, sed conscenso tantum suo quemque vehiculo: quæ tandem ipse vehicula significare vult, nisi corpora, quibus redditi defunctorum animi, simul cum iis, ut docent Hebræorum litteræ, crucientur? Verum enimvero, cum hic quoque liber justam in magnitudinem excreverit, ad duodecimum Evangelicæ Præparationis volumen transeamus.

[1] I Cor. II, 9. — [2] Joan. XIV, 2. — [3] Is. XXXIII, 34. — [4] Is. LXVI, in fine. — [5] Is. XXXV, 10.

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I.

Hebræos, etiam consentiente Platone, quos instituebant, eos recte, fide quadam disciplinarum, quæ quod imperfectiores adhuc essent, nihil exquireret, informatos voluisse. Ex Legum primo.

Duodecimus hic Præparationis Evangelicæ liber, quæ superiori de Platonis cum Hebræorum doctrina consensione desunt, velut apta quadam et numerosa consonantis lyræ harmonia repræsentabit, initio ex nostræ hujus, quam vulgus hominum criminatur, fidei defensione sumpto. Et Plato quidem primo de Legibus, nostram in rem percommode: « Jure ne, *inquit*, an secus, Lacedæmoniorum et Cretensium rempublicam reprehendere quis possit, alia quæstio est. Mihi quidem magis forte, quam utrique vestrum, quæ a plerisque dicuntur, proferre liceat. Vobis enim, ut civilis admodum sit ac moderata legum universa ratio, hæc sane ex optimis una merito censeatur, Uti ne juniorum quisquam ex legibus sinatur inquirere, quænam bene, quænam secus habeant : sed potius uti una voce omnes, unaque ore cuncta probe, tanquam diis auctoribus instituta esse consentiant : quod

» si quis aliter loquatur, eum ut audientes nullo modo fe-
» rant. Sin autem ex senibus cuipiam in mentem aliquid ve-
» niat, is ut vel cum magistratu, vel cum suis duntaxat
» æqualibus, nemine juniorum audiente, rem communi-
» cet. Optime id quidem, mi hospes. » Verum igitur omnino fuit, Hebræorum Scripturam tanto ante præcipere, uti divinarum litterarum intelligentiam ac disquisitionem fides antecedat, ut dum ait, « Nisi credideritis, non intelligetis[1]. » Itemque, « Credidi, propter quod locutus sum[2]. » Quo quidem nos etiam consilio, quos novissime rerum in nostrarum communionem admisimus, iis tanquam rudioribus adhuc et inchoatis animoque propemodum infantibus, divinæ Scripturæ lectionem simplicius ita tradimus, ut eos simul ad fidem iis quæ proponantur, tanquam Dei verbis habendam adhortemur. At quorum jam robustior mentis habitus, et cana quædam intelligentiæ vis fuerit, iis vero penetrare altius, verborumque sententiam explorare concedimus. Atque hos Hebræi deuterotas, quasi Scripturarum interpretes atque explanatores vocare solebant.

CAPUT II.

Fidem ab ipso quoque Platone virtutum omnium maximam haberi.

« Nos igitur, inquit Plato, eos abs te deinceps, o Tyr-
» tæe, laudari potissimum celebrarique dixerimus, qui ex-
» cellentem quamdam in hostili externoque bello virtutem os-

[1] Is. VII. — [2] Ps. CXV.

» tenderint. Id, opinor, ille concesserit. Quidni enim? » Nos vero, cum præstantes hos esse fateamur, tum eos » qui egregia summæ virtutis maximo in bello documenta » dederint, longe adhuc præstantiores esse defendimus. » Cujus rei testem poetam habemus ipsi quoque, Theo- » gnim illum, Megarensem in Sicilia civem, cujus hoc dis- » tichum est :

» Cyrne, tibi argento fuerit redimendus et auro,
» Cui manat in tristi seditione fides.

» Atque hunc in bello graviore, tanto fere altero illo præs- » tantiorem esse dicimus, quanto excellentior æquitas illa » fuerit, quæ cum temperantia, prudentia, ipsaque adeo » fortitudine conjungetur. Nam qui fidelis ac sanus me- » dia in dissensione persistet, is profecto nullam non virtu- » tem habeat necesse est. At vero mercenarii plerique, » quod ipsum Tyrtæus cecinit, ubi hostilem in regionem » trajecerint, strenue dimicantes libenter in bello moriun- » tur; quorum tamen permulti audaces, injuriosi, contu- » meliosi, atque omnium, si paucissimos excipias, amen- » tissimi sunt. Verum, quo tandem spectat genus hoc ora- » tionis, aut quid efficere ac demonstrare contendit? Illud » nimirum : præ cæteris quidem eum, qui leges hic auctore » Jove condiderit, sed tamen quemlibet etiam alium, qui » modo prodesse vel utcunque volet, aliud omnino nihil in » ferendis legibus, quam virtutem maximam præ oculis ha- » biturum. Est autem hæc virtus, ut Theognis ait, illa du- » rioribus temporibus fidelitas, quam perfectam justitiam » merito nominaris, » Quæ cum salutari Evangelio præclare sane conveniunt, ubi Servator quoque noster prudentiam cum fide conjungens, utraque præditum suis ita verbis commendat ac probat, « Quis putas fidelis servus et pru-

» dens[1] ? » Et rursus, « Euge, serve bone et fidelis, super » pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam[2]. » Quibus quidem manifeste declarat, eam sibi demum probari fidem, non quæ præceps ac temeraria, sed quæ virtutibus maximis conjuncta sit, quales utique prudentiæ ac probitatis nomine intelligit.

CAPUT III.

—

Iis quæ de animo similibusque dicuntur, fidem habendam esse, ex Legum undecimo.

« Mihi quidem opportune videtur, inquit Plato, superio- » ribus a nobis disputationibus constitutum id fuisse, de- » functorum animos, posteaquam ex corpore migraverint, » rerum humanarum curam vi quadam propria suscipere. » Id quod rationibus veris illis quidem, sed longioribus pro- » bari solet. Verum hoc in genere, cum aliis quæ hac de re » non vulgo tantum et passim, sed etiam ex omni memoria » celebrantur, habenda fides ; tum etiam legislatoribus ita » statuentibus, nisi tamen eos amentes omnino fuisse velis. » Hæc Plato. Atqui, Macchabæorum etiam in libro, visus Hieremias dicitur, cum vita jam functus esset, orare pro populo, quasi hominum adhuc in terris degentium saluti prospiceret. Quibus Plato fidem adhibendam esse pronuntiat.

[1] Matt. XIV, 46. — [2] *Id.* XXV, 21.

CAPUT IV.


Fabularum specie, puerorum animos primis præceptionibus informandos, ex secundo de Republica.

« Orationum porro, *inquit idem,* genera duo sunt, » verum et falsum. Ita est. Et utroque puer sic informan- » dus erit, ut initium a falso ducatur. Quid velis equidem » non satis intelligo. Tu vero, inquam, non intelligis fabu- » las a nobis primum narrari pueris solere : quod sane ge- » nus, ut universe loquar, in falso prope versatur, tametsi » huic veri etiam aliquid aspersum est. Pueros autem in » fabulis prius, quam in gymnasiis exercemus. Sane. » Ita Plato. Similiter Hebræis id moris est, ut hominibus animo adhuc infantibus, divinæ Scripturæ historias, fabularum quarumdam instar, simplicius nudiusque tradant : iis vero, quibus mentis habitus fuerit exercitatione robustior, altius illud doctrinæque plenum contemplationis genus tractare concedunt, quod illa, quam vocant, deuterosi, et illustriore quadam ignotorum vulgo sensorum explicatione continetur.

CAPUT V.

Fabulas pueris non perniciosas ullas, sed tantum utiles occinendas esse.

«Nosti vero, inquit Plato, maximi momenti esse operis »cujusque principium, ac præsertim in juvene quolibet »tenero adhuc atque flexibili : tum enim ea maxime, »quam impressam cuique volueris, fingitur induiturque »forma. Prorsus id quidem. An igitur pueros, omnes pro- »miscue fabulas, et a quocunque fictas audire, simulque »animo contrarias ut plurimum iis opiniones, quas ubi »maturiores fuerint, habere illos velimus, temere ac leviter »imbibere patiemur? id vero nullatenus patiemur. Pri- »mum ergo nobis, ut video, in illos fabularum artifices »diligenter inquirendum erit, ut quas ipsi recte et cum »dignitate confinxerint, seligamus ac probemus; quas mi- »nus honeste repudiemus : tum probatæ quæ fuerint, apud »nutrices ac parentes efficiendum erit, ut eas pueris su- »binde narrent, quibus eorum animos multo magis fingant, »quam corpora manibus. Quas autem illis nunc occinunt, »eæ maximam sane partem auferendæ. » Et hoc ante Platonem Hebræis observatum. Apud quos, homines divino afflati Spiritu, cujus est spirituum varietatem discernere, quæ recte ac Spiritus sancti magisterio, tam dicta quam scripta essent, auctoritate sua comprobabant; quæ secus, abjudicabant, quales erant pseudoprophetarum voces. Imo parentes etiam atque nutritii, tenerioribus adhuc pueris, utilissimas divinis e litteris narrationes, perinde



ut fabulas quasdam occinere consueverant, quibus ei pietati ac religioni, quam viros deinceps profiteri oporteret, viam munirent.

CAPUT VI.

Fidem a Platone non solum voce tenus probari, verum etiam eum profiteri, ex animo se rebus iis credere, quibus nos ipsi credimus. Ex Gorgia.

« Accipe jam, (inquit idem Plato) egregiam, quod » aiunt, præclaramque narrationem. Tibi, opinor, fabula » videbitur; at eam pro narratione habeo : quæ enim com- » memoraturus tibi sum, ea tanquam vera commemorabo. » Tum paucis interjectis, « Qui juste sancteque vixisset, eum » post obitum ad beatorum insulas profectum, in omni fe- » licitate degere, malis omnibus liberatum : qui vero sce- » lerate et impie, hunc in supplicii pœnarumque carcerem, » quem Tartarum appellent, descendere. » Itemque paulo post, « Deinde toto illo apparatu nudatos, judicium subire » oportebit, utpote quod jam mortui subituri sint. Quine- » tiam judex ipse nudus sit, mortuusque necesse est, qui » animum cujusque repentina morte sublati animo ipso » pervideat, omni propinquorum suorum comitatu, ac tota » illa quam in terris ante reliquerit, pompa spoliatus, ut » sua judicio integritas æquitasque constet. » Quibus hæc subjungit, « Hæc ego, mi Callicles, quæ auditione accepi, » vera esse credo. Quibus positis ita philosophari soleo. » Mors, ut mihi quidem videtur, aliud nihil est, quam dua- » rum abs sese rerum, hoc est animi corporisque disjunctio. » Postquam, pars utraque nihilominus, quam dum homo vi-

» veret, habitum quæque suum retinet. Et corpus quidem na-
» turæ suæ conditionem, et illustria non adhibiti modo cultus,
» sed etiam morborum dolorumque vestigia repræsentat. Cu-
» jus enim viventis olim ingens, sive naturæ, sive alimenti,
» sive utriusque vi corpus fuerit, ejus quoque jam defuncti
» umbra ingens futura est, crassiorque, si crassius, itaque
» de cæteris. Præterea qui comam nutriebat ornabatque stu-
» diosius, comata hunc umbra manet. Cui verberoni plaga-
» rum vibices aut flagellis, aut aliis vulneribus inusti, vivo
» in corpore residebant, eosdem similiter extincti umbra
» præ se fert. Si vivo cuipiam vel confracta, vel distorta
» membra fuerant, id ipsum defunctus ostendit. Atque ut
» rem verbo absolvam, ut corpore quisque, dum viveret,
» comparatus fuit, ita post obitum vel omnino, vel partem
» sane maximam, ad tempus saltem aliquod affectus videri
» solet. Idem ego prorsus, mi Callicles, de animo statuen-
» dum existimo. Ubi exutus corpore animus fuerit, quic-
» quid ipsi homo vel insitum a natura, vel a quocun-
» que studii genere impressum habuerat, id totum in
» illo existit etiam tum, ac cernitur. Itaque cum illi pri-
» mum ad judicem pervenerunt, ut ad Rhadamanthum
» Asiatici, Rhadamanthus sibi quemque sistens, animum
» diligenter explorat, cujus tandem ille sit ignarus. Et con-
» tingit sæpenumero, ut vel rege Persarum, vel alio quo-
» piam seu rege, seu principe correpto, hujus animum
» nulla sui parte sanum videat, sed perjuriorum ac malefi-
» ciorum, quæ suum cuique facinus imprimere animo solet,
» quibusdam quasi verberibus conscissum, vibicibusque ple-
» num: prava similiter ob mendacium ac superbiam omnia,
» rectum nihil, quod sine ullo veritatis sensu educatus fuerit:
» postremo eumdem animum, quod nimiam in licen-
» tiam, luxum, contumeliam, ac petulantiam effusus esset,
» deformitate ac turpitudine insignem animadvertat. Tum

» enimvero cum ignominia, recta illum amandat in custo-» diam, ubi dignas pœnas subire cogatur. Jam, cum quispiam, » uti par est dat pœnas alteri, cum aut meliorem inde fieri, » juvarique decet, aut cæteris exemplo esse, ut pœnarum, » quas eum subire videant, formidine meliores fiant. Ergo » qui utilitatis suæ causa a diis pariter et hominibus puniun-» tur, ii sunt, qui cum sanabilia peccata commiserint, tum » vero fructum aliquem ex dolorum sensu tam hic, quam » apud inferos capiunt; utpote qui non aliter ac suamet im-» probitate liberari possint. At vero, qui quod atrocissima » quæque perpetrarint, insanabiles propterea fuerint, ex » illis demum exempla sumuntur : licet enim ipsimet ut » curari nunquam, ita nec juvari ulla ratione possint; » plurimum tamen utilitatis hauriunt, qui eos gravissimo-» rum criminum, gravissimas quoque admodumque horri-» biles pœnas dare conspiciunt, easque sempiternas : pror-» sus, ut illic apud inferos, illo in carcere, tanquam juge » quodam improbis eodem nullo non tempore subeuntibus » spectaculum ac monitum suspensi videantur. Quo quidem » e numero, (si verum Polus narrat) et Archelaum, et » alium quemvis similem ei tyrannum futurum pronuncio. » Quin etiam tyrannos ego quamplurimos, reges item, » ac principes, quique in rerum publicarum administratione » versati sint, ejusmodi exemplo jam nunc esse existimo : » quod ii fere, dum sua illa potestate abutuntur, indignis-» sima quæque ac teterrima patrare consueverint. Cujus » sane rei Homerus etiam testis est, dum reges illos ac » principes Tantalum, Sysiphum, Tityum, qui pœnis apud » inferos simpiternis crucientur, sua in Poesi repræsentat. » Nam Thersitem quidem, aut si quis ex privatis alius im-» probus fuerit, nemo adhuc tanquam insanabilem gravio-» ribus suppliciis illigavit. Nec enim ipse, opinor, talis esse » poterat, tanto quidem iis felicior, quibus id licebat.

» Quanquam, mi Callicles, ex eo quidem potentiorum nu-» mero sceleratissimos esse constat; sed tamen nihil vetat, » quominus inter eos probi etiam existant aliqui, quos » merito sane majorem in modum suscipere debeamus. » Res enim perdifficilis est, mi Callicles, et summa laude » digna, cum maximam habeas peccandi licentiam, juste » vivere. Quales utique pauci quidam subinde existunt: » nam et hic, et alibi nonnulli jam fuere, et alii posthac, » opinor, etiam futuri sunt ea virtute præstantes, qua res » fidei suæ commissæ cum æquitate tractantur. Quos in-» ter unus ille clarissimus fuit, atque aliorum etiam Græ-» corum fama celeberrimus, Aristides Lysimachi filius. Ut » plurimum tamen virorum optime, potentiores improbi » esse solent. Cæterum quod jam ante dixi, Rhadamanthus » ille, ubi ejusmodi aliquis suas in manus venerit, nec quis-» nam ille sit, nec quibus natus parentibus, nec aliud om-» nino quicquam de ipso novit; unum hoc quippe novit, » improbum illum esse: id quod ubi perspexit, in Tartarum » amandat illico, simulque significat, utrum sanabilis, an » insanabilis esse videatur. Quo ille profectus, justo suppli-» cio cruciatur. Idem alium quemdam animum, qui sancte » integreque vixerit, aliquando contemplatus, seu privati, » seu alterius cujuscunque fuerit: (qualem, mi Callicles, » philosophi equidem animum esse confirmo, qui res suas » agens, nihil admodum hac in vita sese alienis immisceat:) » laudatum eum vehementer ad Beatorum Insulas trans-» mittit. Hæc eadem fiunt ab Æaco. Qui uterque virgam » manu tenens, hoc judicium exercet. At vero Minos tanquam » summus Cognitor, solus aureum sceptrum præferens con-» sidet: quomodo Ulysses ille Homericus eum sese vi-» disse testatur, *Aurato in sceptro defunctis ponere jura.*

» Hujus ego narrationis vi atque auctoritate persuasus, o » Callicles, video etiam atque etiam, quî tandem animum

» judici quam-integerrimum exhibeam. Quare omnibus » vulgi honoribus valere jussis, unius in veritatis tractatione assiduus, id omnino agam, quantum in me erit, » uti et optimus vivam, et moriendum cum erit, moriar » optimus. Quin alios etiam omnes pro mea facultate hor» tor, teque adeo majorem in modum obtestor, uti hanc » in vitam, atque hoc in certamen incumbas, quod aliis » equidem hic subeundis omnibus antepono. Ac mihi tu » quidem increpandus jure sis, qui opem ipse tibi ferre tum » nullam poteris, cum in forum illud atque judicium, quo » de jamjam abs me dictum est, adductus fueris: sed potius » ubi te judici illi Æginæ filio stiteris, correptus ab eo » atque productus, nihilo sane minus quam hic ego soleam, » hiabis tu illic, atque æstuabis : eritque fortasse nonnemo » qui os tibi summa cum ignominia verberet. Verum hæc » tu forte sic tanquam aniles quasdam fabulas aspernaris. » Equidem ea contemni facile etiam paterer, si nobis dili» genter investigantibus, melius ipsis aliquid ac verius oc» curreret. Nunc autem vides ipse, causæ a vobis tribus, qui » tamen Græcos, hujus ætatis omnes sapientia superatis, te, » inquam, et Polo, et Gorgia nihil afferri posse, quamobrem » alia sit ineunda vitæ ratio, quam quæ illic etiam utilis futura » videatur : sed in tanta narrationum ac disputationum copia, » ut aliæ coargui vulgo refellique soleant, unam hanc tamen » firmam semper immotamque consistere : Cavendum no» bis esse potius, ne injuriam faciamus, quam ne patiamur : » atque hanc in curam homini, præ cæteris omnibus, in» cumbendum esse, non jam ut bonus videatur, sed ut » bonus re ipsa sit, tam privatim, quam publice. » Hactenus Plato. Et ille quidem mortuorum judices Æacum, Minoem, ac Rhadamanthum futuros esse pronuntiat; Nobis autem Scriptura divina testatur, « Omnes manifes» tari oportere ante tribunal Dei, ut referat unusquisque

» propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum[1]»
Et rursus, « In die, *inquit,* quo judicabit Deus abscondita
» hominum, qui reddet unicuique secundum opera ejus :
» iis quidem, qui secundum patientiam operis ejus, gloriam
» et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam:
» iis vero, qui ex contentione sunt, et qui non acquiescunt
» veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribu-
» latio et angustia in omnem animam hominis operantis ma-
» lum, Judæi primum, et Græci. Non enim est acceptio[2]. »

CAPUT VII.

—

Graviora veritatis dogmata non omnibus promiscue vulganda esse.

« At enim cave sis, inquit Plato[3], ne hæc unquam in
» hominum imperitorum aures incidant: nullum enim fere,
» ut mihi quidem videtur, sermonis genus est, quod magis
» vulgus irrideat : uti vicissim nullum est, quod hominibus
» egregiæ cujusdam indolis, aut suspiciendum vehementius,
» aut afflatus divini similius videri soleat. Et ejusmodi qui-
» dem illa sunt, quæ licet plurium annorum et frequenti
» prædicatione, et auditione assidua celebrentur, vix tamen
» quod auro etiam usu venit, diligenti opera studioque pur-
» gari possint. » Quam in rem, ita salutaris etiam apud nos
doctrina præcipit, « Nolite dare sanctum canibus, neque mit-
» tatis margaritas vestras ante porcos[4]. » Itemque, «Animalis

[1] 2 Cor. v, 10. — [2] Rom. II, 6. — [3] Plat. Epist. II, ad Dion. —
[4] Matth. VII, 11.

» homo non percipit quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim » est illi[1]. »

CAPUT VIII.

Quales Plato Magistratus ac Principes creari velit: nec idiotas ab eo, nullarumque litterarum homines repudiari, si morum integritate modo præstiterint. Ex libro sexto Legum[2].

Præsertim, inquit Plato, cum egregiæ istæ hominis unius » notiones animo inclusæ, nihil admodum juvare possint. » Contra vero, genus hoc totum ignorantiæ, cum in republì» ca universe, tum in civibus quoque singulis, longe pessimum » ac perniciosissimum existimo, non autem alterum illud » quo laborent artifices : si tamen vos, hospites mei, quod » abs me dicitur intelligitis. Nos vero, amice, et probe quidem » intelligimus, et libenter comprobamus. Ergo consitutum id » maneat, civibus rerum istarum ignaris, nihil prorsus quod » cum magistratus munere conjunctum sit, mandandum esse; » imo eos quoque tanquam stultos infamia notari oportere, ut » disserendi facultate plurimum valeant, atque in iis omnibus » quæ vel aliquid habeant elegantiæ, vel ad acuendam ingenii » celeritatem utcunque pertineant, studiose sint diligenterque » versati. At vero, qui secus animo comparati fuerint, eos et » sapientes appellandos, tametsi, (quod vulgo dicunt) neque » litteras ipsi, neque nere noverint, et tanquam vere pruden-

[1] Cor. II, 14. — [2] Hic locus iste non legitur. Forsan alludit ad lib. VII de Repub.

» tes magistratibus ornandos esse. Nam, quomodo tandem, o » amici, vel tenuissima quædam existat prudentiæ species, ubi » nullus consensioni locus? Fieri non potest. Atqui pulcherri- » ma sane omnium, summaque consensio, summa jure optimo » sapientia nominetur: qua quidem ut præditus ille omnis » est, qui ducem vitæ rationem sequatur; ita quisquis etiam » caruerit, is ei familiæ suæ pestem creabit, nec ullo modo rei- » publicæ utilis esse poterit, sed potius quod ab hoc cognitio- » nis genere imparatus sit, in plerisque omnibus damno ac de- » trimento erit. » Hæc ipse in Legibus. Idemque in Politico, ubi parum admodum nos de verbis ac vocibus sollicitos esse jubet: « Recte, inquit, mi Socrates: qui si exquisi- » tam verborum curam defugeris, majores prudentiæ divi- » tias senectuti tuæ comparabis. »

CAPUT IX.

—

Defugiendos esse Magistratus. Ex primo de Republica.

Hebraica docet Historia, primum omnium Moysem populi principatum deprecatum esse, ubi suum illum et oraculorum et consiliorum auctorem ita compellat, « Obsecro, » Domine, produc alium qui id possit, quem missurus sis[1]. » Deinde Saulem quoque latebras quæritantem, ne regnum susciperet, ac prophetam Hieremiam munus impositum detrectanti similem facit. Quod magistratus deprecandi consilium, audi quemadmodum Plato tanquam æquum honestumque laudet. « Manifeste igitur, *inquit*[2], confectum id est,

[1] Exod. IV, 13. — [2] Plat. de Repub. lib. I.

» mi Trasymache, artem nullam, magistratumque nullum » suæ utilitati servire : sed potius, quod jam a nobis tanto » ante dictum est, id unum quod subditis commodo esse » possit, non comparare modo, sed etiam imperare : ita ut » inferioris semper, non autem superioris rationibus con- » sulat. Quapropter hoc etiam, Thrasymache suavissime, » jamjam abs me addebatur, neminem sua sponte ac vo- » lentem imperare, alienorumque malorum curationem » suscipere, sed mercedem flagitare : quod is qui arte bene » uti volet, suæ nunquam, si modo artis ductum impe- » rando sequetur, sed inferioris dumtaxat utilitati prospi- » ciet. Ac proptera quos libentius imperare voles, iis, opi- » nor, aut aliquod sive argenti, sive honoris præmium » omnino proponendum erit, aut certe inferendus pœnæ me- » tus, ni capessant imperium. »



CAPUT X.



De Justo, ex mente Platonis.

Hebræorum ex oraculis intelligimus, cum illorum prophetas, tum alios etiam integritate præstantes, indignissimas quasque injurias atque contumelias, nullumque non periculum fortiter pertulisse. Quo in genere, quam Platoni cum ipsis egregie conveniat, ex iis quæ secundo de Republica scripsit, intelliges. « Nunc igitur, *inquit*[1], cons- » tituta hac injusti hominis specie, alterum cum eo justum » oratione nostra conferamus, virum simplicem ac gene-

[1] Plat. de Repub. lib. II.

»rosum, quique (ut Æschylus ait,) probus esse, non »videri velit. Et quidem, removenda nobis ab eo viri boni »species omnis est. Nam si justus esse videbitur, eam opi-»nionem honores continuo muneraque sequentur. Ita »dubitari merito poterit, utrum æquitatis studio, an mu-»nerum atque honorum spe, talem vitæ rationem ineat. »Rebus igitur omnibus, præterquam justitia, spoliandus »erit, eique contrarius omnino priori illi sensus, succes-»susque tribuendus. Idem enim et omni careat injustitia, »et summæ tamen injustitiæ reus habeatur; ut hoc »quasi probatam ac testatam examine justitiam habeat, »dum nullo modo vel infamia, vel iis quæ infamiam se-»qui solent, movebitur, sed inconcussus ad mortem usque »persistet, ita quidem, ut quamdiu vixerit, et justitiam »colat, et injustus esse videatur.» Quibus paulo post ista subjungit. «Dicendum igitur. In quo si quid erit horridius, »existimes velim, mi Socrates, id non tam abs me, quam »ab iis dici, qui justitiæ injustitiam anteponunt. Futu-»rum quippe dictitabunt, ut justus ille sic animo compa-»ratus, cædatur, torqueatur, vinciatur, excæcetur, mala »denique perpessus omnia in crucem agatur, sicque de-»mum agnoscat, id homini expetendum esse, non justus »ut sit, sed ut esse videatur.» Hæc Plato quidem, sed verbis tenus. Quæ apud Hebræos, omnia longe ante cum alii plerique justi, tum etiam prophetæ re ipsa pertulisse memorantur: quippe qui justissimi cum essent, tanquam injustissimi, «Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii »mortui sunt, circuierunt in melotis, et pellibus caprinis, »egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in »montibus et speluncis, et foraminibus terræ, quibus dignus »non erat mundus [1].» Quin et nostri quoque Servatoris Apostoli, dum cœlestem illam divinamque justitiam, atque

[1] Heb. II, 37.

religionem sectantes, improbitatis opinione passim laborarent, quam gravia sustinuerint, ex hac ipsorum voce constare nobis poterit : « Spectaculum facti sumus mundo, et » angelis, et hominibus[1]. » Et, « Usque in hanc horam, et esu- » rimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, » et instabiles sumus. Maledicimur, et benedicimus; per- » sequutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et » obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti su- » mus[2]. » Et huc usque profecto, strenui illi Servatoris nostri martyres ubique locorum et gentium, dum id studiosissime agerent, ut justi ac religiosi non viderentur, sed essent, ea quæ Plato commemorat omnia subierunt. Nam cæsi, vincti, torti, excæcati, gravia denique perpessi omnia, postremo in crucem etiam acti sunt. Quorum neminem apud Græcos similem reperias; hoc ut merito dici queat, philosophum hoc orationis genere aliud egisse nihil, quam ut nostros quondam illos, religionis ac veræ justitiæ laude clarissimos prædiceret.

CAPUT XI.

—

De Mosis Paradiso.

Sub ipsa conditi mundi cunabula, Dei paradisum aliquem extitisse, ubi homo a serpente per mulierem in fraudem inductus fuerit, Moses arcana quadam oratione commemorat. Hujus verba palam tantum et aperte non immutata, audi sis quemadmodum in Symposio allegorice Plato expresserit. Quem enim ille Dei paradisum, hic Jovis hortum appellavit : Serpentis ac fraudis per eum concin-

[1] I Cor. IV, 9. — [2] *Ib.* II.

natæ loco, insidiantem paupertatem introduxit : primi hominis vice, quem Dei consilium ac providentia, tanquam filium paulo ante natum produxerat, Porum quemdam Metidos (hoc est consilii) filium subjecit : pro eo denique, ut conditi mundi sub cunabula diceret, sub Veneris ortum dicere maluit, ut hoc allegoriæ genere mundi speciem ac pulchritudinem adumbraret. Sic igitur ad verbum ipse loquitur. « Nata Venus cum esset, *inquit* [1], convivium » dii celebrarunt, quos inter Porus etiam Metidis filius dis» cubuit. Cœnæ sub exitum, paupertas eo, utpote lautum » ad epulum, aliquid emendicatura sese contulerat, hære» batque in vestibulo : cum Porus nectare ebrius, necdum » enim vinum ullum erat, Jovis in hortum ingressus, alto » somno corripitur. Hic paupertas occulte ac per insidias » id agens, ut inopiæ sublevandæ causa, prolem ex Poro » susciperet, juxta illum accubuit, amoremque concepit. » Hæc ipse, quibus sane mentem illam Mosis, subobscure licet, expressit.

CAPUT XII.

—

Ab utroque doceri, mulierem ex viro sumptam esse.

Præterea quod ait Moses, « Adæ vero non erat adjutor si» milis ejus. Et immisit Deus extasim in ipsum, et sopi» vit eum : tulitque unam de costis ejus, et replevit carnem » pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tule» rat de Adam, in mulierem [2]. » Id Plato, licet quo sensu

[1] Plat. in conviv. — [2] Gen. II, 20.

dictum fuerit, ignoraret, abs sese tamen auditum fuisse palam ostendit. Quanquam Aristophani, qui utpote Comœdiarum scriptor, res etiam gravissimas deridere consueverat, hunc sermonem tribuit. Sic enim illum in Convivio loquentem, facit: « Ac primum quidem, *inquit*, naturam hu- » manam ejusque conditiones nosse vo soportet. Neque enim » eadem quæ nunc est, natura olim nostra fuit, sed longe » diversa, Primum enim genera hominum fuerunt omnino » tria, non duo tantum, uti sunt hoc tempore, mas ac » fæmina : sed tertium insuper erat cum utroque commu- » ne; quod nudo tantum relicto nomine, prorsus evanuit. » Tum enim Androgynum erat tam forma, quam nomine, » ex utroque maris ac fœminæ sexu conflatum. » Deinceps more suo cavillatus, hæc addit, « Hunc in modum loqu- » tus apud eum Jupiter, bifariam homines secuit, ut qui » vel auriculas condiendi animo abscinderet, vel pilis ova » divideret. Atque is ut quemque secuerat, huic Apollinem » jubebat, vultum cervicisque dimidium, eam in partem » qua sectus esset convertere, ut suæ hujus sectionis as- » pectu, modestior homo fieret. Tum cæteris eum quoque » mederi jussit. »

CAPUT XIII.

—

De prima hominum Vita.

Primam hominum vitam in Dei paradiso Moses ductam esse scribit, ubi eorum curam sine ullo divitiarum opumque commercio Deus ipse gereret, omniaque ipsis absque ulla

vel semente, vel agrorum cultura nascerentur, cum interim eo, qui deinde sequutus est, amictu nudi essent. Quæ omnia philosophum audi, Græce totidem pene verbis »explicantem. « Illos, *inquit*[1], pascebat Deus, tum eos »per sese regens, quo modo nunc homines, divinioris »animantis naturam sortiti, alia quædam inferioris ac de»terioris conditionis animalia pascere consueverunt. Quo »dum ipse munere fungeretur, nullæ dum respublicæ »erant, nec ducebantur uxores, nec liberi suscipiebantur »(omnes quippe tum ex terra, superiorum omnium obliti, »reviviscebant). Verum ista cum abessent omnia, fructuum »affatim ex quercubus, aliisque passim arboribus suppete»bat, utique, quos sine ullo cultu, ipsa sponte terra pro»funderet. Nudi præterea, nullisque ut plurimum stragu»lis sub dio passim degebant; quippe qui et tempestatum »clementiori temperatione uterentur, et in tanta vi her»barum ex terræ visceribus existentium, mollium quoque »tororum copiam haberent. Vitam, mi Socrates, homi»num olim sub Saturno degentium audiisti: præsentem »vero, qualem sub Jove fuisse ferunt, præsens ipse ac per »tete sentis. »


CAPUT XIV.

Eosdem cum brutis etiam animantibus versatos esse.

Scripsit etiam Moses, « Quod serpens erat callidior cunc»tis animantibus[2]; » necnon quibus verbis et serpens cum

[1] Plat in Polit. — [2] Gen. III.

muliere, et mulier cum serpente loquuta fuerit, ipsamque adeo serpentis agendi rationem exposuit. Jam audi quid in simili genere Plato scripserit, « Si alumni Saturni, *inquit*, » summo in otio, summaque non cum hominibus modo, » sed etiam cum bestiis familiari sermone agendi potestate, » iis omnibus ad philosophiæ studium utebantur : tam in- » ter sese mutuo, quam cum bestiis ipsis versando, et ab » unaquaque natura sciscitando, num quid diversum ab » aliis vi quadam singulari propriaque sentiret, ut hoc pacto » suam quamdam a quibusque prudentiæ stipem accipe- » rent : liquet omnino, ætatis illius homines infinitis ad » beate vivendum præsidiis nostros superasse. Sin autem » abdomini, helluando, ac perpotando servientes, fabulas » tantum ejusmodi, quas de ipsis vulgo circumferunt, in mu- » tua illa cum inter sese, tum etiam cum bestiis consuetu- » dine tractabant; de hoc quoque, meo quidem judicio, facile » admodum liquidoque statuatur. Verum ista quidem missa » faciamus, dum nobis idonei cujusdam indicis copia facta » sit, ex quo resciamus, num illius ævi homines, aliqua doc- » trinæ ac bene scienterque dicendi cupiditate ducerentur. »



CAPUT XV.

Quemadmodum ambo diluvii meminerint.

Moses cum in legum hominibus ferendarum cogitatione versaretur, rerum sibi antiquarum commemorationem, ipso statim exordio necessariam putavit. Primum itaque

diluvii, atque hominum qui ab eo extiterunt, vitæ meminit; tum antiquiorum etiam Hebræorum, seu quos præcipuo Deus amore dilexerat, seu quos improbitas notos insignesque fecerat, mores exposuit, ratus conjunctum in primis cum iis, quas præ manibus habebat legibus, hoc historiæ genus futurum. Plato similiter, cum animum ad scribendas leges appellit, eamdem ac Moses viam ipse ac rationem æmulatur. Audi ergo quemadmodum ipso Legum suarum principio loquatur [1]. «An igitur, *inquit*, priscas illas »narrationes veras arbitraris? Quas tandem? Crebros olim »hominum interitus, diluviis, morbis, ac cæteris id genus »extitisse, ex quibus pauci admodum homines evaserint. »Totum id quidem nemini perquam verisimile non videa»tur. Age vero, unum illum ex pluribus, quem diluvium »impertavit, consideremus. Quid porro a nobis in eo co»gitari vis? Qui tum vastitatem illam effugere potuerint, »montanos duntaxat pastores aliquot fuisse, qui summis »in cacuminibus, tanquam exigua quædam generis humani »semina, relicti servatique constiterint. Perspicuum id qui»dem. Istos porro, tales cum essent cum ab cæteris artibus »imparatos fuisse necesse est, tum ab iis etiam fraudibus et »calumniis alienos, quibus sese passim in urbibus, avaritiæ, »contentionis, ac reliquorum id genus maleficiorum æstu »abrepti, alios alii evertere moliuntur. Et hoc plane consen»taneum. Ponamus igitur campestres simul ac maritimas ur»bes eo tempore funditus periisse. Ponamus. Proinde, quic»quid etiam instrumentorum fuerat, quiquid artis ullius pro»prium, seu civilis, seu alterius cujuscunque peritiæ, id totum »eadem ruina simul ac semel haustum ac sepultum fuisse »dicendum est. »Deinde aliquot interjectis, « Maneat igi»tur, *inquit*, ita sese per ejusmodi cladem res hominum »habuisse; vastam quippe horribilemque solitudinem,

[1] Plat. Leg. lib. 1.

» vimque fœcundissimarum terrarum immensam extitisse. » Hæc ille similiaque præfatus, hominum eorum deinceps, qui post diluvium vixere, mores persequitur. Inde, Mosis exemplo, qui rerum a diluvio gestarum historiæ, sanctiorum olim Hebræorum instituta subjungit; post eorum qui proxime diluvium sequuti sunt vitam, res Græcorum, ut Hebræorum Moses, ad antiquissimam retro memoriam revocare conatur. Quinetiam Trojanorum, primæque Lacedæmoniorum reipublicæ, ac Persarum mentionem facit, eorumque simul, qui apud eos seu bene, seu male vixissent. Atque hac perfunctus historia, tum demum suas ipse leges scribere auspicatur, in eo quoque Mosem æmulatus.

CAPUT XVI.

Quam præclare doctrinæ nostræ rationes a rebus divinis auspicati, in humanas desinamus. Ex primo Legum Platonis.

Rationem legum ac reipublicæ suæ universam ex summi Numinis religione suspensam Moses esse cum vellet, illam ab eodem rerum omnium Molitore auspicatus est : deinde quicquid humanorum bonorum est, id omne a divinis proficisci docuit, ipsaque divina ad Mentem illam cunctorum moderatricem, hoc est, ad eundem illum universi Deum revocavit. Hujus vestigiis insistens philosophus, vide quemadmodum reprehensis Cretensium et Lacedæmoniorum legislatoribus, sancitam illam ab Moyse Legem edocet. « Vin'tu,

» *inquit*[1], dicam ingenue, qua te via et ordine totum hoc » disputationis genus instituentem libenter audiissem? Maxi- » me id quidem velim. Ejusmodi ergo, mi hospes, tua esse » oratio debuit. Non immerito Cretensium leges a Græcis » omnibus summa cum laude celebrantur. Nam hoc ipso » recte omnino conditæ sunt, quod iis qui vivunt beatos » efficiant, dum bonis eos omnibus cumulant. Quippe, cum » duo bonorum genera sint, humanorum unum, alterum » divinorum, tum vere ex divinis humana pendent. Quare » quæ respublica majora susceperit, eadem minora quo- » que possidebit; sin autem, utrisque careat necesse est. » Et minora quidem vocantur illa, quorum princeps est sa- » nitas, secundum pulchritudo, tertium vires corporis ad » cursum aliosque motus obeundos, quartum divitiæ, quæ » tum demum cæcæ non erunt, sed acutissimo visu præ- » ditæ, si modo prudentiæ manum sequentur. Quæ quidem » prudentia, divinorum etiam bonorum dux quædam est; » quam veluti mentem proxime sequitur constans animi » temperantia : ex iis duabus cum fortitudine conjunctis » existit Justitia; quas denique omnes fortitudo excipit. » Hæc omnia humanis illis naturæ dignitate præstant. Quo- » circa is etiam ordo legislatori servandus erit. Deinde » vero cives aliis institutis, quæ tamen priora semper illa » spectent, informabit; ita quidem ut res humanæ ad di- » vinas, ad mentem principem divinæ omnes referantur. » Deinde, mutuis nuptiis inter sese contractis, procreatio- » nem educationemque liberorum studiose curabit, et seu » mares illi fuerint, seu fœminæ, quicquid ab iis vel adoles- » centibus, vel jam ætate maturioribus, ad ipsam usque » senectutem, in mutua consuetudine recte secusve fiat, » alterum honore afficiet, alterum ignominia : simul etiam » quid iis aut dolori sit, aut voluptati, quibus vel cupidi-

[1] Plat. lib. 1, Leg.

» tatibus, vel amoribus indulgeant solerter explorans atque » observans, suis, ut par est, legibus prava omnia reprehendet, laudabitque contraria. » Hæc Plato, qui paucis interjectis, rursus ita prosequitur. « His legislator studiose » provisis, eos omnium custodes ac præfectos deliget, quos » partim prudentiæ, partim veræ laudis viam instituisse » cognoverit; ut ea mens universa jam apta ex sese atque » connexa ejusmodi efficiat, quæ temperantiæ potius atque » justitiæ, quam divitiarum, aut ambitionis ductum se» quantur. Ea, hospites suavissimi, quemadmodum vos » et jam ante voluissem, et nunc etiam omnino velim ex» ponere, ut in iis, quas vocant, Jovis et Pythii Apollinis » legibus, quas Minos et Lycurgus condiderunt, hæc omnia » locum habeant: simul, ut is modo qui vel arte, vel usu » quodam legum peritiam adeptus fuerit, hunc in ipsis quem » postulamus ordinem facile deprehendat, quem nos tamen » agnoscere nulla ratione possimus. » Hactenus ille. Nec absimile quidem est quod apud nos scriptum habetur, « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc » omnia adjicientur vobis. [1] » Quin et ipse quoque Moses tanto ante ab ea doctrina quæ Deum ipsum prædicaret exorsus, quæ ubi deinceps reipublicæ formam, et quicquid vel ad contractus mutuos, vel ad communis vitæ rationes et instituta pertinebat, ad illud principium apte consentaneeque digessit, tum omnium custodes præfectosque creat, viros et ipsi Deo consecratos, et quemadmodum Scriptura testatur, ut æquitate prestantes, sic ab omni arrogantia prorsus alienos, quosque partim prudentiæ, partim veræ laudis viam instituisse cognoverat.

[1] Matt. vi, 33.

CAPUT XVII.

Quam præclarum sit pueros a prima statim ætate, piis religiosisque moribus assuefacere.

« Equidem[1], inquit Plato, sic statuo, quacunque re » præstare quis olim et excellere voluerit, in hanc ipsi jam » inde a pueris incumbendum esse, atque in iis quæ cum » illa conjuncta sunt, tum lusitando, tum serio studiose- » que versandum. Quippe qui vel bonus agricola, vel peri- » tus architectus esse volet; hunc in puerilibus quibusdam » ædiculis, illum in colendo agro ludere oportebit, quos » proinde qui educandos susceperit, eum sua cuique licet » exigua quædam instrumenta, quæ vera illa imitentur, » comparare necesse erit. Præterea, quicquid eum in finem » ante scire opus est, prius omnino perdiscendum: ut fabro » mensuræ amussisque rationes tenendæ; militi nunc ludo » equitandum, nunc id genus aliud quid actitandum : pror- » sus, ut ipso quoque lusus genere, voluptates eo cupi- » ditatesque puerorum flectere conemur, quo tandem eos » tanquam ad finem aspirare cupiamus. Caput enim disci- » plinæ omnis rectam educationem esse defendimus, quæ » vel ludentis animum in ejus rei amorem facillime per- » ducet, in qua virum olim summa cum facultate ac laude » versare oportebit. » Ita Plato. Quod ipsum jam ante Moses occupaverat, cum ita conceptis verbis statueret: « Erunt- » que verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde

[1] Plat. Leg. lib. 1.

» tuo, et in anima tua, et narrabis ea filiis tuis [1]. » Quem sane morem juniores omnes pietatis ac religionis præceptis informandi, et jam olim Hebræi tenuerunt, et huc usque tanquam patrium aliquod institutum Judæa natio summa diligentia studioque conservat.

CAPUT XVIII.

Eam solum doctrinæ loco statuendam, quæ viam ad virtutem muniat; non autem eam, quæ vel augendæ pecuniæ, vel parando victui quoquo modo serviat.

« Cavendum id porro nobis, inquit ibidem Plato, ne disciplinæ nomen infinitum quid manere patiamur. Nunc » enim, dum cujusque aut vituperamus educationem, » aut laudamus, ita loqui solemus, ut alium disciplina ex- » cultum, ejusdem expertem alium esse dicamus, tametsi » ex eorum interdum numero sit, qui vel cauponariæ, vel » naviculariæ, vel similis alterius artis peritissimi habean- » tur. Enimvero ita, meo judicio, loqui solemus, quod » non artibus illis disciplinæ nomen tribuendum putemus, » sed ei duntaxat, quæ cum hominem a pueris ad virtutem » erudiat, tum efficiat ipsa quoque, ut idem et perfectus » olim civis evadere cupiat, et cum æquitate vel imperare » vel parere noverit. Hoc educationis genus, ut mihi qui- » dem persuadeo, communis iste loquendi modus proprie » designat, eique tantum uni disciplinæ appellationem at- » tribuit : quæ autem vel parandæ pecuniæ, vel augendis » viribus, vel cuilibet alii peritiæ a mentis et æquitatis con-

[1] Deut. VI, 6

»sortio disjunctæ serviat, plebeiam et illiberalem, adeo-»que disciplinæ nomine prorsus indignam esse statuit. »Verum nos sane nullam iis controversiam nominis hujus »causa moveamus : maneat id modo nostra omnium con-»fessione certum, qui recte educati a prima ætate fue-»rint, eos ut plurimum viros bonos evadere. Quare nulla-»tenus unquam negligenda disciplina fuerit, cum ex omni »rerum præstantissimarum numero, prima illa viris opti-»mis præsto sit, operamque navet. Quæ si quando exer-»raret, sed corrigi tamen emendarique posset : id vero »nemini, quamdiu viveret, non pro viribus agendum es-»set.» Idem Legum secundo, paucis id ipsum repetens, »Disciplinam, *inquit*, virtutem illam appello, quam pueri »omnium primam nanciscuntur. Voluptas autem, amici-»tia, dolor et odium, si et eorum mentibus, quo tempore »necdum uti ratione possunt, uti par est inserentur; et »cum ea primum uti cœperint, cum eadem uno veluti »consensu, rite convenientibus eos moribus informatos »et imbutos fuisse testabuntur, virtus quidem erit integra »illa perfectaque consensio, quod autem ex ea in rectam vo-»luptatis dolorisque moderationem derivatum erit, ut simul »quæ odio digna sunt, ab initio ad finem usque constan-»ter oderint, amentque contraria; id tu si ab cæterorum »complexu ratiocinando sejunges, proprie mea quidem »sententia, disciplinam appellabis.» Hæc Plato. Quem tamen David in Psalmis antevertit, ubi rerum odio vel amore dignarum odium amoremque docet his verbis: «Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. »Quis est homo, qui vult vitam : diligit dies videre bo-»nos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne lo-»quantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum; inquire »pacem, et persequere eam[1].» Similiterque Salomon,

[1] Psal. XXXIII, 12.

« Audite, inquit, filii, disciplinam Patris. Donum enim » bonum tribuam vobis : legem meam ne derelinquatis [1]. » Atque iterum, « Posside sapientiam, posside prudentiam; » ne obliviscaris [2]. » Itemque, « Dic sapientiam sororem » tuam esse, et prudentiam familiarem tibi redde. » Et, « Vias » impiorum ne insistas, nec tibi placeant malorum viæ [3]. » Hæc aliaque id genus Hebræorum in litteris invenias, quæ ad religionis ac virtutis omnis officia erudiunt, nec adolescentibus modo, sed etiam ætate maturis apprime conveniunt.

CAPUT XIX.

In ea cum Hebræis sententia Platonem fuisse, ut res inferiores diviniorum imagines esse existimaret.

His olim verbis Mosem oraculum monuerat, « Vide ut » facias omnia secundum exemplar, quod tibi in monte » monstratum est [4]. » Quod ipsum illustrans apostolus, « Qui exemplari et umbræ, *inquit*, deserviunt cœles- » tium [5] : » quibus sane verbis, res illas diviniores, quæ spiritalium gradu et ordine continentur, iis quæ apud Mosem legimus, tanquam symbolis quibusdam ac notis involvi, manifeste docet. Audi vero quam iis affinia Plato geminaque philosophetur, dum in sexto de Republica, hunc in modum scribit. « Philosophus igitur, inquit ille, » ut summa Dei ac pulchritudinis ipsius familiaritate utitur,

[1] Prov. IV, 1. — [2] *Ib.* 5. — [3] *Ib.* VII, 4, — [4] Exod. XXV, 40. — [5] Heb. VIII, 25.

» ita divinitatis ac pulchritudinis, quantum homini fas est, » particeps efficitur. Sed calumnia videlicet ubique regnat. » Ita profecto est. Hunc tu igitur, inquam, si quæ illic » contemplatur, ad instituendos hominum mores necessi- » tate quadam revocare, privatimque simul ac publice pro- » ponere, nec sese tantum fingere conformareque debuerit : » an stultum aliquem temperantiæ, æquitatis, omnisque » adeo virtutis civilis artificem futurum arbitraris ? Minime » vero, inquit. Et multitudo, inquam, si semel verum a » nobis hoc in genere dici cognoverit, ultrane philosophis » succensebit, ac fidem nobis detrahet, dum rempubli- » cam aliter felicem futuram negamus, nisi eam pictores » illi divinum exemplar intuentes informaverint. Nunquam » hercle, id si modo cognoverit. Sed, quodnam istuc, ob- » secro, informandi genus intelligis ? Nempe, civitatem, » inquam, moresque hominum, quasi tabulam aliquam in » manus sumentes, ab omni primum labe purgabunt. » Quod quidem non admodum facile est. Sed hoc nimirum » probe nosti, vel hoc maxime reliquis omnibus philoso- » phos anteire, quod neque privatum quemquam, aut rem- » publicam ullam attingere, nec leges omnino ferre velint, » nisi utrumque prius vel purgatum acceperint, vel ipsimet » purgaverint. Et merito sane, inquit. Postea vero, non tu » eos optimam reipublicæ formam descripturos existimas ? » Equidem. Tum vero, dum in opus incumbent, sæpe, » opinor, ad utrumque respicient, hoc est, modo ad illud, » quod suapte natura justum, pulchrum, moderatum est, » cæteraque id genus omnia; modo ad hoc alterum, quod » inter homines elaborent, humanum simulacrum ita suis » ex studiorum officiorumque rationibus conflando atque » temperando, ut illud semper imitentur, quod Homerus » ipse quoque insitam impressamque hominibus divinam » speciem et imaginem appellavit. Præclare, inquit. Et su-

» hinde quidem, opinor, deleturi modo, modo informa» turi sunt, donec humanos ipsi mores, quam maxime » fieri potest, Deo caros acceptosque reddiderint. »

CAPUT XX.

Juniores honestis quibusdam hymnis odisque memoriæ commendandis, ad suscipiendos virtutis satus præparandos. Ex secundo Legum.

« Jam mihi tertium aut quartum, inquit idem, eo nobis » revoluta videtur oratio, ut disciplinam aliud dicamus esse » nihil, quam puerorum educationem ejusmodi, qua ad eam » vitæ rationem adducantur, cujus integritas et legis ore com» mendetur, et hominum tam æquitate præstantium, quam » ætate maturorum auctoritate atque experientia comprobe» tur. Ut ergo pueri animus non aliis de causis, quam quæ » legi simul, et iis quæ a lege sancita fuerint, conveniant, » aut dolere aut lætari assuescat, adeoque senioris ductum » sequatur in omni tristitiæ gaudiique sensu: propterea, » quas passim odas vocamus (tametsi enim animos vere » cantionum instar nunc quidem afficiant, utpote ad eum » quo de loquimur concentum efficiendum elaboratæ; » quod tamen juniorum animi serium nihil et actuosum » ferre possint, lusus sane odæque nominentur ac fiant): » ut qui corpore laborantes maleque habentes curandos » suscepere, iis salubre alimentum esculentis ac poculentis

[1] Plat. Leg. lib. 1.

»suavioribus, noxium autem injucundioribus immiscere »solent, ut alterum amare, odisse alterum facile assues»cant: ita plane bonus legislator eo poetam vel adducet, »vel, si minus adducere poterit, adiget, ut honestis ac »laudabilibus verbis, mores hominum temperantia, forti»tudine, omnique virtutis genere insignium, sive in nu»meris staticulos, sive in concentu modulatos versus effi»ciet, rite ac decenter imitetur.» Hæc ille. Ergo jure sane ac merito, pueri quoque nostri divinorum prophetarum odas, hymnosque de Deo scriptos terere sæpius ac repetere consuescunt.

CAPUT XXI.

Cujusmodi odarum illarum sententiam esse oporteat.

«Eam poetæ necessitatem imponitis, inquit Plato[1], uti virum »bonum, vel hoc ipso quo temperantiam et æquitatem colat, »felicem beatumque pronuntient, se procero ac robusto »corpore fuerit, seu contra exiguo et infirmo; itemque seu »divitiis abundabit, seu non: Sin autem Cinyram ipsum opi»bus Midamque superabit, idem tamen injustus erit, mise»rum illum esse, atque acerbam vitam ducere. Enimvero »(sic enim apud vos poeta loquitur, si recte modo loquitur), »ejus ego viri ne meminerim quidem, aut omnino ratio»nem ullam duxerim, qui omnia honestatis et æquitatis »officia non obeat atque complectatur. Quod si talis erit,

[1] Plat. Leg. lib. II.

» tum gestat hosti Collato pugnare pede. » An injustus si » fuerit, « nec audeat cædes spectare cruentas, nec possit, » Threicium Boream celeri prævertere cursu : » nec aliud » quicquam eorum quæ bona dicuntur obtineat. Nam quæ » vulgus hominum appellare bona solet, hoc iis falso no- » men tribuitur. Sanitas quippe omnium fere optima præ- » dicatur : secundo loco pulchritudinem, tertio robur, » quarto divitias numerant. Quanquam infinita alia sunt, » quæ bona vulgus appellat. Nam acuto visu audituque » præditum esse, omnibusque sensuum facultatibus integris » ac perfectis uti : summo in dominatu, quicquid animo » collibuerit facere, bonum existimatur : postremo felicita- » tis omnis cumulus habetur, ut primum hæc omnia con- » sequutus eris, continuo immortalem evadere. At ejus- » modi cum vester, opinor, tum meus quoque sensus est, » viris quidem justis ac piis optimam esse rerum istarum » omnium possessionem, at improbis longe pessimam, ini- » tio ab ipsamet sanitate ducto. Nam videre, audire, sen- » tire, omninoque vivere, ut maximum ei malum fuerit, qui » hæc omnia, quæ vulgo bona dicuntur, sempiterno tem- » pore immortalis possideat, a justitia et virtute se- » juncta; sic ei longe minus, qui talis cum esset, non nisi » brevissimo tempore vixerit. Hæc utique vestri, ut poetæ » canant, vel impetrabitis vel extorquebitis, nec non ut » aptum iis et cohærens numerorum concentusque ge- » nus adhibeant, quod erudiendis adolescentibus vestris » opportunum sit futurum. Utrum enim hoc advertitis ? » Equidem id clare pronuncio, quæ mala dicuntur, in- » justis bona, mala justis esse; quæ bona, bonis vere » bona, malis autem mala, Utrum igitur in eo quod » rogabam, inter nos convenimus, an secus ? » Platonica ista non admodum a Psalmis Davidis absunt, quos quidem ipse divino afflatus Numine tanto ante ex canti-

bus hymnisque contexuit, quisnam vere aut beatus, aut miser esset, exponens. Et quidem suum ipse librum inde auspicatur, dum ait, « Beatus vir qui non abiit in consi-» lio impiorum; » et similia, quibus nonnihil immutatis, Plato hanc poetis necessitatem imponit, uti virum bonum, vel hoc ipso, quo temperantiam et æquitatem colat, felicem, beatumque pronuntient; improbum autem, ut divitiis circumfluat,, miserum prædicent. Quod ipsum David in suis quoque Psalmis expressit, his verbis, « Divitiæ » si affluant, nolite cor apponere[1]. » Atque iterum, « Ne » timeas, cum dives factus fuerit homo, aut cum multi-» plicata fuerit gloria domus ejus[2]. » Quinetiam quicquid eo loco dictum a philosopho est, id tu omne sigillatim, in sacro Psalmorum volumine, ad verbum expressum, majore otio reperies.

CAPUT XXII.

Non cujusvis esse laudabiles odas et carmina scribere, sed vel unius Dei vel divini cujusdam hominis.

« Imo, quod summi prorsus, inquit Plato[3], cum in legi-» bus ferendis, tum in constituenda republica momenti » sit. Nam ut alia quædam apud eos leviuscula reperias; » hoc sane quod in musica statuunt, et verum, et observa-» tione dignum est : fieri nimirum potuisse, ut hoc etiam in » genere legislator, si constanter auderet modo, concentus » eos lege sanciret, qui per sese honestatem naturæ ac pro-

[1] Ps. LXI, 11. — [2] Ps. XLVIII. — [3] Plat. Leg. lib. II.

» bitatem adjungerent. » Cæterum id vel Dei, vel divini cujusdam hominis proprium fuerit. Jure ergo cautum apud Hebræos fuit, ut ne alii divinis in doctrinis hymni cantusque locum haberent, quam quos divinus ipse Spiritus divinorum ac propheticorum hominum ore fudisset, eoque præterea modulorum genere, quod et cum ipsis cohæreret, et solemni apud eos receptoque more caneretur.

CAPUT XXIII.

De iis qui divinos illos cantus probare possint.

Ego vero, inquit Plato[1], « id multitudini concedam ipse » quoque, musicam voluptate metiri oportere : Sic tamen, » ut non in plebeiorum hominum voluptate acquiescamus, » sed optimam fere Musam illam esse statuamus, quæ optimos atque optime institutos, maxime vero quæ unum » aliquem virtute doctrinaque præstantem delectabit. » Quare virtutem in primis carminum illorum judicibus » necessariam esse defendimus, cum ii non prudentia modo, » verum etiam constantia præditi esse debeant. Nec enim » profecto deceat, ut æquus verusque judex, aut ab ipsomet theatro edoctus, et partim multitudinis strepitu, » partim stultitia propria stupefactus judicium ferat; aut » dum etiam ipse veritatem agnoscit, ignavia tamen debilitatus ac metu, illo ipso ore, quo paulo ante cum ad judicandum accederet, testes appellavit deos, falsam vanamque sententiam indigne pronuntient. Nec enim ipse

[1] Plat. leg. lib. II.

»tanquam discipulus, sed tanquam spectatorum, uti par »est, magister futurus, illisque adeo, si voluptatem perpe- »ram et alieno loco præ se ferent, constanter repugnatu- »rus sedet.» Eodem plane modo, non infimæ quondam apud Hebræos multitudinis erat, aut de iis qui tanquam divino Spiritu afflati producerentur, aut de divinis ipsis carminibus statuere : sed pauci erant, divino Spiritu, cujus propria illa describendi vis est, afflati ipsi quoque, quibus etiam unis ea de re statuere, ipsosque adeo prophetarum libros consecrare, cæteros vero tanquam adulterinos ac spurios abjudicare liceret.

CAPUT XXIV.

Cantus etiam in conviviis, tanquam convivales quasdam leges, recipiendos esse.

«Cæterum, inquit Plato[1], quod a nobis suscepta primum »disputatio sequebatur, ut opis aliquid ad Bacchi chorum »probe instituendum afferet, id hactenus pro facultate nos- »tra disseruimus. Nunc ergo videamus, utrum a nobis per- »fectum id fuerit. Sane conventum ejusmodi necesse quo- »dammodo est, dum compotatio magis semper magisque »fervet, turbulentiorem evadere; quod etiam ab initio his in »rebus, de quibus nunc agitur, necessitate quadam eve- »nire posuimus. Necesse id quidem. Tum vero quisque so- »lito levior indulget sibi, ac lætitia, solutus ut liberius »effusiusque loquitur, ita neminem interim ex vicinis audit; »sed potius idoneus sibi quidam, et sui, et cæterorum

[1] Plat. Leg. lib. I.

» omnium moderator videtur. Quippe. Nos vero diximus, » ubi hæc eveniunt, bibentium animos, posteaquam ignem » ferri more conceperint, molliores ac juniores fieri; ut » perinde omnino ac dum teneriores adhuc essent, ei qui » alios erudire ac fingere possit ac noverit, faciliores sese » tum ac tractabiliores præbeant. Fictorem porro statui- » mus illum ipsum, qui tum bonus etiam nobis legislator » erat. Hic convivales quoque leges describet, quibus pe- » tulantior ista confidentis et audaculi hominis, qui nullum » jam ordinem, nullas silendi ac loquendi, nullas bibendi » canendique vices ferre possit, impudentia ad contrariæ » honestatis et modestiæ officia revocetur: atque ita subeun- » ti paulatim gliscentique proterviæ, adversarius opponatur » honestissimus ille metus, idemque cum æquitate con- » junctus, quem pudorem ac verecundiam, divinum uti- » que metum, appellavimus. Sic est. Harum præterea » legum custodes, qui suam illis operam navarent, quietos » homines ac sobrios esse voluimus ». Hæc ille. Jure igitur hic apud nos etiam in conviviis, odas et hymnos in Dei laudem canendi receptus mos est: quo in genere, honestati ac modestiæ nostri quoque moderatores invigilant atque prospiciunt.

CAPUT XXV.

Vini bibendi copiam non omnibus promiscue faciendam esse.

« Si quæ civitas, inquit Plato[1], ut in re seria fieri solet, » hunc morem, prout legum ordinisque ratio postulabit,

[1] Plat. Leg. lib. II.

» usurpare volet, perinde ac si parandæ temperantiæ gratia, » exercitatione quadam uteretur : itemque si ab aliis similiter voluptatibus, eodem consilio, non abstinebit, ut » earum hac tandem arte victrix esse queat : hoc sane modo » rebus iis omnibus per me utatur licet. Sin autem id totum » ludus quidam erit, si et volenti cuilibet, et ubi, ac quibuscum ipse voluerit, ita bibere permittetur, ut pro arbitrio aliud simul quodlibet exercitationis genus adjungat; » nunquam equidem auctor fuerim, ut ejusmodi vel reipublicæ vel homini largioribus poculis indulgere liceat. » Tum enimvero Carthaginiensium legem multo magis quam » aut Cretensium, aut Lacedæmoniorum consuetudinem » probarim uti nemo unquam in exercitu genus hoc » poculenti gustet, sed toto militiæ tempore aquam » bibere consuescat : domi vero, ne servus quisquam aut » ancilla vinum attingat unquam : ne magistratus toto illo » anno, quo rempublicam gerent, ne moderatores aut judices, quamdiu judicia exercebunt, neu quisquam de re » alicujus momenti sententiam in concilio dicturus; imo » etiam nemini prorsus interdiu, vino uti concesserim, nisi » vel exercitatio corporis, vel morbi ratio postulabit; neque noctu, seu vir, seu mulier fuerit, si operam liberis » dare cogitabit. Hæc et alia pleraque afferri possint, quamobrem vino abstinere debeant, qui et maturi judicii et » rectæ legis ductum sequantur. Ex quo sane id efficitur, » nulla ut civitas multis admodum vineis indigeat : sed potius, ut cum reliquus omnis agrorum cultus, tum etiam, » ratio victus universa modicis omnino finibus includatur. » Ita Plato. Quem ante jam Moses occupaverat, cum sacerdotibus, quo tempore sacris operandum erat, vino interdiceret, his verbis : « Dixit quoque Dominus ad Aaron, » Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis, tu » et filii tui tecum, quando intratis in tabernaculum testi-

» monii, aut cum acceditis ad altare, ne moriamini: Legi» timum sempiternum in generationes vestras[1].» Idem viris pariter ac mulieribus vota nuncupantibus, hanc legem dicit: « Vir, sive mulier, cum magnum illud votum fecerint sese » Domino consecrandi, a vino et omni quod inebriare potest » abstinebunt; et acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, » qua inebriari quis potest, non bibetur[2].» Salomon quoque principes simul et judices vino abstinere jubet, dum ait: « Omnia cum prudentia fac, et cum prudentia vinum » bibe. Proceres iracundi sunt, vinum ii ne bibant, ne » bibentes obliviscantur sapientiæ et laborum[3].» Quinetiam Apostolus Timotheo, morborum causa, vino uti permittens, « Modico, *inquit*, vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates[4].»

CAPUT XXVI.

Ne Platonem quidem ipsum ignorasse, quæ abs sese leges conderentur, iis barbaros quosdam suis in rebuspublicis vivere.

« Utrum, *inquit*[5], viris in philosophia versatissimis » instituendæ reipublicæ necessitas, aut ultimis illis anti» quissimisque temporibus fuerit, aut hodieque sit apud bar» barum aliquem populum, et longissime nostris ab oculis » conspectuque semotum, aut etiam futura sit aliquando: » hic vero contentiosi admodum esse nolimus, ut genus hoc reipublicæ et extitisse jam olim, et etiamnum existere, tum

[1] Levit. x, 8. — [2] Num. vi, 3. — [3] Prov. xxxi, 4. — [4] 1 Tim. v, 2. — [5] Fragmentum hoc apud Platonem non reperitur.

certe futurum esse pugnemus, cum reipublicæ principatum ipsa sibi musa vendicarit. Nam quæ fieri per sese possunt, eadem esse posse nunquam negabimus.

CAPUT XXVII.

Bellum nobiscum esse nobis, et cum nostris cupiditatibus ac perturbationibus gerendum.

«Idem[1] autem, *inquit*, num etiam de se ipso, tanquam » de hoste cogitare debet, an secus? O hospes Atheniensis (nec enim Atticum te dixerim, quod mihi cognomento ex Dei nomine petito dignior videaris) : utique » disputationem hanc dum sapienter ad principium ipsum » revocas, illustriorem efficis. Ita facilius etiam intelliges, » quam recte dictum a nobis paulo ante fuerit, cum publice » universis universos, tum sibi privatim ac proprie singulos » hostes atque infestos esse. Quæ tua hæc oratio est, vir » maxime? Hoc in bello, mi hospes, uti se ipsum vincere, » victoriarum omnium princeps atque optima est : sic a » se ipso vinci, omnium longe turpissimum, ac pessimum » fuerit. Quippe genus hoc orationis, suum cuique nostrum, ac secum ipso bellum quoddam intestinum esse » significat. » Tum aliis plerisque interjectis, ita prosequitur. » Num igitur nostrum quemlibet unum aliquem esse » statuimus? Utique. Sed ita unum, ut duos apud se consiliarios habeat dissentientes ac stolidos, quibus voluptatis et doloris nomen tribuimus. Sic est. Utrique rerum » etiam futurarum opiniones adjunctæ duæ, quæ com-

[1] Plat. Leg. lib. 1,

» nunc quidem spei nomen sortitæ sunt; sed tamen, spes
» illa quæ dolorem antegreditur, metus: quæ contrariam
» voluptatem antecedit, fiducia proprie nominatur. His om-
» nibus rationis præest consilium, quo quid ex iis vel melius
» sit, vel deterius exploratur; quodque ubi commune totius
» reipublicæ decretum fuerit, tum vero lex appellari solet.»
Et paulo post: « Hoc, *inquit*, intelligimus, perturbationes
» illas, nervorum in nobis ac funium quorumdam instar esse,
» a quibus, ut aliis alii contrarii sunt, ita contraria in studia
» trahimur, ubi virtus et vitium, suis ambo finibus ac regio-
» nibus circumscripta versantur. Ratio quippe docet, motui
» duntaxat alteri sic obsequendum cuique perpetuo, ut nun-
» quam ab eo discedens, oppositis funibus constanter reni-
» tatur. Atque hunc sapientis consilii aureum esse sacrum-
» que ductum, quam publicam et communem civitatis legem
» appellamus: reliquos enim motus, duriores ac ferreos,
» ductum hunc unum, quod aureus sit, facilem etiam ac
» suavem esse; cumque cæteri omnes tam varii sint tam-
» que multiplices, hunc vultum semper unum eamdemque
» formam retinere. Et vero ductum hunc legis tanquam opti-
» mum, semper nobis ac studiose promovendum esse. Nam
» cum illud rationis consilium ita bonum atque honestum
» sit, ut tamen suavitate ducat, non vi cogat; hunc ipsius
» ductum administrorum quorumdam opera indigere ut in
» nobis aureum hocce genus, cæteram illam nationem tur-
» bamque domare possit. Atque ita demum, virtutis illa
» quæ de nobis tanquam miraculi similibus, celebratur
» fabula, explicari facile defendique poterit; tum clarius
» simul illustriusque constabit, non modo quid illud signi-
» ficet, hominem se ipso unum, modo superiorem, modo
» inferiorem esse: verum etiam ejusmodi cum privato cui-
» que, tum ipsi quoque reipublicæ cautionem esse neces-
» sariam, ut privatus vera et propria motuum illorum in

»sese ratione perspecta, vitam illa diligenter instituat; »civitas, posteaquam vel ab aliquo Numine, vel certe ab »eo jam explorata illa sint, eamdem cognitionem hauserit, »illam ipsam legis loco haberi jubeat, quam deinceps, et »secum ipsa et cum aliis civitatibus agendo sequatur. Atque »ita planius atque distinctius vitii virtutisque rationes co- »gnoscemus.» Hactenus Plato. Cui sane quam affinia litteræ nos divinæ docent. Ita enim Apostolus. «Condelector, »*inquit*, legi Dei secundum interiorem hominem : video »autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi »mentis meæ [1].» Itemque, «Inter sese invicem cogitationi- »bus accusantibus, aut etiam defendentibus [2].» Et cætera id genus.

CAPUT XXVIII.

Non in corpus, sed in animum, culpam eorum quæ nobis peccantur, esse conferendam.

«Jam vero meminimus, *inquit* Plato [3], hoc a nobis su- »perius esse concessum, si corpore antiquiorem animum »esse constaret, quicquid etiam animi proprium esset, id »omne rebus ad corporis naturam pertinentibus antiquius »futurum. Sane, meminimus. Mores igitur, affectiones, »voluntates, judicia, veræ opiniones, curæ, recordatio- »nes, proceritate, latitudine, mole, viribusque corporis »priores sint, necesse est, si animum corpore priorem »esse concedimus. Necesse id quidem. Ergo, quod indi-

[1] Rom. VII, 22. — [2] Ib. II, 15. — [3] Plat. Leg. lib. X.

» dem sequitur, non id etiam fateri nos oportet, bonorum » simul et malorum, honestorum item ac turpium, justo» rum et injustorum adeoque contrariorum omnium causam » animum esse; siquidem ipsi omnium omnino causam as» signandam esse volumus? » Atque hæc ex Legum decimo. Quibus Moses consentanee loquitur, dum illud suis in legibus frequenter inculcat, « Si anima peccaverit, et fecerit iniquitatem; » et cætera quæ ab illo passim eamdem in sententiam afferuntur.

CAPUT XXIX.

De eo qui sincere integreque philosophetur ex Theæteto.

Hebrææ litteræ de eo qui serio vereque philosophetur ita pronuntiant : « Bonum est viro, cum portaverit jugum » ab adolescentia sua : sedebit solitarius, et tacebit, quia » levavit super se [1]. » Itemque de prophetis Deo carissimis, eos ut summum ad philosophiæ culmen aspirarent, in solitudinibus, montibus, ac speluncis versatos esse docet, ubi mentem haberent in unius Dei cogitatione defixam. Audi tu vero, quemadmodum genus illud vitæ Plato divinis quoque laudibus extulerit, ubi de eo qui summam illam philosophandi laudem sequatur, hæc habet. » Dica» mus igitur, *inquit* [2], uti par est, quando ita tibi videtur, » de summis illis philosophandi principibus (quid enim » eos moremur, qui philosophiæ studio perperam abutun» tur?). Illi videlicet jam usque ab adolescentia, viam quæ » in forum ducat ignorant : ubi vel exerceantur judicia, vel » senatus, vel publicum aliud civitatis concilium habea-

[1] Thren. III, 27. — [2] Plat. in Theæt.

»tur, nesciunt : leges ac plebiscita, neque dum promul-
»gantur audiunt, neque perscripta cum fuerint omnino
»vident. Sodalitiorum ad magistratus creandos, factio-
»nes, conventus, cœnæ, comessationes cum tibicinis ho-
»rum ipsis quicquam factitare, ne per somnium quidem,
»in mentem venit. Rectene an secus factum in civitate
»quid fuerit; num cuipiam à majoribus, seu paterno seu
»materno ex genere, mali quid obvenerit, magis ipsos
»latet, quam numerus, quod aiunt, arenarum. Atque hæc
»ille omnia sic ignorat, ut eadem abs sese ignorari nesciat.
»Quippe nec enim laudis aucupandæ causa ab earum sese
»rerum communione segregat : sed re vera solum ejus corpus
»in civitate versatur et habitat; mens vero dum universa ista
»humiliora existimat, nihilque facit, passim interea volitat,
»(ut cecinit Pindarus) quæ sub terris, quæque supra terras
»dimetiens, rerumque cœlestium rationes astronomiæ vi enu-
»cleans, totamque omnino rerum singularum, quas hujus
»universi ambitus complectitur naturam sic explorans, ut
»tamen nullam ad earum quas propiores habet sese abjiciat
»Quo tu sensu hoc ais, o Socrates? Prorsus, mi Theodore,
»quomodo Thaletem aliquando, qui dum oculis in cœlum
»defixis astra contemplaretur, proximum in puteum deci-
»derat, ancilla quædam Thressa, elegans et urbana hoc
»joco perstrinxit : Qui res cœlestes nosse contenderet, eum
»quæ proxima pedibus essent non videre. Quod sane dictum
»in eos omnes convenire possit, qui philosophiæ studio
»sese dedunt. Siquidem re ipsa, natio hæc hominum, non
»modo quid proximus ac vicinus agat, verum etiam homo-
»ne ille sit, an aliud quoddam animantis genus, propemodum
»ignorat : tamen eadem quid homo ipse sit, quidve natu-
»ram ejusmodi, præter aliarum conditionem vel agere, vel
»pati deceat, cum rimatur studiose, tum in ea cura laboris
»plurimum ac difficultatis exhaurit. Jamne intelligis, mi

» Theodore? an non? Intelligo equidem. Et vera sane lo-
» queris. Nimirum ergo, qui ejusmodi fuerit, Theodore,
» is seu privatim cum quocunque versabitur, seu publice,
» quemadmodum initio dixi, vel in judicio, vel ubi, de
» rebus quas ante pedes, atque in oculis habeat, dicere
» cogetur, non Thressis modo mulierculis, sed etiam reli-
» quæ multitudini risum movebit, cum ob rerum imperi-
» tiam, in puteos atque in omnis dubitationis æstum inci-
» derit. Et quidem grave admodum stuporis genus ineptiarum
» est, quod afferat opinionem stultitiæ. Nam ut aliorum
» conviciis appetitus, quod proprium ipse nihil habeat,
» quo vicissim alios remordeat (quippe qui nullum cujus-
» quam vitium noverrit, procul ab simili cogitatione semo-
» tus); ob hæsitantiam ridiculus esse solet : sic in aliorum
» etiam laudibus, et insolenti rerum suarum jactantia, dum
» idem non simulate, sed vere palamque ridet, bardus ac
» delirus videtur. Nam tyrannum aut regem laudari si
» audiet, pecuarium sibi aliquem, subulcum puta, vel pas-
» torem, vel bubulcum, quod affatim mulgeat, beatum
» celebrari persuadebit : nisi quod abs tyrannis ac regibus
» difficilius ac magis insidiosum animantis genus, quam ab
» aliis pasci ac mulgeri existimat. Enimvero philosophum
» istum, quod rerum usu nullo sit, nihilominus quam
» pastores ipsos rusticum ac rudem esse necesse est, qui
» mœnibus in urbe, non secus ac caulis in monte cingatur.
» Idem si forte decem jugerum millia, vel etiam plura
» commemorari audierit, perinde ac si eorum possessor
» vim agrorum immensam possideret, exiguum sibi quid-
» dam audire videbitur, quod orbem terrarum universum
» animo complecti soleat. Jam qui ad efferandam generis
» alicujus antiquitatem, avos ab illo septem, eosque locu-
» pletes nominari posse dictitant, genus hoc laudis, homi-
» num esse obtusi admodum angustique visus arbitratur.

» qui stultitiæ suæ vitio rerum universitatem perpetuo circumspicere non possint, nec omnino cogitare, innumerabilem cuique avorum esse majorumque multitudinem, in qua sæpe divitum et inopum, regum et servorum, barbarorum et Græcorum series infinita ducatur. Qui si quinque ac viginti majorum stemmate glorientur, aut suum quoque genus ad Herculem Amphitryonis filium referant, vile nimis ac putidum jactantiæ genus arbitratur. Nam quod alius retro quintus ac vigesimus ab Amphitryone, alius ab eodem quinquagesimus, eo natus uterque loco sit, quem sua cuique fortuna statuerit, risum tenere non potest, cum istos nec secum id cogitare, nec stolidæ mentis ineptias excutere posse animadvertit. Idem vero in his omnibus ab hominum vulgo deridetur, partim quod cæteros arroganter despicere videatur, partim quod in obviis quibusque cæcutiat ac titubet. Prorsus uti res est loqueris, mi Socrates. At vero, Theodore, si quem vicissim ex istis sursum philosophus traxerit, cumque angustiori hac quæstione relicta, qua in re vel ego te, vel tu me ipse læseris, ad plenam illam et integram de justitia et injustitia disputationem accedere, quid per sese utraque sit, qui vel ambæ a cæteris omnibus, vel altera differat ab altera, enucleare jusserit : aut si eumdem ab illo vulgari, utrum fortunatus rex ille sit, qui magnam auri vim possideat, ad universam regni, adeoque totius humanæ felicitatis aut miseriæ contemplationem traduxerit, ut statuat, tum quænam propria sit utriusque ratio, tum quemadmodum utramque vel suscipere vel declinare hominis naturæ conveniat. De his omnibus cum nostro huic tam angustæ mentis, quam acri ac vehementi rabulæ pronutiandum erit, tum enimvero quamdam veluti talionis legem subibit. Nam e superiore loco pendulus, et inferiora despiciens, insolentia rei

» vertiginem subito patietur, et partim æstuando, partim hæsi-
» tando, partim barbarum nescio quid commurmurando,
» risum vicissim, non jam Thressis quibusdam, aut bardo cui-
» piam ac stupido, qui ejusmodi nihil sentire possit; at is de-
» mum qui aliter ac mancipia educati fuerint, omnibus exci-
» tabit. Talis est, mi Theodore, hominis utriusque conditio.
» Altera quidem ejus, qui re ipsa in libertate et otio educa-
» tus fuerit, quem tu philosophum vocas. Huic enim impu-
» ne ac sine probro liceat, cum in servile ministerii genus
» inciderit, simplicem et ineptum videri, adeoque nullum
» esse, qui exempli causa nec stragula componere, nec
» cibos obsoniis, nec blanditiis orationem condire noverit.
» Altera vero ejus est, qui cum strenuam istis omnibus
» operam eleganter et expedite navare possit, ingenui tamen
» ac liberalis chori vel prolusionem solerter instituere non
» potest, ne dum ut orationis concentu integre accurateque
» percepto, veram aut deorum aut beatorum hominum vi-
» tam celebrare queat. Si fidem, o Socrates, ab aliis omni-
» bus perinde ut abs me hoc in genere impetrares, major
» sane quies, malorumque minus in humana vita versaretur.
» Atqui fieri, mi Theodore, non potest, uti mala vel omni-
» no tollantur (cum aliquid semper bono contrarium su-
» peresse necesse sit), vel apud deos locum habeant. At
» circa mortalem naturam, et inferiorem hanc regionem
» assidue necessarioque vagantur. Quamobrem enitendum
» præcipue nobis, ut hinc ea celeritate quanta fieri poterit
» maxima fugiamus. Quæ quidem fuga nihil est aliud, quam
» similitudo cum Deo, quatenus ad eam aspirare licet. Hoc
» porro similitudinis genus in æquitate, sanctimonia, pru-
» dentiaque consistit. Sed enim, vir optime, usque adeo
» facile persuaderi non potest, non eo consilio quod homi-
» num vulgo, cum in vitio fugiendo, tum in persequenda
» virtute propositum esse solet, incumbendum in alterum

» esse, ab altero discedendum, hoc est, ne malus, sed po
» tius ut bonus esse videaris. Hæ quippe sunt, ut mihi qui-
» dem videntur, aniles quas vocant fabulæ. Cæterum, quod
» omnino verum est, ita statuimus. Deus nullo plane modo
» injustus est, sed vim omnem justitiæ perfectionemque
» complexus; nec similius ei quicquam esse possit, quam
» qui justissimus etiam inter homines fuerit. Hac una re vis
» omnis industriaque hominis, inertia simul imbecillitas æs-
» timari debet. Nam ut ejus cognitio vera est cum virtute
» sapientia; sic ejusdem ignoratio, certissima cum inscitia,
» tum improbitas est. Cætera quæ vulgo videntur facultatis
» ac solertiæ genera, et in civili administratione gravia sunt
» ac molesta, et in artium classe illiberalia. Quisquis igitur
» aliis injuriosus est, resque indignas aut loquitur, aut mo-
» litur, ei sane quam optimum fuerit, si nunquam id ipsi
» concedamus, ut astutia valere dicatur. Gaudent enim hoc
» probi genere, sibique persuadent, aliud significari nihil,
» quam sese non stipites quosdam esse, aut inutilia terræ
» pondera, sed homines ejusmodi, quales eos esse, qui in re-
» publica maxime retineantur, oporteat. Verum ergo palam
» et aperte dicendum est, eos nimirum, quales minime ar-
» bitrantur, hoc est magis, quo minus arbitrantur. Veram
» enim ac propriam improbitatis pœnam ignorant, quam
» minime omnium ignorare debuerant. Nec enim illa, in
» plagis, ut existimant, aut morte consistit, cum ista sæ-
» penumero subeant illi quoque, qui nihil peccarunt; sed
» illa demum est, quam effugere improbus nemo possit.
» Quam tu pœnam intelligis? Cum in rerum natura, mi
» Theodore, exemplaria duo sint; divinum alterum idem-
» que beatissimum, alterum impium, idemque miserrimum:
» illi dum ita rem habere non vident, quo stupore sunt
» atque dementia, alteri se flagitiis acceleribus persimi-
» les, alteri dissimillimes fieri non sentiunt. Cujus sane de-

» licti hoc ipso pœnas luunt, quo vitam agunt, ei cujus » similes efficiuntur, maxime consentaneam. Quibus si futurum præterea comminemur, nisi ab ista nequitiæ vi » discesserint, uti non jam eos post obitum locus ille ab » omni sceleratorum contagione semotus excipiat, sed potius » ut istic sibi moribusque suis persimilem vitæ rationem » perpetuo habeant, hoc est, ut cum improbis improbi versari cogantur; id enimvero non secus ac delirantium quorundam somnium, homines plani ac versipelles exaudient. » Ita prorsus, o Socrates. Equidem id probe novi, Theodore. » Sed tamen hoc iis saltem usu venit, ut si quando privatim, rerum earum quas despicere ac deridere solent, ultro » citroque rationes expendere oportuerit, atque hac in disputatione gradum paulo diutius et constantius figere, non » turpiter fugere voluerint : tum vero ne sibi quidem ipsis » in oratione sua placeant, suaque sibi rhetorica nescio quo » pacto contabescat; prorsus, nihil ut a pueris differre » videantur. »

CAPUT XXX.

—

De toto illo sophisticæ genere, quod inter homines reperiri solet.

In nostris quoque libris de toto illo sophisticæ genere, quod hominum animos occupavit, multa dicuntur : « Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum[1]. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, et pru-

[1] 1 Cor. 1, 19.

» dentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? » ubi conquisitor hujus sæculi [1].» Similiter ab iis qui divinam philosophiam profiteri velint, humile abjectumque nihil cogitandum esse his verbis edocemur : « Considerantibus » nobis non quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ » enim videntur momentanea sunt; quæ vero non videntur » æterna [2]. » Præterea improbitatem circa terram vitamque mortalem volutari, aliquot Scripturæ divinæ locis admonemur; ut cum ait : « Redimentes tempus, quoniam dies mali » sunt [3]. » Itemque, « Sufficiat diei malitia sua [4]. « Quinetiam » Propheta, Execratio, *inquit*, et furtum, et adulterium, » et cædes effusa sunt super terram, et sanguines sanguini- » bus miscent [5]. » Hinc etiam ad Deum nobis confugiendum esse Moses edicens, « Post Dominum Deum tuum ambula- » bis, et ipsi adhærebis [6]. » Imo Deum ipsum nobis imitandum esse docet his verbis : « Sancti eritis, quoniam Domi- » nus Deus vester sanctus est. » Itemque David, cum justum esse Deum intelligeret, nosque ad ejus imitationem cohortaretur, « Justus Dominus, *inquiebat*; et justitias dilexit [7].» Idem contemptum divitiarum hoc modo præcipiebat : « Di- » vitiæ si affluant, nolite cor apponere [8].» Et rursus : « Ne ti- » meas cum dives factus fuerit homo, aut cum multiplicata » fuerit gloria domus ejus : Quoniam, cum mortuus fuerit » non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus [9]. » Honores etiam et magistratus humanos nihili admodum æstimandos esse docuit, dum ait : « Nolite confidere in » principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. » Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa » die peribunt omnes cogitationes ejus [10]. »

[1] Is. XXIX, 14. — [2] Ephes. V, 16. — [3] Matth. VI, 24. — [4] Oseæ. IV, 2. — [5] Deut. X, 20. — [6] Levit. XI, 45. — [7] Ps. X, 7. — [8] Ps. LXI, 11. — [9] Psal. XLVIII, 17. — [10] Psal. CXLV, 3.

CAPUT XXXI.

—

Falso nonnunquam, veluti pharmaco, ad eorum utilitatem, qui hoc loquendi genere opus habeant, utendum esse.

« Legislator, inquit Plato[1] qui nonnihil prodesse voluerit, etiamsi non eo se modo res haberet, quo sese habere » jam evicimus, si quid unquam apud juniores utilitatis » causa falsi dicere potuit, est ne quod utilius unquam po- » tuerit, aut quo facilius efficiat, ut omnes ad omnia æqui- » tatis officia, non vi, sed ultro ac sponte adducantur? » Veritas quidem, mi hospes, egregium quid ac stabile » est, at eam persuadere, non ita promptum. » His tu affinia Hebræorum in litteris sexcenta reperies, quibus Deum modo æmulari, modo vel sopitum, vel iratum, aut aliis quibusdam humanis perturbationibus obnoxium faciunt, dum eorum consulunt rationibus, qui hoc loquendi genere opus habent.

[1] Plat. Leg. lib. 1.

CAPUT XXXII.

Non solum viros, sed etiam mulieres, adeoque genus hominum universum, hujus in disciplinæ communionem vocandum esse.

« An inter nos, inquit Plato[1], de superioribus illis convenit? Quænam illa? Oportere videlicet, uti omnes tam » viri quam pueri, tam liberi quam servi, tam fæminæ » quam mares, totaque adeo respublica toti reipublicæ, » quæ præcepimus carminum genera nunquam accinere » desinat, semper tamen immutata nonnihil, atque omni » subinde varietate temperata, ut hymnorum istorum vo» luptas nullam unquam suis modulatoribus afferat satie» tatem, quî tandem negari posset, quin ita fieri oporteat?» His gemina sunt, quæ idem Plato reipublicæ quinto docet his verbis. « Num tu aliquid ipse nosti, quod ab » hominibus tractari soleat, in quo non virorum genus » muliebri omnibus hisce naturæ dotibus antecellat? An » pluribus nobis in texendi, placentas et obsonia confi» ciendi artificio, ac cæteris id genus recensendis immo» randum, in quibus sane fæminarum genus esse aliquid » videtur, et tamen vinci perridiculum est? Vera loqueris, » *inquit*. Nam et in omnibus, ut ita dicam, genus a genere » plurimum superatur, et tamen viris plerisque multæ sæpe » mulieres pluribus in rebus antecellunt. Cæterum uni» verse ita res habet uti dicis. Munus igitur, o amice, inter » eos qui rempublicam gerunt, nullum est, quod aut mu» lieris, quatenus mulier, aut viri, quatenus vir est pro-

[1] Ibid.

» prium sit : sed in utroque sexu simili quodammodo pro-
» seminatæ sunt naturæ dotes, ita ut viri simul ac mulieres
» in eorumdem studiorum communionem vocentur, licet in
» omnibus mulier viro longe sit infirmior. Ita prorsus. Quid
» igitur? Omniane viris imperabimus, mulieri nihil? Cur
» enim? Ex fœminis utique, alias (ut postea dicemus) ad
» medicinam aptas reperies, alias minime : itemque alias ad
» musicam a natura comparatas, alias ab eadem per sese
» abhorrentes. Enimvero. Alias præterea cum exercitatio-
» nibus publicis, tum etiam bello gerendo idoneas, ineptas
» ad utrumque alias. Idem mihi videtur. Quid porro sapien-
» tia, non eam similiter aliæ studio, aliæ odio prosequuntur?
» Non aliæ rursus ferociores habent spiritus, aliæ humiliores?
» Et hoc tibi assentior. Nonnullæ sunt etiam ad custodien-
» dum aptæ, aliæ non item. Nunquid enim ejusmodi ali-
» quam virorum idoneam custodiæ naturam secrevimus?
» Sane secrevimus. Eadem ergo tam viri quam mulieris ad
» reipublicæ custodiam natura est ; nisi quod infirmior
» hujus est, illius robustior. Eadem. Erunt igitur cum
» ejusmodi viris, aliquot etiam id genus mulieres seligendæ,
» ut eum iis civitatem incolant pariter, pariterque custo-
» diant, cum et hoc ad muneris genus idoneæ sint, et cum
» viris naturæ cognationem habeant. » Ita Plato. Jure igitur
ac merito leges quoque nostræ, genus omne tam mulie-
rum quam virorum, tam servorum quam liberorum, tam
barbarorum quam Græcorum, in divinæ doctrinæ ac philo-
sophiæ communionem admittit.

CAPUT XXXIII.

—

Eorum causa, qui minus apud nos, ex rationis præscripto vivunt, genus universum traducendum non esse.

« Atque hoc in genere ita philosophemur, inquit Plato. » Age, si quis capras alere, adeoque pecoris hoc et pos- » sessionis genus, tanquam fructuosum laudaret ; alius » contra, quod forte capras alicubi dum sine caprario pas- » cerent, cultis quibusdam agris damnum inferre vidisset, » improbaret : semelque gregem universum aut sine pas- » tore, aut cum malis pastoribus intuitus, continuo rem » totam vellicaret; eum ne propterea sano maturoque ju- » dicio quodlibet aliud pecoris genus repudiaturum arbi- » tramur ? » Cur autem ? Et paucis interjectis, « Quid porro » societatis cujuscunque seu laudatorem, seu vituperato- » rem, quæ cum per se moderatori parere debeat, tum etiam » cum eo conjuncta plurimum affert utilitatis ? Si nunquam » illam viderit, secum ipsam et cum suo moderatore ver- » sari, sed potius aut semper omni magitratu carere, aut » cum improbis tantum magistratibus consuescere ? An » istos, amabo, societatum ejusmodi spectatores, recte » quicquam aut vituperare posse, aut laudare putabimus ? » Nam qui ? » Hæc ille. Verum ergo similiter non fuerit, si quos fortasse apud nos, aut sine moderatore ac principe, aut cum pravis magistratibus, se perperam gerere constiterit, illico totum hoc scholarum nostrarum genus reprehendere : sed potius ex eorum qui recte in iis probeque versentur, moribus, religiosum ac pium reipublicæ institutum admirari.

CAPUT XXXIV.

Quemadmodum Plato quædam ex Proverbiis oracula, Græca dictione purius et elegantius expresserit.

In Salominis Proverbiis ita breviter legitur. « Memoria » justorum cum laudibus, nomen vero impiorum extin- » guitur. » Itemque, « Ne beatum dixeris virum, ante mortem » ejus. » Audi vero quemadmodum loci utriusque sententiam Plato Legum septimo reddiderit: « E civibus, inquit » ille, qui finem vivendi fecerint, eos, si modo corpore » vel animo præclare ac strenue se gesserint, legibusque » paruerint, laudibus celebrari verum fuerit. Quidni ante? » At dum adhuc vivunt, hoc eos laudationum et cantuum » genere prosequi, minus securum, omninoque priusquam » decurso quis toto vitæ spatio, laudabili eam exitu termi- » narit. Atque hæc omnia nobis ex æquo tam mulieribus » quam fæminis, qui modo eximia probitate fuerimus, » communia sunto. »

CAPUT XXXV.

De Opibus et Inopia.

Salomonis in Proverbiis hæc precatio est: « Divitias et » paupertatem ne dederis mihi. » Plato autem reipublicæ

tertio, « Ergo alia quædam, *inquit*, ni fallor, reperimus, » quæ ne in civitatem furtim unquam et occulte subeant, » ab ejus Moderatoribus omni provisione cavendum erit. » Quænam illa? Opes, inquam, et inopia : quod ille quidem » luxum, ignaviam, rerumque novarum molitionem inve- » hant, hæc vero præter factiones, illiberalitatem simul at- » que malitiam. Malitiæ autem nomine indignum omne » facinus continetur. »

CAPUT XXXVI.

—

De parentum Honore et Observantia.

Mosis hoc in suis Legibus præceptum est : « Quilibet pa- » trem suum et matrem timeat. » Itemque, « Honora patrem » tuum, et matrem tuam, ut bene tibi sit. » Hoc metus ho- norisque genus Plato[1] similiter in Legibus ita sanxit. « Qui- » cunque mentis compos fuerit, *inquit*, is parentum suo- » rum preces ac vota metuet, plurimique faciet, quod in mul- » tis et sæpius commissa illa et convicta esse noverit. » Rur- susque alio libro[2]. « Nemo non apud nos eum a quo ætate » superabitur, tam opere quam verbis observato. Qui au- » tem se annis viginti antecedet, seu vir ille, seu fæmina » fuerit, hunc in patris aut matris loco habens, venerator. »

[1] Plat. Leg. lib. XI. — [2] Plat., Leg. lib. IX.

CAPUT XXXVII.

De Possessione servorum.

Vetuit Moses in legibus, ne Hebræis Hebræi serviant, addiditque, « Si emeris servum Hebræum, sex annos ser» viet tibi; septimo autem anno dimittes eum liberum. » Quibus gemina Plato in Republica præcipiens, « Græcum, » *inquit*[1], servum Græcus nemo possideat, idque cum cives » nostri diligenter observent, tum aliis quoque Græcis idem ut » faciant auctores sint. Prorsus, inquit. Sic enimvero futu» rum est, ut multo libentius, dum sibi mutuo parcent, in » barbaros arma convertant. »

CAPUT XXXVIII.

Quomodo illud Mosis expresserit, terminos æternos ne transferas quos posuerunt patres tui.

« Nemo, *inquit*[2], agri fines moveto, neque civis ullius » sui quem vicinum habuerit, neque alterius cujuscunque » finitimi etiam extranei, qui fundum sub extremos agri » sui limites possideat; ratus vere id esse, immota, quod » aiunt, loco movere. » Tum addit », Si quis fixos limites » transiliens vicini agrum cum suo coluerit, non modo jus-

[1] Plat. de Leg. lib. v. — [2] Id. Leg. lib. viii.

» tum ei damnum sarcito, verum etiam ut hominis impu» dentiæ et illiberalitati medicina fiat, illati detrimenti du» plum alterum ei quem læserit, repræsentato. »

CAPUT XXXIX.

Locus Platonis huic similis, reddens peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, iis qui oderunt me.

« Rem ut verbo complectar, *inquit*, nec parentis probra, » nec pœnæ liberorum quemquam alium consequantor, nisi » si quando pater, et avus, et avi pater continenti serie pœ» nas luere debeant. »

CAPUT XL.

De Furibus.

Mosis lex est : « Si quis furatus fuerit vitulum aut » ovem, si jugulaverit, aut vendiderit, quinque vitulos » reddet pro vitulo, et quatuor oves pro ove. Quod si de» prehensum fuerit et repertum in manu ejus furtum, a vi» tulo et asino usque ad ovem, viventia dupla restituet[1].» Audi jam, quemadmodum Plato similia statuat : « Si fur, » *inquit*[2], rem quamlibet seu magnam seu parvam furabi-

[1] Exod. XXII, I et IV. — [2] Plat. Leg. lib. IX.

» tur, lex in omnes una, una judicio pœna statuatur : primum, quod furto sublatum erit, uti duplum ejus repræsentet, quisquis furti damnatus erit, si modo supra sortem solvere per reliquarum facultatum copiam poterit : sin autem; in vinculis sit, donec aut solverit, aut ab eo a quo furti damnatus est veniam impetrarit.»

CAPUT XLI.

De Fure interfecto.

Præterea, cum ita statuisset Moses, « Si fur parietem » effodiens deprehensus, et plagis acceptis mortuus fuerit, » cædes alteri non imputabitur[1]. » Plato deinde affinia sanciens, « Qui nocturnum furem, *inquit*[2], in ædes furandi » animo subeuntem interfecerit, innocens esto. Similiter » qui grassatorem, dum vim vi repellit, occiderit, innocens esto. »

CAPUT XLII.

De Jumento.

« Si jumentum, inquit Plato[3], aut aliud animantis genus quempiam interfecerit, nisi tamen ab aliquo ex iis, » quæ ad publicos solemnesque ludos adhibentur, in ipso

[1] Exod. XII. — [2] Plat. Leg. lib. IX. — [3] Ibid.

»certaminis æstu id fieret, cædis reum ab interfecti pro-»pinquis peragatur. Qua de causa cognoscant agrorum cu-»ratores ii, quibus a propinquo mandatum negotium erit. »Ii vero damnatum jumentum, ubi morte mulctaverint, »ex illius regionis finibus ejiciant.» Hæc Plato. Ante quem Moses ita jam hoc in genere statuerat, «Si taurus virum »aut mulierem cornu percusserit, si percussus mortuus »fuerit; lapidabitur taurus, nec comedentur carnes ejus : »dominus vero tauri innocens erit[1].»

CAPUT XLIII.

Platonem iisdem, quibus Hebræorum litteræ similitudinibus usum esse.

Prophetæ vox est «Fili hominis : ecce facti sunt mihi »domus Israel, permixti omnes ære, et stanno, et ferro, »et plumbo. In medio fornacis argenti permixti sunt. »Propterea dic, Hæc dicit Dominus, Pro eo quod facti es-»tis omnes in massam unam, propterea ego suscipiam vos, »quemadmodum suscipitur argentum, et æs, et ferrum, »et plumbum, et stannum in medio fornacis, ut insuffle-»tur in eos ignis, ipsique conflentur[2].» Jam audi sis, quam affinia loquatur Plato. «Fabulæ igitur, *inquit*[3], »quod superest auditote. Enimvero quotquot in civitate »versamur (sic enim hanc iis fabulam pertexemus), fra-»tres sumus omnes. Verum fictor ille Deus, ut aiunt, qui »ex nobis ad imperandum apti essent, aurum iis dum pro-»crearentur admiscuit, ex quo plurimum dignitatis con-

[1] Exod. XXI. 28. — [2] Ezech. XXII, 18. — [3] Plat. de Rep. lib. III.

» secuti sunt. Qui vero ad operam aliis navandam idonei » forent, his argentum aspersit : agricolis denique ac cæte- » ris opificibus, ferrum atque æs infudit. Ergo cum tanta » omnes cognatione conjuncti simus, nobis quidem ut » plurimum similes procreamus : sed tamen contingit ali- » quando, ut ex aureo argenteum, vel ex argenteo au- » reum, cæteraque vicissim omnia ex aliis alia generentur. » Principibus igitur ac magistratibus primum hoc Deus ac » præcipue mandat, uti nihil æque diligenter ac studiose » curandum sibi ac providendum existiment, quam ut ex » iis metallis quid cuique liberorum nepotumque suorum » animo admixtum sit, intelligant. Quos porro ex illis aut » subæreos, aut subferreos esse cognoverint, iis nihil pror- » sus indulgeant, sed illos prout naturæ suæ conditio pos- » tulabit, in opificum aut agricolarum classem ordinemque » transcribant. Similiter, quos vel subaureos, vel subar- » genteos a natura factos esse deprehenderint, eos pro sua » quemque dignitate, ad rempublicam vel gerendam, vel » juvandam admoveant. Tum enim utique rempublicam » interire oportebit, cum ejus administrationem ferreus » quispiam æreusve custos susceperit. Num tu vero artem » aliquam atque rationem in promptu habes, qua hac iis fa- » bula persuaderi possit ? »

CAPUT XLIV.

De iisdem similibus.

Alia quædam apud Hebræos prophetia est, qua populi principes ita compellantur : « O pastores Israel, numquid » pastores semetipsos pascunt? Nonne pastores oves suas » pascunt? Ecce lac comeditis, et quod crassum est jugu- » latis, et lanis operimini, oves autem meas non pascitis : » quod perierat non quæsistis, et quod confractum erat » non alligastis, et quod erraverat non reduxistis[1]. » Quo etiam illud salutaris Evangelii pertinet : « Bonus pastor » animam suam ponit pro ovibus suis; mercenarius au- » tem, et cui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, » dimittit eas[2]. Jam vero Platonem audi, quemadmodum illa ipsa primo de Republica interpretetur. « Nunc autem, » inquit, vides, mi Thrasymache (ut superiora illa de- » nuo repetamus), te, qui verum medicum principio de- » finieris, deinceps tamen veri pastoris esse noluisse, dili- » genter ac studiose gregem custodire, sed potius eum, » quatenus pastor est, sic oves suas pascere, ut non jam » quî oves optime habeant, sed epulonis cujusdam convi- » vium instruentis more, qui laute convivas suos excipiat, » attente consideret : vel sane quemadmodum eas, tan- » quam æruscator aliquis, non tanquam pastor, suo com- » pendio vendat. Arti sane pastorali curæ aliud nihil est, » quam ut creditis sibi commissisque gregibus optima quæ- » que ac saluberrima provideat. Nam artem ipsam quod

[1] Ezech. XXXIV, 2. — [2] Joan. X, 11. — [3] Plat. de Repub. lib. I.

» attinet, abunde, ni fallor, rebus per sese omnibus, ut » optima illa vereque pastoralis omnino sit, necessariis in- » structa est. Ita nunc quidem fateri necesse est arbitrabar, » principatum omnem, quatenus principatus est, ejus- » modi esse, qui alteri nemini, quam potestati suæ fidei- » que commissis, optima quæque prospiciat, seu publicus » ille sit, seu privatus etiam principatus. Tu vero rerum pu- » blicarum principes, si vero modo principes fuerint, prin- » cipatum ultro gerere arbitraris? »

CAPUT XLV.

—

De iisdem.

Alterius apud Hebræos prophetæ vox est, « Ex timore » tuo, Domine, in utero concepimus, et parturivimus, et » peperimus spiritum salutis[1]. » Plato autem in Theæteto Socratem ita loquentem inducit. « Qui consuetudine mea » utuntur, *inquit*, ii fæminis parientibus persimiles sunt. » Parturiunt illi siquidem, et noctes atque dies ipsis etiam » puerperis vehementius angi solent. Hunc vero partus » dolorem artis meæ vi cum excitare ipse, tum etiam levare » possum. »

[1] Isa. XXVI, 18.

CAPUT XLVI.

De iisdem.

Ezechielis prophetæ est quod sequitur, « Et facta est super me manus Domini, et vidi, et ecce ventus turbinis »veniebat ab aquilone. » Et paulo post : « Et in medio, »quasi similitudo quatuor animalium, Et hic aspectus eorum. Quasi similitudo hominis in eis, et quatuor facies »uni. Similitudo autem vultuum eorum, facies hominis, »et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem »vituli a sinistris ipsorum quatuor. Et facies aquilæ ipsorum quatuor[1]. » Nunc audi sis, quam similia Plato loquatur. « Jam vero[2] (sic ad ipsum ego) hac de re philosophemur, quandoquidem inter nos convenit, qualem injuste ac juste se gerere vim et rationem habeat. Quomodo, inquit, philosophari placet? Ita nimirum, inquam, »ut imaginem animi quamdam oratione fingamus, ut quisquis illa commemorabit, quo de loquatur intelligat. »Quam porro? inquit ille. Cui ego. Aliquam ejusmodi, »quales naturas olim Chimæræ, Scyllæ, Cerberi, aliasque non paucas fuisse fabulantur, quarum multiplices »formæ inter sese complexæ, unum in aliquid ortu ipso »coalescerent. Sane, inquit, ejusmodi aliquas extitisse ferunt. Age ergo, inquam, finge mihi variæ cujusdam ac »multicipitis animantis speciem, unam illam quidem, sed »tamen ejusmodi, quæ partim cicurum, partim ferarum »capitibus in orbem pluribus instructa, eadem non mu-

[1] Ezech. I, 4. — [2] Plat. de Rep., lib. IX.

» tare modo, sed etiam producere omnia ex sese possit.
» Fictoris, inquit, opus narras oppido quam solertis; sed
» tamen, quando istis etiam de rebus vel cera ipsa facilior
» ac mollior ad fingendum oratio est, fingatur illud sane.
» Tum, aliam mihi deinceps leonis speciem finge, itemque
» hominis aliam : ita quidem ut prior ille longe maxima
» sit, posterior vero, magnitudine quoque posterior. Hæc
» vero, inquit, etiam faciliora sunt, itaque ficta jam sunt.
» Jam unum in aliquid tria ista conflato, quasi sub ortum
» inter sese coaluerint. Conflata sunt, inquit. Iis tu porro
» extrinsecus communem unius, sed hominis effigiem, cir-
» cumdato, ut qui, quod interiorem illam speciem pervi-
» dere non possit, externum hoc duntaxat involucrum as-
» piciet, huic unum aliquod animal, homo, inquam, unus
» appareat. Circumdatam puta, inquit. Nunc ei demum,
» qui injuste agere huic homini conducere velit, juste
» idem prodesse neget, aliud cum nihil dicere opponamus,
» quam id ipsi conducere, uti dum bestiam illam pascit
» adeo multiplicem, leonem quidem leonisque partes vi-
» ribus augeat : hominem vero fame conficiat, tamque im-
» becillum esse permittat, ut quocunque alterutrum ex il-
» lis abduxerit, rapiatur : adeoque nunquam alterum cum
» altero mutua familiarite conciliet, sed potius pugnare
» inter sese perpetuo, mordere invicem, ac devorare pa-
» tiatur. Prorsus, inquit, hæc dixerit, quisquis injuriam
» facere, laudi tribuerit; Ergo, similiter, inquam, æquita-
» tis officia juvare qui dixerit, is simul ea cum verbis, tum
» rebus etiam ipsis usurpanda esse dixerit, quorum vi homo
» nostri hujus hominis interior summum teneat principatum,
» sicque tanquam agricola, animantis illius multicipitis cu-
» ram suscipiens, quicquid mansuetum erit, alat ipse, et
» magis magisque cicuret; ferum contra quicquid et immane
» foret, id ne existere quidem nascique patiatur, adhibito

» etiam naturæ leonis auxilio : atque ita communibus om-
» nium rationibus prospiciens, eaque cum inter sese mu-
» tuo, tum secum omnia concilians, novum animantis ge-
» nus enutriat. Utique hæc simul omnia dixerit, quisquis
» æquitatem laudaverit. »

CAPUT XLVII.

Platonem duodecim in tribus cives distribui voluisse, Judaici populi exemplum sequutum.

Gens Hebræorum universa duodecim in tribus divisa fuerat. Quod exemplum sequutus Plato, id ipsum in civium suorum tributione servandum ita sanxit. « Duodecim » in partes, *inquit*[1], easque, quoad fieri poterit, æquales, » tota nobis regio tribuatur. Partibus autem singulis sua » quæque tribus assignata : Quinque viros quotannis, » quasi agrorum curatores, tribuumque principes consti- » tuat. Tum ab iis alios præterea, ordinum ductores, ha- » bito delectu, creari vult; eosque duodecim, qui belli » tempore duces futuri sint, singulos singulis tribubus as- » signatos. »

[1] Plat. de Rep. lib. VI.

CAPUT XLVIII.

Urbem in loco fluviatili condendam Plato statuit : quem Hierosolymorum regioni persimilem describit.

Regiam Hebræi metropolin eo loco situque jam olim conditam habuerant, ut cum procul abesset a mari, tum in montium jugis ædificata, rerum omnium feracissimo agro uteretur. Huic persimilem eam, quam suis in Legibus Plato condidit, esse cupiebat, dum ita scripsit[1]. « Sed potius id quæro, utrum maritima urbs illa, an mediterranea sit futura? Ea quidem, mi hospes, qua de loquuti adhuc sumus, a mari abest, stadiis circiter octoginta. Portus autem quid ? utrum absunt ab ea propius ? an omnino nulli sunt ? Imo hercle, mi hospes, portuosa illa est, ut quæ maxime. Papæ! quam rem commemoras? Quid autem illius ager? Rerumne ferax omnium, an aliquarum indigens ? Caret prope nulla. Urbemne aliquam vicinam habet? nullam admodum: quo fit, ut eo coloni hodieque deducantur. Incolarum enim, quæ jam olim contigit, iis e sedibus migratio, in causa fuit, quamobrem tota illa regio solitudine perdiu laborarit. Campos vero, montes, sylvasque quod attinet, qualis ea tandem est? Qualis fere tota Cretensis ora. Nempe asperiorem illam potius, quam planiorem universe dixeris. Utique. Salutis ergo non est ita depositæ, ut virtutis curationem omnem ac possessionem excludat. Nam si maritima simul ac portuosa esset, nec rebus abun-

[1] Plat. Leg. lib. VI.

» daret omnibus, sed pluribus indigeret; magnum profecto
» servatorem, ac divinos plane legislatores desideraret,
» quorum industria, quæ situm haberet illum, immanem
» quamdam alienorum pravorumque rituum colluviem effu-
» geret. Nunc vero nonnihil huic periculo medetur inter-
» vallum a mari stadiorum octoginta. Tametsi enim, pro
» eo quod usque adeo portuosam illam esse ais, aliquanto
» sit quam par esset, mari propinquior, commoda tamen
» est vel ea distantiæ ratio. Mare enim cui regioni proxi-
» mum est, huic suavis quidem sed in diem, re ipsa vero
» salsa profecto nimis et acerba vicinia est. Dum enim illa
» sese cauponando mercibus ac pecuniis implet, simulque
» veteratorios infidelesque mores hominum mentibus inse-
» rit, efficit continuo, uti neque secum ipsa, neque cum
» aliis similiter populis ullo amplius fidei ac societatis vinculo
» conjuncta teneatur. Cui etiam malo medicinam aliquam
» facit, sua illa rerum omnium fœcunditas. Nam pro eo at-
» que asperior est, simul quidem et nihil non ferre, et
» abunde omnia ferre non potest. Quod utrumque si ha-
» beret, ut rerum inde multarum exportatio fieret, ita ma-
» gna vicissim argenti aurique copia repleretur: quo qui-
» dem malo, si malorum singulorum instituenda contentio
» est, nullum, ut semel dicam, urbi gravius, quodque ma-
» gis honestos ingenuosque mores impediat, esse possit. »
Hactenus Plato. Nos vero, quoniam adhuc quam Hebræis affinia statuerit, satis superque ostendimus; videamus deinceps, qui hebraicæ disciplinæ rationem tantopere probaverit, græcam idem quemadmodum repudiet. Id quod ex his decimi de Republica verbis intelliges.

CAPUT XLIX.

Quemadmodum Plato primam illam, quæ a Græcis usurpabatur, puerorum institutionem, tanquam perniciosam.

Rejiciat quod apud vos, inquit Plato[1], «dictum sit : (nec »enim me coram tragicis aut aliis quibuslibet poetis, »qui in imitatione versantur, accusabitis) : ejusmodi res, »pestis quædam mentis auditorum videtur esse, qui»bus in promptu remedium illud non sit, ut quales eæ »vere sint, intelligant. Quo tandem animo sic loqueris? »Dicendum, inquam, tametsi amor quidam observantia»que mea, quam adversus Homerum a puero hausi, quo »minus id dicam, impediat. Videtur enim primus ille isto»rum omnium egregiorum tragicorum magister et dux »fuisset. Ac nimirum hominem veritate potiorem habere »non debemus; sed potius dicendum in præsentia quod »agimus. Sane, inquit. » Tum quibusdam interjectis, « Ac »de cæteris quidem rebus, inquit, nullam vel ab Homero, vel »ab alio quovis poeta rationem exigamus : adeoque mitta»mus quærere, utrum ex iis medicus aliquis fuerit, »non medicæ tantum orationis imitator. Ecquos enim »ullus unquam poeta, seu vetustior, seu recentior, uti »Æsculapius fecit, morbo liberavit? Quos tandem, ut »posteros ille suos, medicinæ discipulos reliquit? Similiter »de artibus cæteris nullum a nobis verbum fiat. At vero »maxima illa et præstantissima quod attinet, quorum trac»tationem Homerus attingit, bella, inquam, imperiaque mi»litaria, rerumpublicarum administrationes, et præcepta

[1] Plat. de Rep. lib. x.

» hominibus informandis apta ; verum sane fuerit ita fere ho-
» minem compellare. Dic sodes, mi Homere, si tertius ali-
» quis a veritate non es, qui virtutis simulacrum fingas,
» (quem antea imitatorem esse diximus,) sed potius ab
» eadem secundus, atque ejusmodi, qui optime noveris,
» quibus studiis homines aut meliores, aut deteriores tam
» publice, quam privatim fiant : dic nobis, inquam, num
» quæ Respublica melius per te instituta fuerit, uti Lace-
» dæmon per Lycurgum, ac per alios plerosque, complu-
» res item aliæ tam majores, quam minores? Te vero, quæ
» tandem civitas bonum legislatorem appellat, aut merita
» erga se tua commemorat? Nam Charondam Italia simul
» atque Sicilia, nos Solonem agnoscimus. Te autem ecquæ
» celebrabit? Nulla, opinor, inquit Glauco. Ac ne ab ipsis
» quidem Homericis ejusmodi quicquam audias. Num quod
» vero bellum Homeri temporibus excitatum, eo vel duce, vel
» auctore feliciter gestum memoratur? nullum. An saltem
» plurima quædam ejus, tanquam hominis apprime rerum
» periti, vel in artibus, vel in aliis quibuslibet vitæ officiis,
» industriæ solertiæque plena inventa celebrantur? cujus-
» modi sane vel Thaletis Milesii, vel Anacharsis illius Scy-
» thæ multa fuisse didicimus. Affine prorsus nihil. At si
» minus publice, privatim quidem ipsum, dum viveret,
» num qui disciplinæ suæ ducem habuere? qui et ejus
» consuetudinem adamarint, et posteris ipsi suis Homeri-
» cum aliquod vitæ genus formamque transmiserint? Quem-
» admodum Pythagoras, cum ipse per se multorum hoc
» in genere approbationem habuit plane singularem, tum
» etiam extitere deinceps, qui Pythagoream, ut vocant,
» vitæ rationem hodieque profitentes, inter cæteros emi-
» nere videantur. Ne id quidem. Nam Creophilus quidem,
» o Socrates, is qui Homeri socius fuisse dicitur, disciplina
» forte magis, quam nomine ipso ridiculus appareat, si vera

» modo sint, quæ de Homero circumferunt. Quippe, illum » enim, etiam dum viveret ab suis æqualibus neglec- » tum admodum fuisse narrant. Narrant sane, inquam. Pu- » tas ne vero, mi Glauco, Homerum, si vere homines tan- » quam in eorum cognitione potius, quam imitatione versa- » tus, instituere ac meliores efficere potuisset, amicos sibi » sodalesque plurimos comparaturum non fuisse, a quibus » et observaretur et amaretur? Enimvero cum et Protago- » ras Abderites, et Prodicus ille Chius, aliique permulti, » æqualibus suis quibus familiariter utuntur, persuadere » possint, futurum uti nunquam ipsi rem familiarem aut » publicam administrare queant nisi eorum studiis et erudi- » ditioni præfuerint, ejusque sapientiæ vi tantum sibi tam- » que vehementem sectatorum suorum amorem concilient, » ut tantum non in capite ab iis ferantur: Homerum, ob- » secro, vel Hesiodum, si operam hominibus ad capessen- » dam virtutem navare possent, ætatis suæ homines car- » mina sua cantitando, vagari passim et errare paterentur, » ac non eos potius auro ipso cariores haberent, ac vel » in ædium suarum parte collocarent, vel si minus hoc ab » iis impetrarent, tamdiu certe illorum, ubicunque dege- » rent, præceptis informarentur, dum satis in eorum dis- » ciplina profecissent? Verissime, o Socrates, id abs te dic- » tum arbitror. Maneat igitur poetas omnes, Homero ipso » agmen ducente, virtutis ac cæterorum, de quibus ali- » quando scribunt, simulachra tantum imitari, veritatem » ipsam nunquam attingere. Videlicet, quemadmodum » paulo ante dicebamus, pictor, qui de arte coriaria nihil » unquam inaudierit, coriarium tamen sic effingit, ut artis » ejusdem imperitis, atque unam colorum ac figurarum » speciem intuentibus, coriarius videatur. Utique. Eodem » plane modo poetam, opinor, dixerimus, hospitem alio- » qui ac peregrinum in artibus, quas tantum imitari noverit,

» sic nomina tamen et vocabula singularum coloribus quibus-
» dam inducere, ut rem ipsam, qui speciem unam orationis
» attendunt, videre sibi videantur. Quare sive de coriaria sive
» de imperatoria, sive de qualibet alia re, versu numerose ac
» modulate cecinerit, egregie admodum loquutus putetur :
» tantam natura sua concentus ille suavior demulcendi vim
» habet. Nam Poetarum opera, dum per sese, atque illis
» musicæ nudata coloribus audiuntur, qualia demum videri,
» soleant, satis, opinor, intelligis. An tu sic ea aliquando
» spectasti? Equidem, inquit ille. » At his ita constitutis, placet hic etiam ex Platone pauca quædam attexere, quibus longe sapientius cum de Deo, tum de divina providentia philosophatur, Hebræorum etiam hoc in genere doctrinam sequutus. Ac primum hominum impiorum ac Divinitatem funditus exterminantium sententias quemadmodum exponat, videamus.

CAPUT L.

De Atheorum opinione. Ex Legum decimo.

« Docent, inquit Plato[1], nonnulli, res omnes, seu quæ
» factæ jam, seu quæ deinceps futuræ sunt, vel natura,
» vel arte, vel casu fieri. Præclare id quidem. Probabile
» sane fuerit, eruditos homines recte loquutos esse. Nos
» tamen eorum vestigiis insistentes, quid ii porro senserint,
» qui eorum ex disciplina profecti sunt, videamus. Videamus
» hercle. Videntur, inquiunt, maxima quæque ac præstan-
» tissima, vel natura vel casu; minora vero arte fieri : quæ
» videlicet majorum ac principum naturæ operum copiam

[1] Plat. Leg. lib. x.

» nacta, minima deinceps illa fingat atque moliatur, quæ ar-
» tificiosa vulgo nominamus. Cujusmodi est quod ais? Rem
» ita clarius accipe. Ignem, Aquam, Terram, et Aerem sic na-
» tura simul et casu existere volunt, nihil ut eorum ab arte
» pendeat. Similiter quæ loco post ea secundo recensentur
» corpora, hoc est rerum terrestrium, Solis, Lunæ, Side-
» rumque omnium, ex quatuor illis, anima licet omnino
» carentibus, esse conflata : quæ deinde pro suæ quæque
» vis facultatisque fortuna huc aut illuc ferantur, atque
» ubi concurrerint, familiarius inter sese conveniant, ca-
» lida cum frigidis, cum humidis arida, mollia cum duris,
» itaque de cæteris, quæ rerum contrariarum tempe-
» ratione, casu quidem, sed tamen necessario commis-
» centur. Atque hoc penitus modo, et Cœlum universum,
» et quæ cœlo continentur omnia, animantes simul plan-
» tasque omnes, cum tempestatibus item omnibus, quæ
» ex superioribus illis oriantur, extitisse, non jam vi
» Mentis aut Numinis, aut artis alicujus, ut aiunt, verum,
» uti jam dicebamus, naturæ solum et casus. Artem porro
» ab illis ipsis deinde procreatam, mortalem ex mortali-
» bus, nonnullos postea lusus peperisse, qui parum admo-
» dum veritatis habeant, sed potius simulacra quædam,
» cum iis tamen affinitate conjuncta videantur; cujusmodi
» ea sunt quæ a Pictura, Musica, et aliis ejusdem condi-
» tionis artibus proficiscuntur. Quod si nonnullæ interdum
» artes serium quidpiam maturumque producant, eas de-
» mum esse, quæ vim cum natura suam conjungant, qua-
» les Medicina, Agricultura, et Gymnastica esse possint.
» Quinetiam illi Civilem doctrinam, non nisi particulam
» quamdam esse docent, quæ cum in naturæ, tum in artis
» multo magis communionem ac societatem vocetur. Sic
» totam istam leges condendi rationem ab arte potius, quam
» abs natura proficisci, cujus etiam sanctiones atque prin-

»cipia veritate careant. Quo tu ista sensu? Deos, vir opti-
»me, imprimis isti volunt, non jam natura, sed arte, hoc
»est legibus quibusdam existere, adeoque alios aliter se
»habere, prout inter sese, legibus instituti, magis minusve
»conveniant. Ex bonis similiter, alia natura, lege alia
»fieri. Res autem justas, naturæ vi nullas omnino esse;
»at in iis definiendis homines ab aliis alios perpetuo dis-
»sentire, novaque subinde statuere. Quæ vero, et quando-
»cunque sanxerint, ea tum demum valere, non utique
»natura, sed arte ac legibus constituta. Hæc omnia, o
»amici, partim a doctis hominibus, partim ab idiotis et
»poetis apud juniores celebrantur, quorum vox ea com-
»munis est, æquissimum id esse quod per vim extorseris.
»Quo fit, ut juniores illi cum impietatem imbibant, quod
»eos tales Deos esse non credant, quales ut habeantur le-
»gibus sancitum est; tum etiam mutuis propterea dissen-
»sionibus laborent, dum ad rectam vitam naturæque con-
»sentaneam pertrahere conantur, quæ quidem alia re vera
»non sit, quam ut quomodo verum erit, aliorum dominus
»vivas, nec aliis ex legis præscripto servias. O quam tu
»rem, mi hospes, quamque gravem juniorum pestem,
»cum in civitatibus publice, tum privatim domi grassan-
»tem aperuisti! «Et paucis quibusdam interjectis:» Verum,
»inquit, mi Clinia, hoc rursum mihi responde, tecum
»enim rationes istæ communicari debent. Nonne qui ita
»loquatur, is quatuor illa Ignem, Aquam, Terram, Aerem,
»omnium omnino prima statuere, eadem naturam appel-
»lare, animamque posterius ex illis ipsis conflare videatur?
»Quanquam non videtur certe quidem, verum nobis id
»plane hoc loquendi genere significat. Ita prorsus. Num-
»quid igitur stolidæ hominum eorum opinionis quemdam
»quasi fontem reperimus, qui rerum naturalium quæstio-
»nes unquam attigerint? Ac mihi quæso rem totam dili-

» gentius considera. Nec enim parum interest, si qui et » hanc impietatis doctrinam sectantur ipsi, et aliis ejusdem » auctores sese doctoresque profitentur, eos non recte suis » illis argumentis, at perperam abuti, fallique constiterit. » Mihi quidem videtur ita res habere. Et mihi quoque rem » probas. Sed age tamen, eamque nobis clarius, si potes, elo- » quere. At insolentiorem mihi disputationem imponis. « Iterumque post pauca, « Videntur inquit, o amice, plerique » omnes ignorasse, tum quid anima sit, tum quas ipsa » vires habeat, nec in cæteris modo quæ ejus propria sunt, » verum etiam in ejusdem ortu hospites ac peregrini fuisse, » cum eam et in rerum principum numero, et corporibus » omnibus priorem, adeoque præ cæteris causam illis ac » fontem mutationis omnis ac diversitatis esse nescierint. » Quod quidem si verum est, nonne continuo sequitur, ut » quæ ad animæ rationem pertinent, eadem, ut corpore » antiquior anima est, sic omnibus quæ corpori tribuun- » tur, necessario priora habeantur ? Omnino sequitur. Igi- » tur opinio, cura, mens, ars, atque lex, duris et mollibus, » gravibus et levibus priores sint oportet. Imo etiam, magna » illa primaque opera, similesque actiones, ad artem refe- » rentur, quotquot primorum in classe ac numero cense- » bantur. Quæ vero natura fiunt, ipsaque adeo natura, » (quam quidem isti perperam hoc appellant nomine,) pos- » terior illis fuerit, atque ab arte simul ac mente initium » aliquod habuerit. Quî tandem istuc? Nempe, naturam » isti, generationem primis in rebus versantem dici opor- » tere, non recte defendunt. Atqui si animam, aut primam, » aut certe cum primis, non ignem vel aerem, natam esse » constiterit; simul etiam optime ac præcipuo quodam ju- » re dicatur, illas ipsas naturæ vi consistere; si modo ani- » mam corpore antiquiorem esse demonstraris : secus vero, » nunquam. Verissime loqueris. »

CAPUT LI.

Quemadmodum Plato de Deo philosophetur.

« Age ergo, inquit Plato[1], si Deus nobis unquam invo- » candus fuit, nunc quidem id omnino faciendum. Itaque » hanc ad disputationem, quæ tota Deorum est, utpote » qua illos esse demonstrandum suscipimus, eorum opem » omni studio imploremus : simulque arrepto hoc tanquam » certo quodam securoque fune, propositum nobis sermo- » nem ineamus. Ac mihi quidem hoc in genere, admodum » probatur ea ratio, ut perinde ac si quis me certis quibus- » dam interrogationibus percunctetur, sic vicissim ei res- » pondeam, hunc in modum. Utrum, mi hospes, (roget » me quispiam :) ita consistunt omnia, ut moveatur nihil; » an omnino secus? An potius moventur alia, alia quies- » cunt? Cui ego, moventur, inquam, alia, alia quiescunt. » Numquid igitur certo quodam in loco, vel quiescunt » illa, vel moventur? Plane. Et alia quidem in una aliqua » sede id faciunt, alia in pluribus. Vin' tu, inquam, uno » in loco ea moveri, quæ consistentium in medio vim ra- » tionemque sortiuntur; quo modo circulorum, quos stare » dicimus, conversio volvitur? Equidem, inquit. » Tum interjectis quibusdam ita subjungit. « Pergamus vero, in- » quit, eamdemque porro quærendi pariter ac respondendi » rationem teneamus. Si orta simul omnia, ut istorum ple- » rique asseverare audent, per sese constitere, quem tan- » dem, ex iis quos ante posuimus, excitatum in illis esse » motum oportebit? Eum videlicet, quo quid se ipsum mo-

[1] Plat. Leg. lib. x.

» veat. Nec enim ab alio quopiam ea mutarentur, nisi ali» qua prius in iis ipsis mutatio contingeret. Principium igi» tur illud primumque motuum omnium, qui vel in quiescen» tibus, vel in iis quæ moventur, excitatur, eum inquam mo» tum, qui per se ipsum existit, mutationum omnium ut an» tiquissimam, ita potissimam ac præstantissimam dicamus, » necesse est : qui vero extrinsecus inferatur, aliaque moveat, » secundo loco numerandam. Non potuisti verius. Nunc, » quoniam huc usque devenimus, age hoc etiam respon» deamus. Quid tandem? Si quando motum illum princi» pem, in re aliqua vel terrestri, vel aquatili, vel ignea, » seu simplex illa, seu mixta fuerit, inesse videamus, quem» admodum affectam illam esse dicemus? Rogasne, utrum » eam quæ se ipsam movebit, vivere statuamus? Ita, vi» vere. Quid enim aliud? Animum vero si cuipiam inesse » viderimus, num aliud quid ipsum, quam hoc idem, vivere » inquam, dicemus? Aliud nihil. Attende per Jovem, so» des : An non rebus in singulis tria quidem agnoscis? Quæ? » Primum, essentiam; alterum, essentiæ rationem; tertium » denique, nomen ipsum; duoque præterea de singulis » quæri posse. Quæ duo? Alterum quidem, dum nomine » ipso proposito, rationem quærimus : alterum vero, dum » ratione producta, nomen rogamus. Num vero tale quid » placet etiam in præsentia dicere? Quidnam illud? Est ni» mirum in cæteris aliquid, tum etiam in numero, quod in » partes æquales dividatur duas. Et in numero quidem ejus » generis nomen est, par; ratio vero, numerus ipse, qui » duas in partes æquales dividatur. Sic est. Ego vero si» mile quid dico. Numquid rem eamdem utroque modo » significamus, seu dum ratio quæritur, nomen respon» deamus, seu dum nomen, rationem? ita ut, tam no» mine, quam ratione, parem unum eumdemque numerum » bifariam divisum, appellemus? Prorsus eamdem. Ejus


»autem rei, cui nomen Animus, quæ tandem ratio est? »Aliamne aliquam habemus, quam eam, qua de paulo »ante, motum inquam, illum, qui per se ipsum existat? »Vin'tu ejus naturæ, quam Animi nomine omnes appel»lamus, propriam hanc rationem esse, quod se ipsam mo»veat? volo, enimvero. Hoc autem si ita est, num aliquid »præterea desideramus, quasi minus effectum adhuc pro»batumque fuerit, Animum idem esse ac primam genera»tionem motumque rerum, non modo quæ sint, verum »etiam quæ vel fuerint, vel futuræ sint; itemque contra»riarum illis omnium, quandoquidem semel eam muta»tionis ac motus omnis, omnibus causam esse constiterit? »Nihil sane. Imo Animum et rerum antiquissimam om»nium, et motus principium esse, satis superque demons»tratum est. Nonne igitur impressus alteri aliunde motus, »quique nunquam efficiat, ut se ipsum quicquam moveat, »secundus jure habeatur, atque adeo quotus cuique vel »longissime numerando progredienti placuerit, cum ina»nimi corporis vere mutatio sit? Jure profecto. Recte igi»tur ac proprie, imo verissime perfectissimeque dixeri»mus, an non, Animam corpore priorem esse; corpus »vero secundum, atque posterius, animique imperio suapte »natura subditum? Verissime. Jam vero, hac de re memi»nimus inter nos supra convenisse, ut si modo animum »corpore priorem esse constaret, tum quæ ad animi ra»tionem pertinent, iis quæ corpori tribuuntur, priora cen»serentur? Sane meminimus. Mores igitur, animique sen»sus, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, re»cordationes, corporum proceritate, crassitudine, altitu»dine, ac robore priores fuerint oportet, si Animum »corpore priorem fuisse concedimus. Utique necesse »est. Hinc porro nunquid necessario sequitur, ut ani»mum, si omnium causam illam esse volumus, bono-

» rum simul et malorum, honestorum ac turpium, justo-
» rum et injustorum, adeoque contrariorum omnium cau-
» sam esse dicamus? Quid neget? Nonne igitur necesse est,
» Animum qui rebus omnibus quæ quoquo versum moven-
» tur, et moderetur, et in illis insit, ipsum quoque cœlum
» per sese moderari? Omnino. Unumne autem an plures?
» Plures certe: nam pro vobis respondere juvat. Nec pau-
» ciores duobus recte posuerimus, beneficum alterum, alte-
» rum maleficum. Et hoc mihi vehementer probatur. Hæc
» igitur cum ita sint: Animus certe quidem universa illa, quæ
» cœli, terrarum, mariumque complexus ambit, suis ipsa
» motibus agit ac versat, quorum hæc nomina sunt, velle,
» considerare, curare, opinari, seu vere, seu falso,
» lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, ac
» cæteris omnibus, qui vel istorum affines ac gemini sunt,
» vel primarii fontesque reliquorum, assumptis una
» posterioribus corporum motibus, in omnibus deinde ac-
» cretionem, aut diminutionem, raritatem, aut densitatem,
» quæque hos comitantur, calores, frigora, gravitates, levi-
» tates, durum et molle, album et nigrum, acerbum, dulce,
» amarum efficiunt, cæteraque prorsus omnia, quibus
» Animus dum utitur, si intellectum, Deus ipse, Deum
» assumat, cuncta recte ac feliciter moderatur; sin autem
» cum amentia conjungatur, contraria efficit omnia. Da-
» musne ista hunc in modum se habere, an adhuc num
» quid aliud statuamus, incerti sumus? Minime vero. Utrum
» igitur Animi genus, cœli ac terrarum, imo totius orbis
» principatum tenere volumus? illudne quod prudentia et
» virtute præditum est, an quod utraque caret? Num ad
» hæc ita responderi placet? Quomodo? Ita videlicet. Si
» universa cœli via atque conversio, eorumque simul om-
» nium quæ cœlo continentur, intellectus motui, conver-
» sioni, et cogitationibus natura similis est, et affinem ei


» cursum instituit; sequitur omnino, ut optimum illum
» Animum totius universi curam gerere, atque illud per
» hanc ipsam viam agere fateamur. Recte id quidem. Sin
» autem furiose ac pertubate volvitur, ut hoc idem malo
» Animo tribuamus. Et istud quoque recte. Nunc vero cu-
» jus tandem naturæ intellectus motum esse arbitramur?
» Huic sane quæstioni, o amici, sapienter respondere diffi-
» cile est. Quare verum fuerit in præsentia, hanc me
» vobis respondendi curam suscipere. Probe loqueris. Ca-
» veamus igitur, ne adverso quasi vultu in solem intuentes,
» ipsaque meridie noctem inducentes, perinde respondea-
» mus, ut si mortalibus oculis intellectus ipse pervideri
» aliquando posset, penitusque cognosci. Securius itaque
» fuerit, illum ipsum defixo in ejus imaginem obtutu con-
» templari. Quomodo hoc intelligis? Cujus ex decem illis
» motibus similior intellectus fuerit, ejus ut imaginem de-
» ligamus; quam ubi vobis in memoriam revocaro, tum
» responsionem omnium causa subjiciam. Optime loque-
» ris. Principio, illud saltem meminimus constitutum a
» nobis fuisse, ex omni rerum multitudine moveri alias,
» alias quiescere. Meminimus. Deinde ex iis quæ moventur,
» alia uno in loco, in pluribus alia moveri. Sic est. His igi-
» tur ex motibus, eum qui uno semper in loco versetur,
» circa medium aliquod, uti circulos torno factos, videmus
» agitari, atque ad intellectus conversionem imitatione ac
» similitudine, quam proxime fieri potest, accedere necesse
» est. Clarius istud, quæso. Nempe, si utrumque, Intel-
» lectum, inquam, et motum illum, qui uno semper in loco
» versatur, quo modo sphæram aliquam volvi solitam vide-
» mus, una semper eademque ratione, in eodem, circa ea-
» dem, atque ad eadem, unoque ordine converti dixe-
» rimus; nemini, opinor, præclaras imagines ratioci-
» nando perperam fingere merito videamur. Optime id

» quidem. Ergo alter ille motus, qui nunquam similiter, » nec secundum eadem, nec in eodem, nec circa eadem, » nec ad eadem, nec uno in loco, nec apto quodam et ele- » ganti ordine, nec certa ratione versatur, summa cum » amentia conjunctus haberi debet. Et hoc quoque verissi- » mum. Jam ergo palam profiteri liceat, quandoquidem » Animus is est, qui versat omnia, ipsam quoque cœli con- » versionem animi alicujus, seu boni, seu contrarii arbitrio » ac moderatione gubernari. Enimvero, mi hospes, ex iis » quæ jamjam dicta sunt, aliud quicquam statuere nefas sit, » quam sive unum aliquem Animum, sive plures omni vir- » tutis genere præstantes, corporum illorum conversioni » præesse. Egregie, mi Clinia, disputationis hujus vim ce- » pisti. Sed tamen audi sis illud quoque. Quidnam? Solem, » lunam, astraque cætera, si Animus universa circumagit, » nunquid etiam singula? Quidni enim? De uno igitur ea » dicamus, quæ in reliquam siderum multitudinem conve- » nire possint. Quo de autem? Solis corpus nemo non videt, » Animum videt nemo. Quid mirum? Ne ullius quidem al- » terius animantium corporis, seu viventis adhuc, seu jam » mortui. Sed nimirum probabile admodum est, genus » illud totum ejusmodi esse, quod omnes corporis sensus » ita fugiat, ut tamen intelligentiæ vi capiatur. Mente igitur » atque intelligentia, quod a nobis de illo additur, informe- » mus. Quid illud? Solem si Animus circumagit, e tribus » unum ab eo fieri si dixerimus, haud, opinor, aberrabimus. » Quæ tu mihi tria? Nimirum, aut inclusum rotundo illo, » quod cernimus, corpore animum, illud omnem in par- » tim circumferre, uti quoquo versum a nostro ipsi ani- » mo circumferimur: aut eumdem induto sibi aliunde, vel » igneo, vel aerio corpore, quod nonnulli malunt, cor- » poris vi corpus impellere: aut postremo, ipsum illum, ut » corpore omni per sese careat, aliis tamen eximiisque

» viribus instructum, admirabili quodam modo Solem de» ducere. Sane : ab Animo, dum ex iis unum aliquid efficit, » versari omnia regique necesse est. » Atque hæc Philosophus legum decimo. Audi jam quemadmodum in Philebo, sententiam ille suam adstruat. « Sapientes, *inquit*, omnes » qui modo jure hoc nomine gloriantur, Intellectum cœli » terrarumque regem esse consentiunt. Ac forte quidem » hoc recte. Nos vero si placet, fusius rem totam uberiusque » tractemus. Tu vero, uti videbitur, o Socrates, nec ullam » hoc in genere longitudinem vereare, cum nemini molestus » sis futurus. Præclare. Incipiamus igitur hunc in modum » quærere. Quem sodes? Utrum, mi Protarche, res omnes, » atque hoc, uti vocamus, universum casus et fortunæ vi » temere agi statuimus; an contra, quemadmodum majores » nostri voluere, Mentis ac sapientiæ cujusdam admirabilis » consilio gubernari? Absit, o sapientissime Socrates, uti » prius illud a nobis dicatur, quod vel ore tenus proferri » nefas esse dixerim. At vero Menti rerum universarum mo» derationem assignare, id equidem et mundi hujus aspectu, » et solis, lunæ, aliorumque siderum, adeoque omni hac » conversione dignum existimo, nec aliter unquam hac de » re aut loquar aut sentiam. Vis enim vero, uti hac in re» rum moderatione statuenda, quod veteres uno consensu » professi sunt, id nostris ipsi verbis comprobemus, nec alio» rum sententiam citra periculum afferre contenti, eamdem » quam ipsi aleam maledictionemque subeamus, cum ar» gutus ac vehemens quispiam, non eo quo dicimus ordine, » sed perturbate ac temere ferri cuncta pugnabit. Quidni » enim id velim? Age ergo, ac mihi consequentiam hujus » disputationis attende. Perge tu modo. Quatuor illa, ex » quibus animantium omnium corporum natura consistit, » Ignem, Aquam, Spiritum, ac Terram, num in ipsa eorum » concretione utcunque agnoscimus, quomodo videlicet ho-



» mines loquuntur tempestate jactati? Sane. Hoc enim in orationis genere, æstu quodam incertitudinis vere jactamur. » Age vero, ac de quolibet eorum quæ nobis insunt, ejusmodi aliquid accipe. Quid obsecro? Exiguam aliquam et » despicabilem e singulis particulam inesse nobis, quæ nec » ullo modo pura sinceraque sit, nec vim et facultatem » habeat natura dignam. Quod ubi de uno aliquo statueris, » tum de universis idem intellige. Ignis, exempli causa, » utcunque in nobis est; est etiam in Universo. Utique. » Cum igitur, qui in nobis est, is et exiguus admodum, et » imbecillus, ac languidus sit: tum vero qui in Universo » est, is copia simul ac pulchritudine, cunctaque adeo vi, » quæ ignis propria est, plane admirabilis. Verissime lo» queris. Quid vero? Utrum deinceps ignem illum Uni» versi, ab eo qui in nobis est, ali, duci, regique arbi» traris; an potius ab illo tam meum, quam tuum, ac » cæterorum animantium ignem hæc omnia suscipere? Hoc » vero ne responsione quidem dignum existimo. Et merito » sane. Nec aliter, opinor, cum de hac terra, quæ ani» mantibus inest, tum de illa quæ in Universo, loquare: » ac de aliis omnibus, de quibus paulo ante quærebam, » idem omnino respondeas. Quis enim, si modo sanus erit, » aliud unquam respondeat? Opinor, nemo. Sed pergamus » ad cætera. Numquid illa quatuor, ubi conflata in unum » coaluerint, corpus appellamus? Ita. Idem igitur, de eo » quem Mundum vocamus, intellige. Is enim eodem plane » modo corpus haberi debet, cum ex iisdem conflatus sit. » Rectissime loqueris. Utrum igitur ab universo illo cor» pore nostrum hoc, an potius a nostro illud et alitur, et » cætera quæ jamjam addidimus, accipit? Neque hoc al» terum, o Socrates, responsione dignum est. Quid vero » tertium hoc? responsione dignum erit, an secus? Profer » illud sis. Nostrum hoc corpus animo-ne præditum esse



» fatebimur? Fatebimur utique. Unde autem illum hause-
» rit, mi Protarche, nisi universi corpus animatum fuerit,
» et iisdem omnino, quibus hoc nostrum, longeque adeo
» præstantioribus instructum facultatibus? Liquet, o Socra-
» tes, unde potuerit, esse nihil. Enimvero, non arbitra-
» mur, o Protarche, quatuor illa, terminum, infinitum,
» mixtum ex utroque, tum vero quartum illud, quod om-
» nibus inest, causæ genus, quod nostris et animum infun-
» dat, et corporis vel exercendi, vel, si quoquomodo labo-
» raverit, curandi facultatem tribuat, et in aliis componat
» alia, alia reparet; summæ cujusdam et absolutæ Sapien-
» tiæ nomine dignum esse : eadem cum et in toto Cœlo,
» et in majoribus illis partibus locum habeant, nec specie
» modo, sed etiam integritate præstent, illa tamen rerum
» pulcherrimarum, ac nobilissimarum natura carere. Quip-
» pe, alienum id ab omni ratione fuerit. Illud ergo si reji-
» cimus, superest, ut rationis hujus vim sequuti, melius
» ita statuamus : esse nimirum, quod jam sæpenumero
» diximus, hoc in universo, cum immensum quiddam at-
» que infinitum, tum etiam terminum ei convenientem,
» causam insuper aliquam non communem atque vulga-
» rem, quæ annos, tempestates, mensesque digerat, atque
» moderetur, Sapientiam atque intellectum jure optimo
» nuncupandam. Optimo sane. Sapientia porro atque in-
» tellectus ab Animo sejungi non possunt. Nullo modo.
» Concludas igitur oportet, causæ hujus vi, et Jovis natu-
» ram, regium quemdam animum ac regium intellectum
» possidere, et in aliis præclara quædam alia reperiri, hoc
» illove nomine, prout sua cujusque ratio postulet, appel-
» landa. « Hactenus Plato.

CAPUT LII.

Quemadmodum idem ipse Deum universi curam gerere philosophetur. Legum X.

« Jam vero, inquit Plato [1], alloquendus ille nobis, qui » Deos esse cum existimet, iis tamen rerum humanarum » curam eripiat. Quod tu, vir optime, (sic enim ipsum » compellemus) Deos esse credis, divina quædam affinitas, » ad cognatum tibi Numen et agnoscendum, et colendum, » te ut videtur, adducit. At vero improborum et injusto- » rum hominum privata, publicaque fortuna, quæ cum re » ipsa felicitatis habeat nihil, vulgi tamen opinione felicis- » sima prædicatur, adeoque talis et carminibus, et omni » sermonum genere perperam celebratur, vehementius te » quam cautius ad impietatem abripit. Aut etiam forte, » dum nefarios homines ad extremam usque senectutem per- » venire vides, liberosque simul ac nepotes summis in ho- » noribus constitutos relinquere, gravius perturbaris. At- » que ita, dum vel auditione accipis, vel oculis ipse tuis » nonnullos fortasse vides, qui gravissimis obstricti scele- » ribus, ob illa ipsa ex humili tenuique fortuna ad tyranni- » dem opesque maximas evehantur : tum enimvero Deos » quidem, quasi rerum istarum auctores, propter affinita- » tem cum illis tuam criminari non vis; sed partim cæco » abreptus æstu , partim de Diis dubitare nescius, eam » in mentis ægritudinem devenisti, ut eos quidem esse » fateare, cæterum ab iisdem res humanas funditus negligi » arbitrere. Quamobrem, ne talis opinio te in graviorem

[1] Plat. Leg. lib. x.

» impietatis pestem conjiciat, si quo modo eam, ne longius serpat, amoliri verbis, et quasi averruncare poterimus, sequentem disputationem, cum priore illa, quam adversus eum, qui Deos prorsus esse nullos putabat, ipso statim initio pertexuimus, accurate ac studiose conjungamus. Et vos quidem, o Clinia, tuque Megille, [1] adolescentis vicem hic quoque subeuntes, ipsius loco, quemadmodum jam ante fecistis, respondetote. Ego, si quid interdum spissius inciderit, vos trans fluvium, uti adhuc feci, trajiciam. Recte. Fac modo quod polliceris, nos vicissim quod jubes, quantum in nobis erit, faciemus. Principio, difficile opinor id saltem ostendere non fuerit, Diis res parvas non minus curæ esse, quam maximas. Audiebam enim atque intereram, cum paulo ante diceretur, eos cum virtute omni præditos esse, tum rerum universarum curam maxime propriam ac peculiarem habere. Ego vero id etiam admodum exaudivi. Quod ergo sequitur, conjuncta nunc opera videamus, ecquam iis virtutem maxime tribuamus, cum eos bonos esse confitemur. Age, nonne temperantia, intelligendi facultate præstare, virtuti assignamus, vitioque contraria? Sane, assignamus. Quid vero? non etiam virtuti fortitudinem, timiditatem vitio? Prorsus. Ex iisdem numquid alia turpia, honesta alia esse dicimus. Et necessario. Præterea, si quæ in iis vitiosa sunt, ea locum in nobis habere posse, nullum in Diis. Ne istud quidem a quoquam negetur. Jam, negligentiam, otium, atque delicias, utrum animi virtuti tribuimus, an non? Quî enim tribuamus? Num igitur contrario? Certe. Quæ sunt igitur iis contraria, contrario assignabimus. Ita, contrario. Quid igitur? Quisquis deliciose, negligenter, et otiose vivit, nonne is ejusmodi merito a nobis omnibus habeatur, quem fucis inertibus simillimum Poeta (Hesiodus) vocat? Optime ille quidem.

» Ergo nec ii mores Deo tribuendi, quos ipsemet oderit,
» nec ferendus quisquam, qui ita loqui audeat. Neutrum
» sane : quî enim deceat? Jam cujus sit aliquid efficere
» simul, et majorem in modum curare, is si ex eo genere
» majora curabit, negliget minora, qua tandem cum laude
» prosequemur, quin toto cœlo aberremus? Enim vero sic
» philosophemur. Nonne qui aliquid ejusmodi faciat, is
» sive Deus fuerit, sive homo, duobus modis hoc fecerit?
» Quibus tandem? Aut, quod illam rerum minorum des-
» picientiam, totius universi nihil interesse putet, aut si
» cum intersit, negligat tamen, quod pigritia deliciisque
» vincatur : nisi alia tibi quædam occurrit negligentiæ ratio.
» Nec enim si omnium omnino haberi cura non possit, ei
» negligentiæ tribuatur, qui rerum vel minorum vel ma-
» jorum curam non suscipiat, quibus curandis, sive Deus,
» sive humilior quispiam, propter infirmitatem suam par
» esse non possit. Quis enim id jure fecerit? Nunc igitur
» nobis tribus duo isti respondeant, qui cum ambo Deos
» esse fateantur, eosdem tamen alter exorari facile, alter
» res minores negligere contendit. Principio, Deos ambo
» nosse, videre, audire omnia conceditis, ac nihil eorum
» penitus latere posse, quæ vel sensus, vel scientia perci-
» piat. Utrum in eo convenimus, an non? Convenimus.
» Quid illud? Num illos etiam omnia posse, quæ in mor-
» tali aut immortali potestate versentur? Nam quis hoc
» etiam neget? Atqui bonos illos esse, adeoque optimos,
» jam nos quinque concessimus. Et quidem libentissime.
» Fieri ergo non potest, ut quod ejusmodi esse defendi-
» mus, ab iis quicquam omnino vel desidia vel mollitie
» fieri velimus. Nam et apud nos timiditatis fœtus otium
» est, desidia vero atque mollities otii. Verissime hoc tu
» quidem. Deorum ergo nullus quicquam præ otio desi-
» diaque negligit, cum timiditas in eum nulla cadat. Et

»istud quam optime. Igitur, si rerum hoc in universo »minorum ac tenuiorum curam abjiciunt, reliquum est, »id ut faciant, aut quod nihil prorsus eorum sibi curandum »esse statuant; aud quid aliud superest, nisi ut contra »sentiant? Nihil. Utrum igitur, vir optime, Deos existi»mas ignorantia laborare, quamque ab iis curam suscipi »oporteret, ob eamdem ignorantiam abjicere; an, cum »ea sibi curanda esse noverint, tamen (quod pessimis »hominibus usu venire dicunt, qui alia quam quæ faci»ant, factu meliora esse satis intelligant,) seu voluptate, »seu dolore victos non facere? Quis tandem hoc illudve »dicat? Et quidem res humanæ cum animata natura præ»ditæ sunt, tum vero animantibus omnibus religione ac »divino cultu homo antecellit. Consentaneum id hercle »est. Quicquid porro animantium, seu mortalium, seu spiri»talium est, quorum in numero totum quoque Cœlum re»ponitur, id omne Deorum possessionem esse concedimus. »Quidni enim? Esto igitur, hæc a Diis vel exilia vel magna »habeantur : utrumvis enim quis dixerit, nunquam ab iis »tamen, quorum in possessione sumus, cum iidem et pro»videntissimi et optimi sint, jure negligamur. Verum alte»rum hoc præterea consideremus. Quidnam? Nonne sen»sus et potentia contrariam a natura habent facilitatis ac »difficultatis rationem? Clarius obsecro. Parva nimirum »difficilius et videre est, et audire, quam magna : ferre »vero, aut tenere, aut curare parva quivis et exilia faci»lius, quam magna possit. Longe profecto. An si medicus »aliquis, cum integrum corpus fidei commissum suæ cu»rare non vellet modo, sed etiam posset, majoribus tan»tum partibus mederetur, minores cæteras negligeret, »corpus integrum hac ejus curatione aliquando convales»ceret? Nullo sane modo. Ne gubernatoribus quidem, impe»ratoribus, oeconomis, aut iis qui in reipublicæ administra-

» tione versentur, aut ulli omnino generis ejusdem, si » pauca quædam minorave contempserit, plurium aut majorum feliciter cura succedat. Majores quippe lapides » sine minoribus firmiter cohærere posse architecti negant. » Et vero quî possent? Caveamus ergo, ne Deum mortalibus unquam artificibus deteriorem putemus : ut cum illi » propria sibi opera, tam minora quam majora, quo præstantiores ii sunt, hoc una eademque arte diligentius ac » perfectius elaborent; Deus tamen, qui et sapientissimus » ipse sit, et operum suorum curam suscipere velit idem ac » possit, minora quibus facilius provideret, quod minora » sint, tanquam piger ac mollis quispiam et laborum magnitudine fractus, omnino despiciat, una in majorum gubernatione defixus. Hanc de Diis opinionem, mi hospes, » nulla ex parte unquam probemus. Est enim hæc non impia minus, quam falsa cogitatio. Num vero tibi jam videmur de Deorum negligentia, pro rei magnitudine mediocriter cum homine contentioso disputasse? Certe. » Saltem ut is perperam se loquutum esse fateri cogatur. » At nunc eidem quibusdam præterea verisimilibus argumentis, quasi cantionum illecebris opus videtur. Quibus » tandem, bone vir? Quibus adductus adolescens hoc sibi » persuadeat, qui universi curam susceperit, eum ad illius » salutem vimque conservandam, ordinata et constituta » habere omnia, sic ut partes etiam singulæ, quicquid ad » eas pertinet, pro suis viribus patiantur, et agant. Eæ vel » minutissimis in rebus, quæ sibi aut subeundæ sint, aut » præstandæ, suos quæque principes ac præfectos habent, » qui finem ad ultimam usque particulam integre accurateque perducant. Et quibus una etiam est tua, miselle, » particula, quæ tametsi perpusilla sit, ad universum tamen per sese tendit semper ac respicit. Ignoras tu vero » interea, ortus rerum omnes universi causa fieri, ut vi-

» tam ejus complexa natura in summa felicitate versetur :
» qui profecto illius gratia factus es, non illa tui. Siqui-
» dem medicus omnis, omnisque peritus artifex, sic totius
» causa omnia perficit, sic unum illud quod communiter
» optimum sit intuetur, ut totius causa partem, non totum
» partis causa moliatur. Tu vero indignaris, quod nescias,
» id quod in te optimum est, quemadmodum vi quadam
» communis ortus, universo tibique conveniat. Et quoniam
» animus cum corpore semper, alio tamen alioque com-
» plexus, nullum non mutationis genus subit, cum sua, tum
» alterius cujusdam animi causa, sortis nostræ Modera-
» tori reliquum hoc unum est, uti mores, si meliores ef-
» fecti erunt, meliorem, sin autem deteriores, deteriorem
» in locum pro sua cujusque ratione traducat, ut sedem
» singula convenientem ac propriam sortiantur. Clarius
» ista sodes. Equidem ita loquor, quomodo res omnes Deo
» curæ esse facilius intelligi possit. Etenim, si quis semper
» ad totum respiciens, ita fingeret ac refingeret omnia,
» (ut si aquam igne animaret), tamen ut neque multa ex
» uno, neque e multis unum aliquid efficeret, ea sane
» posteaquam primam, aut secundam, aut tertiam gene-
» rationem subiissent, ista rerum ordinisque mutatione,
» infinitum quantum augerentur. Nunc vero, universi Mo-
» deratori facilitas quædam admirabilis suppetit. Necdum
» istud intelligo. Audi ergo. Novit rex ille noster, actiones
» omnes animatas esse, easdem cum virtutis habere, tum
» etiam vitiositatis plurimum : animum item et corpus, ut
» pestem ex se nullam habeant, carere tamen immortali-
» tate, qua veri legitimique Dii perfruantur : (alioqui nulla
» unquam animantium generatio fieret, altero morte su-
» blato :) ad extremum, quicquid juvare per se se potest,
» id omne animi bonum, quicquid nocere solet, malum
» esse statuit. Quibus omnibus exploratis, molitus hoc de-

» mum est, quemadmodum ita partes singulæ constituerentur, uti cum maxime, tum etiam facillime atque optime certam in universo virtutis victoriam facerent, vitiositate prostrata. Quam in rem universi bono excogitavit, quam quodque sedem pro naturæ suæ conditione, quemque locum aliquando sortiri firmum ac stabilem oporteret. At vero, ut talis quisque talisve fieret, causas omnes nostræ in voluntatis potestate reliquit. Qualis enim cupiditate quisque et animo fuerit, talis fere passim esse solet. Et consentaneum id quidem. Quæcunque igitur animo prædita sunt, mutantur omnia, quod in se ipsis causam mutationis habeant. Qua in mutatione, fati præscriptum ac legem sequuntur. Quorum enim animorum tolerabiliores fuerint remissioresque mores, ii dum ea mutatio fit, utpote leviores, in summum regionis solum commeant; quorum autem graviores et injustiores, ii vastam in altitudinem, et depressiora loca detruduntur, quæ qui adhuc vivunt, quique corporibus soluti jam sunt, Inferorum, ac similibus aliis nominibus admodum horrere, ac sæpius somniare solent. Ita, cujus animi cum suapte voluntate, tum acri et corroborata consuetudine major aut vitiositas, aut virtus extiterit : is sub illam mutationem, si divinam ad virtutem adhæserit, ejusque singulariter et eximie similis fuerit, sedem quoque suam alioqui sanctissimam, cum alia quadam adhuc meliore commutat. Qui vero contrariam viam institerit, vitam quoque deinceps contrariis in locis, et contraria sorte degit. Ea judicii ratio, mi adolescens, qui te a Diis negligi arbitraris, a Diis qui in Olympo versantur, constituta est : ut qui deterior fuerit, ad deteriorum; qui melior, ad meliorum animorum societatem commigret; et cum in vita, tum quolibet mortis in genere, quibus a similibus similes affici deceat, patiatur atque agat omnia. Hoc judicium neque

» tu, neque alius quisquam defugisse se, atque ita Deos » ipsos superasse gloriabitur : quippe quod ejus auctores » maxime præ cæteris omnibus sanctum esse voluerint, » omninoque propterea vereri oporteat ; nec enim illud » te unquam præteribit. Nec tam pusillus tenuisque fies, » ut ab eo te in abditos terræ sinus latebrasque subdu- » cas ; nec vero tam sublimis, ut in cœlum evoles. At » dignas omnino pœnas daturus ipse es, sive hic maneas, » sive trajiciaris ad Inferos, sive ad locum aliquem iis » adhuc horridiorem deferaris. Quod ipsum tibi de illis » quoque statuendum est, quos tu cum ex parvis mag- » nos evasisse, post grave aliquod vel impietatis, vel al- » terius sceleris exemplum videres, beatos ex miseris factos » putabas ; et quorum in maleficiis, tanquam in speculis, » quam abs Diis omnia negligantur, videre tibi videbare, » ignorans videlicet, qui tandem aut qua parte istorum finis » et exitus cum universi rationibus cohæreret. Illum porro, » vir generosissime, quî tandem sciens volensque negligere » potes, quî tamen ejusmodi est, ut qui ab ejus cognitione » imparatus sit, nihil unquam vel animo informare possit, » nec ullam de humanæ vitæ seu felicitate, seu miseria di- » sputationem instituere. Hoc si tibi Clinias iste de Diis, ac » senatus hic noster omnis persuadere potuerit, nescire te » quid loquare, singulare a Deo ipso beneficium acceperis. » Sin longiori adhuc oratione opus habebis, age porro, » nosque de tertio illo disserentes, si quid omnino mentis » habes, attende » Hæc Plato. Quorum sane mens, si minus verba ipsa, multo ante Hebræorum extabat in litteris, sed brevissime ac paucissimis vocibus comprehensa sententia. Nam illud quidem : « Nec tam pusillus fies, ut ab ejus te » oculis in abditos terræ sinus latebrasque subducas ; nec » vero tam sublimis, ut in Cœlum evoles ; » dicto huic Davidico proximum est : « Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a facie

» tua fugiam? Si ascendero in Cœlum, tu illic es : Si de» scendero in Infernum, ades. Si sumpsero pennas, et ha» bitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua de» ducet me [1]. » Deinde hoc ejusdem prophetæ : « Cœli » enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat » firmamentum [2]. » Itemque illud Isaiæ, « Tollite in altum » oculos vestros, et videte, quis ostendit hæc omnia [3]. » Et hoc, « Ex magnitudine et pulchritudine creaturarum Crea» tor cum proportione spectatur [4]; » Et hoc, « Invisibilia » enim ejus a creatura mundi, per hæc quæ facta sunt, » intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus » ac divinitas [5]. » Postremo istud, « Zelavi super iniquos, » pacem peccatorum videns [6]. »

Hæc omnia interpretatus videtur Plato, dum ait : « Hoc » ipsum tibi de illis quoque statuendum est, quos tu cum » ex parvis magnos evasisse, post grave aliquod impietatis, » vel alterius sceleris exemplum videres, beatos ex miseris » factos putabas. » Ac cætera quæ eamdem in sententiam dicta sunt, in Hebræorum monimentis fusiorem illam Platonis explicationem occuparunt. Quæ tu singula, si accurate ac diligenter expendes, cum Hebræorum doctrina consentire reperies. Hebræorum autem librorum nomine, non sola Mosis oracula intelligo, sed aliorum etiam qui post eum scripsere, hominum Deo carissimorum, seu Prophetæ, seu nostri quoque Servatoris Apostoli fuerint, quibus ob summam dogmatum consensionem, una atque eadem appellatio jure tribuatur.

[1] Psal. CXXXVIII, 7. — [2] Psal. XVIII, 2. — [3] Isa., XL, 26. — [4] Sap. XIII, 5. — [5] Rom. I, 20. — [6] Psal. LXXII, 3.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

PROŒMIUM.

Cum superioribus libris viderimus, Platonica ut plurimum philosophia, Mosis et sacrorum apud Hebræos oraculorum quamdam quasi Græcam in linguam conversionem contineri : nos deinceps partim quæ huic disputationi desunt adjungemus, partim quæ a superioris memoriæ scriptoribus in similium locorum tractatione dicta sunt, persequemur; ad extremum speciosam illam nonnullorum criminationem diluemus; ecquid tandem causæ sit, quamobrem si Mosi tam consentanee Plato philosophatus est, Mosis potius quam Platonis doctrinam sequamur, cum secus utique factum oporteret, quod præter dogmatum similitudinem, nobiscum etiam, utpote Græcis, Græco magis homini quam Barbaro conveniret. Et quoniam ego, qua philosophum hunc observantia prosequor, huic adhuc reprehensioni occurrere vereor, hac tantisper oratione dilata, quæ primum abs me proposita sunt, ea primo loco discutiam. Sume ergo mihi Platonem, ac perlege, qualem ipse demum habuerit Græcorum theologorum ac poetarum opinionem, et quemadmodum patrias omnes de Diis sententias rejecerit, earumque ineptias coarguerit.

CAPUT I.

Quemadmodum Plato Græcæ Theologiæ ineptias coarguerit. Ex Timæo.

«Aliorum autem dæmonum, inquit ille[1], procreationem » vel explicare, vel nosse, res est nostra facultate major. Qua» re hoc in genere, priscis illis testibus adhibenda fides, qui » ut Deorum, quod ipsi aiunt, nepotes erant, ita majores » suos maxime notos habuerunt. Nec fieri omnino potest, ut » fides eorum filiis detrahatur, etiamsi nullis demonstratio» nibus necessariis, ac ne probabilibus quidem argumentis, » ipsorum testimonia comprobentur : sed necesse plane » est, ut iis, quomodo lex imperat, tanquam suarum in re» rum commemoratione credamus. Illam ergo Deorum pro» creationem quod attinet, uti Poetæ scribunt, ita nos quo» que de ea statuamus ac loquamur. Terræ cœlique liberi, » Oceanus et Tethys : Horum Phorcyn, Saturnus, et Ops, » cæterique fratres. Ex Saturno et Ope, Jupiter, Juno, ac » reliqui, quos utriusque fratres appellari scimus, procreati. » Atque ita deinceps de tota nepotum serie. » His Plato, dum et Deorum fabulis, et earum auctoribus poetis, sic tanquam Deorum nepotibus fidem adhibere jubet; primum is mihi, dum poetas Deorum nepotes appellat, ridere ac jocari videtur, quasi Deos ipsos et homines fuisse, et similem nepotibus suis naturam habuisse velit. Deinde vero, quos Deorum nepotes vocarat, eosdem ipse theologos manifeste traducit, his verbis, « Etiamsi nullis demonstrationi-

[1] Plato in Timæo.

»bus necessariis, ac ne probalibus quidem argumentis eo-»rum testimonia comprobentur. » Itemque dum addit, «Quod ipsi aiunt.» Quin et ludere plane videtur, dum ait: « Quippe qui majores suos maxime notos habuere. » Itemque «Fieri nullo modo posse, ut fides Deorum filiis detra-»hatur. » Cœterum quam id legum causa, præter mentem ipse dixerit, perspicue satis declarat, dum eos qui legem modo sequi voluerin, fidem ipsis adhibere oportere fatetur. Atque hanc illius vere sententiam fuisse; ut facilius intelligas, audi sis quemadmodum nuda claraque voce totum hoc Theologorum genus reprehendat. Sic enim illos in Epinomide vellicat.

CAPUT II.

De eodem, ex Epinomide.

« Deorum, *inquit*, atque animantium procreationem, »quod majores nostri perperam de illa philosophati sint, »melius hic mihi necessario tractandam atque explican-»dam puto, atque ita ut superior illa, quam adversus im-»pios institui, disputatio relegatur. » At vero quam mature ac prudenter illam veterum Theologiam repudiet, idem ipse docet secundo de Republica, ubi sane verum fuerit diligentius attendere quemadmodum adversus poetas atque theologos, in iis præsertim quæ de Græcis Numinibus tradita jam olim fuerant, invehatur. Sunt hæc ejus verba.

CAPUT III.

Ex secundo de Republica. De eodem; ac præterea Deum malorum auctorem non esse.

« In majoribus fabulis, inquam [1], minores etiam facile » videbimus. Necesse enim est speciem unam aliquam esse, » vimque minoribus æque majoribusque communem. An » non ita sentis? Equidem, inquit ille, sed quas tu majores » dicas, non capio. Quas Hesiodus, inquam, atque Home- » rus, cæterique poetæ commemorant. Illi enim falsas ho- » minibus fabulas commenti, et narrabant olim hodieque » narrant. Quas tandem, inquit ille, aut quid in iis repre- » hendis? Cui ego, quod et primum et omnium maxime » reprehendendum est, præsertim ubi quis non recte men- » tiatur. Quid illud porro? Ubi quis male Deorum Heroumque » naturam oratione repræsentat, perinde ut pictor faceret, » qui tabellam ei rei nulla ex parte similem pingeret, quam pe- » nicillo exprimendam suscepisset. Ea vero, *inquit*, repre- » hensione dignissima sint: Sed clarius illa sodes, atque » distinctius. Ego vero, primum, inquam, maximum illud » maximisque de rebus mendacium, qui narravit Hesiodus, » quid videlicet actum a Cœlo fuerit, quamque vicissim ei » pœnam Saturnus reposuerit, perperam omnino confinxit. » Jam quæ Saturnus idem aut gesserit, aut a filio pertule- » rit, ne si vera quidem essent, adeo tamen facile ac temere » apud homines aut stultos, aut adolescentes jactanda vide- » rentur, sed principio quidem, omnino tacenda: sin ape-

[1] Plat. de Rep. lib. II.

» riendi necessitas aliqua foret, cum paucissimis, uti maxime
» arcana solent, communicanda, et quidem auditoribus
» ejusmodi, qui non porcum, sed eximiam aliquam raram-
» que victimam immolassent, ut quam paucissimi hujus in
» sermonis communionem venirent. Enimvero grave, *in-*
» *quit*, ac periculosum hoc sermonum genus. Nec omnino
» inquam, o Adimante, nostra in Republica audiendum; nec
» audiente adolescente huic orationi locus esse debet; qui
» scelestissima quæque admittat, mirum ab eo nihil fieri;
» ne si parentem quidem ipsum, a quo læsus fuerit, omni
» suppliciorum genere mulctaverit; sed illud duntaxat ip-
» sum, quod primi maximique Deorum ante jam fecerint.
» Nec mihi per Jovem, *inquit*, ferenda vox ea videatur. Ne-
» que altera sane hæc, inquam : bellare Deos, pugnareque
» cum Diis, atque iisdem insidiari, cum et hoc ab omni ve-
» ritate abhorreat, et qui reipublicæ nostræ custodes ac
» moderatores futuri sunt, eos civili odio facile dissidere,
» longe turpissimum ducere oporteat : ne dum, ut iis ficti-
» tia, modisque omnibus variata, sive gigantum bella, sive
» alia omnis generis, Deorum simul et Heroum, ab affinibus
» cognatisque dissidia narrari debeant. Contra vero, si quo
» modo persuadere poterimus, civi civem alteri infensum
» neminem unquam fuisse, nec id omnino fas esse; hæc at-
» que similia pueris mature a senioribus et aniculis incul-
» canda erunt, ipsique poetæ cogendi, suas ut fabulas eo
» referant. At injecta Junoni a filio vincula, dejectum a
» patre Vulcanum, quod pulsatæ matri opem ferre vellet,
» cæterasque Deorum pugnas, quotquot ab Homero confictæ
» sunt, hac in civitate nunquam audire oportebit, sive ar-
» canum aliquem sensum includant, sive nullum. Nec enim
» juvenis statuere potest, ubi aliquis ejusmodi sensus la-
» teat, ubi nullus : sed quascunque opiniones ea primum
» ætate imbiberit, eæ deleri fere postea revellique non pos-

» sunt. Itaque tanti, opinor, erit, ut quibus primum audien-
» dis fabulis assuescent, ad virtutem eæ, quam rectissime
» fieri poterit, collineent. Jure hoc te quidem, et cum ra-
» tione, *inquit* : at si quis ex nobis quæret, cujusmodi ea,
» quæve fabulæ esse debeant, quid tandem respondebimus?
» Cui ego, poetæ, inquam, in præsentia neque ego, ne-
» que tu sumus, sed Reipublicæ conditores. Quos, ut for-
» mas illas et exemplaria nosse oporteat, quæ poetis in
» fabularum suarum fictionibus proposita esse debeant, et
» a quibus, si quando deflectent, ferendi non sint, fabulas
» ipsos quidem fingére non oportet. Fateor, *inquit*, sed hoc
» ipsum tamen, formæ, inquam, illæ, quas ubi de Diis lo-
» quendum erit, sequi oportebit, quales tandem esse de-
» bent? Tales, inquam, ut cujusmodi per sese Deus est,
» ejusmodi semper, tam heroicis, quam lyricis ac tragicis
» carminibus repræsentetur. Decet enimvero. Deus igitur,
» quod reapse bonus sit, bonus quoque celebrandus erit.
» Erit omnino. Atqui noxium bonum esse nullum potest :
» Nonne? Nullum, ut videtur. Quod autem noxium non
» est, idne aliquando nocet? Numquam certe. Quod porro
» non nocet, an aliquid mali facit? Ne istuc quidem. Quod
» autem mali nihil facit, id ne mali quidem ullius causa
» esse queat. Nam quî? Quid vero? an bonum utile quid-
» dam est? Ita. Est ergo causa felicitatis alicujus. Est. Non
» igitur rerum omnium causa, bonum est, sed eorum dun-
» taxat quæ bene se habent, malorum autem minime. Pror-
» sus inquit. Deus igitur, inquam, cum bonus sit, rerum
» omnium auctor certe non erit, quod tamen jactari vulgo
» solet : imo vero, paucarum admodum hominibus auctor
» erit, plurimarum minime : bonis enim longe paucioribus
» utimur, quam malis. Et bonorum quidem alteri nemini
» assignanda causa est, malorum autem aliæ, quam Deus,
nobis requirendæ. Verissima loqui te puto. Sequitur ergo,

nec Homerum, nec alium poetam ullum audiendum, qui tam imprudenter in Deos temereque peccet, ut dicat,

« Dolia bina jacent magni sub limina patris:
» Mitibus hoc fatis plenum est, at tristibus illud [1]. »

» Cæterum cui Jupiter ex utroque aliquid affuderit, hunc

« Incertum modo læva premunt, modo læta sequuntur. »

» Cui vero secus, hoc est, mera ex altero cuncta dederit,

« Hunc dolor assiduus terrarum in sede fatigat. »

» Nec rursum ferendus qui dixerit, Jovem bonorum et ma-
» lorum quæstorem nobis ac dispensatorem esse. Præterea
» si quis, quod jurisjurandi fœderumque religiones Pan-
» darus conturbarit, id Minervæ Jovisque consilio factum
» esse scribet, nullo modo probabimus : uti nec Deorum
» contentionem atque judicium ad Themidem Jovemque
» revocari. Similiter quominus illud Æschyli a junioribus
» audiatur, cavendum erit

« ..... Deus mortalibus causam serit,
» Domum ipse dum vult funditus pessundare [2]. »

» At si quis funestos illos Niobes, aut Pelopidarum casus,
» vel Trojanas calamitates, aut aliud quicquam ejusmodi
» versibus iambicis mandare voluerit, aut permittendum
» ei non erit, ut abs Deo facta illa esse dicat, aut si Deo
» tribuentur, ea tum forte ratio excogitanda illis erit, quam
» ipsimet investigamus; atque ita loquendum, abs Deo bona
» justaque profecta esse omnia, nec minus iis qui puniren-
» tur fructuosa. At vero et miseros fuisse qui pœnas eas
» sustinerent, illas tamen Deum inflixisse, hoc ut poeta

[1] Hom. Il. lib. XXIV, v. 527. — [2] Æschyl. locus qui non extat.

» canat, ferendum nunquam erit. Quod si homines improbos, utpote miseros, animadversione opus habuisse dicerent, eamque dum subirent, opem sensisse divinam, hactenus id tolerari possit. At Deum, qui per sese bonus sit, causam ulli malorum esse, id vero ne aut a quoquam in sua civitate dicatur, si eam modo recte institutam volet, aut ullus occinentem audiat, omni ratione pugnandum » erit, idque seu junior ille, seu senior fuerit, sive stricta, sive soluta oratione dicatur : quod ista nec pie narrari possint, nec ullam nobis utilitatem afferant, nec secum ipsa consentiant. Ego vero, inquit, legis tecum hujus auctor libenter fuerim, ita mihi placet. Hæc igitur, inquam, ex iis legibus atque formis, quas ubi de Deo loquendum erit, tam oratoribus quam poetis, propositas esse oportebit, una esto, Deum non omnium, sed bonorum duntaxat causam esse. Placet, inquit, abunde est. Hæc autem secunda, quid? An tu veneficum aliquem Deum esse, et tanquam ex insidiis alia repente aliaque forma nobis apparere existimas; ita ut modo per sese talis ipse fiat, crebrisque mutationibus novum subinde vultum ac speciem induat; modo illudens oculis, ut ejusmodi videatur, efficiat? an potius simplicem esse illum, minimeque omnium formam suam exuere? Modo, inquit, quod tam universe respondeam non habeo. Quid igitur ad hoc? Si quid formæ suæ mutationem subeat, nonne aut ipsum mutari per sese necesse est, aut ab alio? Necesse id quidem. Atqui vix ac ne vix quidem ab alio, quæ optime sese habent, mutari moverique solent : quo modo corpus a cibo, potu, laboribus, et quodvis plantæ genus, ab æstu, ventis, aliisque tempestatibus, ita mutatur, ut tamen quod in eo genere sanissimum ac valentissimum est, id mutationem illam minime sentiat. Quis enim hoc neget? Animus igitur ipse, cum fortissimus idem sit ac prudentissimus, ab

» externa ulla vi minime perturbari mutarique poterit. Sane.
» Præterea, composita etiam omnia, ut vasa, ædificia, vesti-
» menta, si modo recte confecta sint, partibusque suis om-
» nibus absoluta, minimam similiter vel abs tempore vel
» ab alia quavis injuria mutationem subeunt. Ita est. Quic-
» quid igitur vel abs natura, vel ab arte, vel ab utraque
» suam habet integritatem, id extrinsecæ mutationi mini-
» me obnoxium fuerit. Ita videtur. Jam vero, Deus pro-
» fecto, quæque Dei sunt omnia, omni ex parte perfectissi-
» ma sunt. Quis neget? Sequitur ergo Deum multiplices
» aliunde formas subire non posse. Omnino sequitur. An
» vero per sese varias illas sui mutationes et conversi-
» ones efficiet? Efficiet, inquit, si quando mutabitur. Utrum
» igitur in melius sese aliquid præstantiusque mutabit, an
» contra in deterius ac turpius? In deterius, inquit, ne-
» cessario, si mutetur. Quippe, nunquam enim Deo pul-
» chritudinis quicquam aut virtutis deesse dixerimus. Rec-
» tissime loqueris, inquam. Sed, cum hoc ita sit, num
» tibi, o Adimante, Deum quisquam aut hominum, sese
» ullatenus deteriorem ultro facturus videtur? Fieri non
» potest, inquit. Nec fieri ergo potest, inquam, uti Deus
» se ipsum mutare velit : sed potius, ut liquet, Deorum
» quivis, cum pro se quam pulcherrimus quisque, atque op-
» timus sit, sui semper omnino similis idemque manet.
» Prorsus hoc mihi necessarium videtur. Desinat ergo, vir
» optime, poeta quilibet, istuc nobis occinere,

« ..... Peregrino Numina cultu,
» Omnigenos induta habitus, nostra oppida lustrant [1].

» Nec ullus in Posterum de proteo ac Thetide mendacia ista
» confingat : nec in tragediis, aut alio poematis genere Ju-

[1] Hom Odys. lib. XVII, v. 486.

» nonem introducat, quæ sacerdotis in speciem formamque mutata, almis illis Inachi Argivi fluvii liberis stipem corroget. Hæc aliaque id genus sexcenta nemo deinceps mentiatur. Caveant præterea matres, ne hausta semel rerum istarum opinione filiolis terrorem injiciant, dum ejusmodi commenta perperam fabulantur, Deos noctu nonnullos oberrare omnigenis hospitibus similes, ne simul injuriose de Diis impieque loquantur, simul liberos quoque suos meticulosiores efficiant. Cavendum id sane, inquit. Num vero, inquam, Dii ut suapte, natura mutari non possint, id tamen illusionibus ac præstigiis quibusdam agunt, nobis ut omni formarum genere induti videantur? Fortean, inquit. Ego vero, fierine possit, uti Deus aut verbis, aut re ipsa inanium figurarum objecta specie mentiri velit? Nescio, inquit. Nescis tu, inquam, genus hoc mendacii, omnibus, ut ita loquar, Diis et hominibus invisum esse? Clarius istuc obsecro. Nimirum, inquam, nemo est omnium, qui libenter, et parte sui præcipua, et præcipuis in rebus falli velit, imo qui non genus hoc mendacii præ cæteris omnibus reformidet. Ne nunc quidem, inquit, satis id capio. Videlicet, inquam, mirum me aliquid dicere arbitraris. Ego vero tantum hoc dico, ita comparatos omnes esse, ut in rerum notionibus informandis, vel decipi se, vel deceptos aliquando esse, adeoque ignorantia laborare, conceptumque mendacium animo fovere, non tantum per moleste ferant, sed etiam ab eo hac in parte vehementer abhorreant. Prorsus, inquit. Atqui, recte, inquam, omnino, quod jamjam abs me dicebatur, hoc est quæ in hominis decepti animo versatur ignorantia, mendacium appelletur; quod enim in verbis est positum, id ejus tantum, quod animum occupat, vitii imitatio quædam est, expressumque posterius simulacrum, non autem purum omnino putumque men-

» dacium. An non ita est? Ita prorsus. Quod ergo re ipsa » mendacium est, id non Dii modo, verum etiam homines » exosum habent. Habent, ut videtur. Jam vero quod in » verbis inest mendacium, quando tandem, et quod eam » utilitatem habet, ut odio dignum haberi non debeat? » Nonne cum adversus hostes, tum etiam erga nonnullos » eorum, quos amicos vocamus, si quando vel acti furore, » vel ignorantia lapsi, mali aliquid moliantur, ejus averten » di causa, tanquam amuletum aliquod opportunum est? » Quinetiam in illis ipsis, de quibus paulo ante agebamus, » fabulis, quod nos rerum antiquarum veritas lateat, dum » ad veri similitudinem mendacium trahimus, nonne tum, » ut aliquid ex eo fructus percipi possit, efficimus? Certe, » inquit. Quonam igitur ex illis nominibus, utile Deo » mendacium esse queat? Utrum quod rerum antiquarum » ignoratione laboret, quadam veri simulatione mentietur? » Ridiculum, inquit, hoc fuerit. Mendax igitur in Deo » poeta non est. Mihi quidem non videtur. An vero hostium » metu? Absit. An propter amicorum aut stultitiam aut » furorem? At stultus, inquit, furiosusque nemo amicus » Deo esse potest. Causæ igitur nihil est, quamobrem men- » tiatur Deus. Nihil. Semota ergo ab omni mendacio est » Numinum Deorumque natura. Omnino, inquit. Deus igitur » quam simplicissimus est, idemque tam re, quam oratione » verissimus, nec mutatur ipse, nec alios aut simulata » specie, aut verbis, aut signorum ostentis, aut visis, aut » somniis, in errorem inducit. Tibi plane assentior. Restat » igitur, ut secundum hanc formam esse concedas, quam » oratores et poetæ, cum de Diis loquuntur, intueri de- » beant, eos nec sese tanquam veneficos immutare, nec ver- » bis, aut re ipsa mentiendo, nobis imponere. Concedo. » Itaque Homerum, ut in aliis plerisque laudemus, in eo ta- » men non laudabimus, quod somnium illud Agamemnoni

» Jove immissum confinxerit[1]. Nec Æschylum probabimus,
» cum Thetidem introducit, Apollinem, ipsum quem in
» suis illa nuptiis cantorem habuerat,

« Risisse sortem prolis egregiam suæ.
» Mihi nam valentes, atque longævos fore
» Dum caneret ipse liberos, nil insuper
» Non sponte Pæon addidit, charam Deis
» Vocans parentem, meque lætitia efferens.
» Equidem subire fraudis ac falsi nihil
» Divina vatis ora credideram sacri.
» Ille ipse præco noster, ac mensæ comes,
» Cuncta illa jactans, filium occidit meum [2]. »

» Hæc similiaque de Diis a quocunque dicantur, feremur graviter, nec legendi docendique chori potestatem ei faciemus, nec iis præceptores in junioribus informandis abuti patiemur; si modo reipublicæ nostræ custodes religiosos, et quantum homini licet, divinos habere cupiamus. Ego vero, inquit, formas illas vehementer probo, iisque tanquam legibus maxime uti velim. » Hactenus Plato. Jam in Hebræorum litteris, nusquam omnino, turpes de universi moderatore Deo, ac ne de divinis quidem ipsius angelis, imo nec de hominibus etiam Deo caris fabulas, Græcis illis similes, reperias. At sancitam illam a Platone formam passim invenias licet, non modo bonum esse Deum, sed etiam quæcunque fecerit, in bonitatis suæ communionem vocasse. Sane quidem admirabilis ille Moses, post operis cujuslibet enarrationem adjungit, « Et vidit Deus » quod bonum erat : » idemque post omnium expositionem, de universis universe ita concludit, « Et vidit Deus omnia quæ fecerat, et erant valde bona. » Præterea, commune Hebræorum dogma hoc est, malorum auctorem Deum non esse,

[1] Hom. Iliad. lib. II, initio. — [2] Æschyli hæc nunc non leguntur.

Siquidem nec mortem fecit Deus, nec viventium interitu delectatur. Ut enim essent, omnia creavit, suntque salutares ex sese mundi generationes : « Invidia autem diaboli » mors intravit in mundum[1]. » Quamobrem a propheta Deus etiam introducitur, cum eo qui suapte voluntate malus evaserat, hunc in modum expostulans : « Ego autem » plantavi te vineam fructiferam, totam veram ; quomodo » conversa es retro, vinea aliena[2] ? » Sicubi autem improbis divinitus evenire mala dicuntur, id accipiendum ita est, ut mala solius communione vocis pœnæ illæ nominentur, quas Deus per sese bonus, ad eorum, quibus immittuntur, non perniciem, sed utilitatem et commodum infligere dicatur : quemadmodum Medicus, qui ad laborantium salutem, molestum et grave curationis genus adhiberet, malum iis afferre pateretur. Quare in divinis etiam paginis, ubicunque a Deo mala hominibus immitti dicuntur, usurpanda sunt illa Platonis, « Abs Deo justa bonaque profi» cisci omnia, quæque hominibus tristia malaque videri so» lent, dignis quibusdam infligi ; cæterum qui puniantur, » fructum ex iis capere : » quod non tantum a philosopho, sed etiam a Scriptura confirmatur, dum ait, « Quem enim » diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, » quem recipit[3]. » At vero et miseros fuisse, qui pœnas eas sustinerent, et illas tamen Deum immisisse, hoc ut poeta canat, ferendum nunquam erit. Quod si homines improbos, utpote miseros, animadversione opus habuisse dicerent, eamque dum subirent, opem sensisse divinam ; hactenus id tolerari possit. Deum autem, qui per sese bonus sit, causam ulli malorum esse, id vero ne unquam dicatur, omni ratione pugnandum erit. Præterea Deum mutari non posse docet Hebræus propheta, ubi sic ejus ex persona loquitur : « Quoniam ego Dominus Deus vester, et

[1] Sap. II, 24. — [2] Joan. II, 21. — [3] Heb. XII, 6.

» non mutor. » Similiter David in sua illa Theologia, sic exclamat : « Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut » opertorium convolves illos, et mutabuntur. Tu autem » idem ipse es, et anni tui non deficient[1]. » Ubi autem Dei Verbum, forma specieque humana indutum, Hebræorum litteræ repræsentant, dicendum enim vero, non quomodo Græcorum fabulæ de Proteo, Thetide, ac Junone memorant, aut quales Deos illos jam jam audiebamus, noctu multis animantibus, atque omnigenis similes oberrare, divinum hoc Verbum sese hominibus exhibens ab illis introduci : sed potius, quemadmodum Plato ipse docet, ut opis in amicos aliquid ac beneficii conferatur, si quando vel ob furorem vel ob stultitiam mali quidpiam moliantur, tum ejus amoliendi causa, tanquam salutare quoddam amuletum, Dei apud homines adventum contingere. Quoniam igitur ex omnibus, quæ terrarum ambitu continentur, animantibus, homine carius Deo nullum est, qui cum Dei Verbo, cujus manu cum animo ratione prædito creatus est, necessitudine quadam et affinitate conjungitur : merito quidem cœleste Verbum, quod hujus tanquam dilecti animantis curam gereret, ad universi generis curationem venire pronuntiant; quippe quod morbo ac furore tam insano teneretur, ut nec Patrem Deum, nec propriam naturæ suæ spiritalis essentiam, nec ipsius Dei providentiam, rerum omnium conservatricem agnosceret, sed in brutæ animantis conditionem prope degenerasset : propterea, inquam, Servatorem ac Medicum ad homines accessisse testantur, sic tamen, ut neque suam ipse naturam exuerit, neque videntibus errorem ullum obtulerit, sed ambo illa, hoc est tam quod cerni oculis non poterat, quam quod sub aspectum cadebat, vera retinuerit. Idem enim et verus homo cernebatur, et verum simul Dei Verbum erat,

[1] Psal. CI, 27.

quod nullis præstigiis utebatur, nec aspicientibus illudebat: quemadmodum etiam Platoni Numen ab omni mendacio alienum esse debere videbatur. « Itaque Deus Verbum, » simplex admodum, veraxque cum esset, tam re ipsa, » quam oratione, nec per sese mutabatur, nec alios aut si- » mulata specie, aut verbis, aut signorum ostentis, aut » visis, aut somniis in errorem inducebat. » Quæcunque enim ipsum, tanquam animorum ratione præditorum Medicum, ad salutem generi hominum universo afferendam præstare decuit, ea vere, non specie tenus, per eum, quem assumpsit, hominem cuncta perfecit, eaque quam prædicavi Dei cognitione, veraque pietate, nobis omnibus cum Patre suo amicitiam, ad eamque redeundi facultatem impertivit. Et nostra quidem hujusmodi sunt. Quicunque autem aliter loquentur, feremus sane graviter, nec legendi docendique chori potestatem iis faciemus, nec iis præceptores in junioribus informandis abuti patiemur, siquidem Reipublicæ nostræ custodes religiosos atque divinos, uti philosopho maxime placebat, habere cupiamus.

CAPUT IV.

Præter obscœnas fabulas, nihil istas de Græcis Numinibus narrationes continere, Socratemque, quod iis fidem non haberet, ab Atheniensibus interfectum esse.

« Jovem, inquit Plato[1], Deorum optimum atque justis- » simum homines isti existimant, a quo tamen suum ipsius » patrem, quod filios injuria devoraret, vinctum esse con-

[1] Plat. in Eutyph.

» fitentur : qui et ipse rursus ob alia quædam similia, pa-
» trem ante suum exsecuerat. Iidem vero mihi succensent,
» quod patrem injustitiæ reum in jus vocem. Ita secum
» ipsi pugnant, cum de Diis, ac de me loquuntur. Enim
» vero causa hæc una est, Euthyphro, quæ me reum facit,
» quod ægre audiam, si quis talia de Diis commemoret.
» Erit propterea, ut videtur, qui peccare me dicat. Et qui-
» dem si tu quoque rerum istarum adeo peritus, eadem in
» opinione versaris, nobis etiam, opinor, id erit necessario
» concedendnm. Quid enim causæ diceremus, cum nihil
» iis de rebus scire nos, ultro ipsi fateamur? Sed tu, per
» Jovem illum amicitiæ præsidem, ea vere hunc in modum
» contigisse putas? Imo et alia, mi Socrates, longe his mi-
» rabiliora, quæ hominum vulgus ignorat. Tune igitur
» bellum inter Deos, illasque graves inimicitias, atque
» contentiones, aliaque id genus permulta, quæ a poetis
» occinuntur, locum habere arbitraris? Sane quidem, cum
» sacra nobis alia boni pictores egregie variarint, tum vero
» magnis illis Panathenæis peplum quoddam ejusmodi va-
» rietatibus plenum, summam in arcem tollitur. Vera hæc
» esse, mi Euthyphro, num dicemus? Imo, non ista solum,
» mi Socrates, sed etiam, quod paulo ante dicebam, alia
» tibi pleraque, si velis modo, de Diis referam, quæ tu,
» sat scio, cum audies, obstupesces. » Hæc Plato in Euthy-
phrone. Quorum sententiam illustrat Numenius, in eo
quem de Platonis arcanis conscripsit, his verbis.

CAPUT V.

Ex Numenii libro de Platonis arcanis. Eamdem in rem.

« Si de Antheniensium theologia cum se Plato scripturum esse proposuisset, eam asperius deinde reprehendisset, quod partim mutua Numinum dissidia contineret, partim liberos aut congressos cum parentibus, aut ab iis devoratos, partim sceleris utriusque causa, pœnas vel parentibus a liberis, vel fratibus a fratribus impositas, atque id genus alia celebraret : hæc, inquam, si palam et aperte Plato accusasset, mihi sane causam Atheniensibus aliquam præbuisse videretur, ut in eo, quemadmodum et in Socrate interficiendo, suam denuo improbitatem expromerent. » At vero, cum is nec vitæ, quam veritatis, retinendæ cupidior esset, et utramque tuto abs sese defendi posse videret, Euthyphronem illum hominem, arrogantem ac stolidum, quique de Diis perperam, si quisquam alius, disputaret, Atheniensium vice introduxit : Socratem vero per sese, ac pio illo more genioque proprio, quo passim ille cum omnibus utebatur, coarguentem exhibuit.

CAPUT VI.

In vulgi opiniones abeundum non esse, nec ab instituto suo vel mortis metu discedendum. Ex Critone.

« O amice Crito[1] (inquit apud Platonem Socrates) tuum » hoc studium, si modo cum æquitate conjunctum sit, maxi» mi sane faciendum est : sin minus, quo vehementius est, » eo molestius. Videndum ergo nobis, utrum ita sit agen» dum, necne. Equidem non tantum in præsentia, sed » etiam perpetuo ita sum animo comparatus, ut quicquid » a meis afferatur, nihil unquam præter eam rationem au» diam, quæ mihi rem attente cogitanti optima videatur. » Atque ne in hac quidem fortuna, qua nunc utor, quæ » antehac abs me disputata sunt, repudiare possum; ita » fere mihi semper sui similia videntur; adeoque illa ipsa, » quæ prius, amplector etiamnum ac sequor. Quibus pro» inde si melius nihil, hoc statu rerum, quod dicamus, oc» currit, nunquam, mihi crede, tibi assentiar; ne si nobis » quidem plura, quam adhuc videamus, terriculamenta vis » illa populi tanquam pueris objecerit, vincula, mortes, » ac bonorum direptiones intentando. Quis igitur a nobis » optimus his in rebus æstimandis adhiberi modus poterit? » Principio quidem, si tuam illam de opinionibus disputa» tionem repetimus, rectene videlicet, an secus, dictum » universe fuerit, in nonnullis opinionibus acquiescendum » esse, in aliis minime : an potius, antequam mihi esset » moriendi oblata necessitas, recte id ac vere diceretur, nunc » autem plane constiterit, tum quidem aliter, sed dicis

[1] Plat. in Criton.

» tantum causa disputatum, re ipsa tamen ludum id totum » ac nugas fuisse. Ego vero tecum una, mi Crito, atten- » dere nunc et explorare cupio, dum alius mihi, postquam » hunc in locum fortunamque veni, sermo ille videatur, » an prorsus idem : ac proinde utrum eum facessere jubea- » mus, an eidem pareamus. Tum quidem, opinor, uti » jamjam ipse dicebam, id communi quodam eorum, qui » aliquid se dicere existimabant, judicio statuebatur; ex » iis quæ in hominum opinione versantur, alia plurimi fa- » cienda esse, alia secus. Hoc igitur per Deos, o Crito, non » tibi recte statui videtur? Nam tu, quantum sane huma- » nitus affirmari potest, extra periculum es crastino die » moriendi, nec est quod præsens hic te casus transversum » agat. Attende ergo. Num tu apte illud ac jure dici arbi- » traris, nec opiniones hominum omnes esse laudandas, » sed aliquas tantum, alias non item : nec omnium etiam » hominum, sed aliquorum duntaxat, aliorum secus? Quid » ais? Numquid istud recte dicitur? Recte. Laudandas ergo » quæ bonæ sunt, quæ pravæ, repudiandas? Ita. Bonas » autem non eas tu vocas, quæ a prudentibus, malas con » tra, quæ ab imprudentibus imbibuntur? Quid enim aliud » dicerem? Age nunc, quemadmodum ista porro disputa- » bantur? Qui in gymnasiorum exercitationibus studiose » versatur, utrum is cujuslibet hominis laude, vituperio, » et opinione moveri debet, an ejus tantum unius, qui aut » medicus sit, aut similium exercitationum moderator? » Sane hujus tantum. Hujus ergo duntaxat, non autem mul- » titudinis, vel metuere reprehensiones, vel laudibus de- » lectari oportebit. Utique. Unius ergo moderatoris potius, » ac rerum istarum periti, quam aliorum omnium sensus » atque judicium, tam in obeundis exercitationibus, quam » in cibi potusque modo sequendum erit. Sic est. Bene ha- » bet. Quid si autem ejus unius rejecto ductu, et opinione

» laudibusque neglectis, stultæ multitudinis arbitrium se-
» quatur, nihilne tandem ex eo mali patietur? Nam quî
» aliter fiat? Malum istuc autem cujusmodi est? quoque
» pertinet? aut quam in refractarii partem redundat? Ni-
» mirum in corpus, huic enim perniciem creat. Recte res-
» pondes. Cæterorum igitur, mi Crito, ne singula perse-
» quamur, eadem omnium ratio est. Itaque res etiam justas
» injustasve quod attinet, turpes item aut honestas, bo-
» nas aut malas, de quibus instituta nunc a nobis quæstio
» est, utrum vulgi opinionem sequi ac formidare nos opor-
» tet, an unius duntaxat, si quis modo probe intelligens
» fuerit, quem etiamnum potius, quam reliquos omnes
» vereri ac metuere debeamus? Eumdem contra si minus
» audiemus, damnum ei parti ac detrimentum alla-
» turi simus, quæ ut æquitate floret, sic injustitia conta-
» bescit? An totum istuc nihili facis? Enimvero, Socrates,
» tecum sentio. Agedum igitur, si quod in nobis rerum, et
» salubrium ope convalescit, et noxiarum usu deteritur,
» illud ipsimet ab hominibus imperitis inducti pessundabi-
» mus, eone jam profligato vivendum nobis ultra putabi-
» mus? Corpus autem illud est; numquid? Ita est. Num
» ergo nobis, cum ægro ac vitioso corpore, potest esse
» vita vitalis? Nullo modo. At eo videlicet corrupto, vita-
» lis erit, cui ut exitium injustitia, sic æquitas opem ac sa-
» lutem affert. An corpore vilius habebimus, quicquid demum
» in nobis illud est, circa quod injustitia justitiaque ver-
» santur? Absit. Num igitur præstantius? Multo sane. Non
» admodum ergo, vir optime, curandum nobis erit, quid
» de nobis vulgus loquatur; sed quid ille tantum, qui re-
» rum justarum et injustarum cognitione præstabit; unus,
» inquam, ille, ipsaque adeo veritas. Quare minus
» recte primum illud asbs te positum est, ubi de rebus jus-
» tis, honestis, ac bonis agatur, earumque contrariis, vulgi

» opinionem aliquo nobis in numero habendam esse. » Hactenus Plato. Quam in sententiam illud est salutaris Evangelii, « Gloriam ab hominibus quæritis, et gloriam ab » eo solo, qui vere unus est, non quæritis[1]. » Quocirca nos etiam in certaminibus pro religione susceptis, jure profecto non attendimus, quid de nobis multitudo loquatur, sed tantum quid unum illud Dei Verbum postulet : ad quod ubi nos semel considerate adjunximus, tum illud etiam perinde uti prius observare nos oportet, nec unquam omnino dimittere, tametsi nobis quasi pueris terriculamenta vis illa multitudinis objiciat. Quales etiam erant, qui apud Hebræos olim martyrii gloria claruere.

CAPUT VII.

Reponendam iis non esse, a quibus injuriose tractemur injuriam. Ex eodem.

« Utrum, inquit Plato[2], injuriam sponte ullo unquam » modo faciendam negamus, an aliquo fieri posse, aliquo » non posse statuimus? Num, inquam, injuriam facere » nullatenus honestum ac bonum est, quemadmodum inter » nos antea sæpe convenit, uti etiam paulo ante diceba- » tur? An vero quicquid a nobis antea constitutum erat, » id omne paucis hisce diebus effudimus; nosque, mi Crito, » ea jam ætate senes, dum inter nos studiose disceptamus, » tamdiu latuit, quam nihil a pueris differremus? An po- » tius ita plane se res habet etiamnum, uti a nobis eo tem-

[1] Joan. v, 44. — [2] Plat. id.

» pore disputabatur, sive suffragetur multitudo, sive non?
» adeoque seu nos istis etiam graviora maneant, seu leviora,
» injuriam tamen auctori suo malam prorsus esse turpem-
» que defendimus, an non? Hercle defendimus. Itaque
» nullo modo facienda injuria est. Nullo. Igitur ne repo-
» nenda quidem inferenti, ut aliud vulgus opinetur, quando
» quidem facienda nunquam est. Et hoc consequens est.
» Quid autem detrimentum afferre, mi Crito, decetne, an
» non. Non sane, mi Socrates. Rependere vero quod acce-
» peris, æquumne porro, an secus? Nullo modo: quippe
» detrimentum enim qui afferat, is ab injuriam inferente ni-
» hil differat. Recte omnino. Itaque nec reponenda vicissim
» injuria est, nec ulli prorsus incommodandum, quidquid ab
» aliis passi fuerimus. Sed vide sis, mi Crito, ne dum istuc
» fateris, præter opinionem ipse tuam fateare. Paucis enim id
» probatur sat scio, paucisque deinceps probabitur. Qui au-
» tem hoc in genere dissident, iis una consilii ratio com-
» munis esse non potest, sed dum aliorum alii studia con-
» siderant, eos sese mutuo despicere necesse est. Vide ergo
» tu quoque diligenter, num id æque tibi probetur ac mihi,
» indeque ambo communiter consiliorum nostrorum auspi-
» cia capere debeamus, verum esse nunquam aut facere
» injuriam, aut reponere, eique vicissim a quo male habi-
» tus fueris, damni aliquid rependere: an contra discedas
» a nobis, neque nobiscum hoc in principio convenias. Nam
» mihi quidem, uti jam olim, ita etiam nunc id ipsum vi-
» detur. Tu si pristinam opinionem abjecisti, dic, et mu-
» tationis rationem expone: sin priorem illam retines,
» audi quod sequitur. Ego vero et priorem illam retineo, et
» tibi prorsus assentior. Sed, amabo, prosequere. Prose-
» quor igitur, vel potius quæro, num quod æquum esse al-
» teri confessus eris, faciendum, id sit an fraude omit-
» tendnm? Faciendum utique. » Hæc Plato. Quibuscum

illud conferas tu velim : « Nulli malum pro malo red-
» dentes[1]. » Nec non alterum illud : « Benedicite iis qui
» vos execrantur : orate pro calumniantibus et persequen-
» tibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est,
» qui Solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit
» super justos et injustos[2]. » Præterea illud Apostoli, « Ma-
» ledicimur, et benedicimus : persequutionem patimur, et
» sustinemus : blasphemamur, et obsecramus[3]. » Quæ sa-
cris nostrorum litteris continentur. Quibus etiam accinit
Hebræus propheta, dum ait : « Si reddidi retribuentibus
» mihi mala[4]. » Atque iterum : « Cum his qui oderunt pa-
» cem, eram pacificus[5]. »

CAPUT VIII.

Quæ semel recte statueris, ea ne mortis quidem metu abjicienda esse. Id quod in eos conveniet, qui persecutionum temporibus religionem ejurant.

« Tum enim vero magnifice prædicabas[6], (ita Leges
» ad Socratem) ne mortem quidem ipsam iniquo te animo
» laturum esse, quam etiam exilio potiorem tibi esse dice-
» bas. Nunc autem, nec ejus tu orationis testimonium ve-
» reris, nostraque auctoritate ita non moveris, eam ut
» etiam refringere ac pessundare moliaris. Id agis porro,
» quod servus nequissimus ageret, dum etiam adversus
» pacta illa atque conditiones, quibus te in Republica versa-
» turum nobis recepisti, fugam cogitas. Nobis igitur primum
» illud responde, verene a nobis dicatur, an falso, te in

[1] Rom. XII, 17. — [2] Matt. V. — [3] Cor. IV, 12. — [4] Psal. VII, 5. —
[5] Psal. CXIX, 7. — [6] Id. ibid.

» Republica nostro ex præscripto, non verbis tenus, sed re
» ipsa victurum recepisse? Quid nobis ad hæc responden-
» dum, mi Crito? num ingenue confitendum? Necesse id
» quidem, o Socrates. Quid igitur (inquient) aliud facis,
» quam pacta illa conventa, quæ nobiscum pepigisti, vio-
» las? idque, cum nulla vel necessitate, vel fraude impulsus
» ea probaveris, nec angustum aliquod tempus ad delibe-
» randum habueris, sed annos totos septuaginta, quibus
» sane, si minus tibi placeremus, nec justæ conditiones vi-
» derentur, abire potuisti. Verumtamen, neque Lacedæ-
» monem aut Cretam, quarum tu leges passim et instituta
» commendas, nec aliam ullam, seu Græcam, seu Barba-
» ram civitatem huic prætulisti. Quinetiam ex ea rarius,
» quam ipsimet claudi, cæci, aliique id genus mutili homi-
» nes, pedem extulisti. Adeo tu præ cæteris Atheniensibus
» hac in civitate, atque in nobis ipsis acquievisti. Cui enim
» civitas sine legibus ulla placeat? Nunc tamen quæ ipse-
» met pepigisti, repudias; at servabis ea profecto, si nos au-
» dies, o Socrates. »

CAPUT IX.

—

Qualis animo sit oportet, qui mortis metu susceptum institutum ejuret.

« Etenim (pergunt eædem Leges) quem legum ipsarum
» corruptorem esse constiterit, is facile admodum et ju-
» ventutis et hominum imperitorum corruptor habea-
» tur. Utrum ergo bene moratas civitates, et virorum
» honestissimorum consuetudinem declinabis? an vitam

» porro, dum id ages, tibi retinendam putabis? an cum iis
» potius versabere, nec sermones illos, quibus hic So-
» crates, pridem assuevisti, cum iis serere erubesces;
» virtutem, justitiam, leges, quæque legum ex præ-
» scripto fiant, maximo apud homines in pretio esse de-
» bere? Nec turpe Socratis factum visum iri existimas?
» At existimandum sane. Verum, iis tu relictis locis videli-
» cet, Thessaliam cogitas, Critonis hospites aditurus. Illis
» enim effusa quædam licentiæ vis est, ac petulantiæ copia.
» Et fortassis ex te libenter audient, quam ridicule aufuge-
» ris ex carcere, habitu nescio quo, aut pelle quadam in-
» volutus, aut alio quolibet ejusmodi, quod induere homines
» fugitivi solent, vultum insuper speciemque tuam menti-
» tus. Quid porro? vetulum hominem, cui, ut simile veri
» est, parum admodum vitæ superesset, gravissimis legi-
» bus violatis, tam sordide ac putide vivendi cupiditate cap-
» tum fuisse, nemo erit qui objiciat? Nemo forte, si nemini
» molestus unquam eris. Sin autem; pleraque Socrates, ac
» te prorsus indigna auditurus es. Itaque nulli non ob-
» noxius, ac servi more addictus vives. Nam quid ages
» præterea? Num in Thessalia convivia celebrabis? perinde
» nimirum, ut si cum Thessaliam peteres, epulas seque-
» rere. At egregiæ illæ de justitia, deque omni virtutis ge-
» nere disputationes, quo tandem avolarint? Enimvero li-
» berorum tu causa vivendi cupidus es, ut illos educare at-
» que instituere possis. Eos igitur in Thessaliam abductos
» educabis et institues, ubi hospites etiam ac peregrinos
» feceris, uti hoc quoque tibi acceptum referant? An
» id quidem minime facturus es; sed tamen, cum hic
» educabuntur, atque instituentur, melius id te superstite,
» absente licet, futurum arbitraris, quod necessarii tui cu-
» ram eorum gesturi sint? Quid? Si in Thessaliam migra-
» veris, curam illorum gerent: si migraveris ad inferos,

» nullam gerent? Gerent profecto, si quid in iis vere, qui » tuos se necessarios esse dictitant, opis est ac præsidii » constitutum. Quanquam, agesis, o Socrates, nosque nu» trices tuas audi, neque liberos, neque vitam, neque » aliud quicquam ei, quod justum est, antepone : ut cum » ad inferos ventum erit, iis in omnibus causam Judicibus » illis tuam probare possis. Nam id sane liquet, ut hæc feceris, » neque tecum propterea melius, neque cum tuorum ullo, » melius hic aut æquius sanctiusve actum iri : ac ne illic » quidem felicius. Quin tu igitur decedis, (si tamen dece» dendum est) non a nobis quidem, sed ab hominibus inju» riose tractatus? Nam si adeo turpiter aufugeris, injurias » cum injuriis, cum maleficiis maleficia compensando, » pacta nobiscum inita violando, malum iis etiam, quibus » minime oportuit, tibi, amicis, patriæ, ac nobis ipsis » creando ; cum ipsæ tibi graviter adhuc vivo succensebi» mus, tum illic sorores etiam nostræ, hoc est inferorum » leges, eo te asperius excipient, quo te illum esse intelli» gent, qui nos, quantum in te fuit, extinguere sis ac » profligare conatus.

CAPUT X.

Mortem veritatis causa non esse fugiendam. Ex Socratis Apologia.

« Verum, *inquit*, ita forte quis objiciat, quid? non ergo » te pudet, o Socrates, vitæ institutum ejusmodi sequutum » esse, quo tibi hoc mortis periculum creares? Cui ego jure » sic reponam, Erras, mi homo, si apud eum, qui aliquo » in numero sit, vitæ mortisve periculum tanti esse putes;

» nec illud potius unum ab eo cogitari, justene an injuste » rebus in omnibus sese gerat, virique boni, an improbi » facta persequatur. Enimvero, si quid tua hæc efficit ora- » tio, nequam fuerint necesse est heroes illi omnes, qui » apud Trojam obiere, ipseque adeo Thetidis filius, qui » præ turpitudinis et ignominiæ metu, ita periculum omne » contempsit, ut cum eum cædem Hectoris anhelantem, » Dea mater hoc fere modo revocare conaretur, si Hecto- » ris cæde, fili mi, Patrocli necem ulciscare, periturus es » ipse quoque,

« Nam te certa manet, inquit, mors Hectore cæso: »

» ipse his auditis, calcatoque mortis omni discrimine, quod » vitam ipsam cum ignavia conjunctam, suorumque mortis » inultæ probrum longe vehementius formidaret, ita res- » ponderit,

« Protinus o peream!

» sed pœnis ab infesto homine repetitis, ne hic diutius » classem ad meam ridiculus sessitem,

« ..... Telluris inutile pondus. »

» Hunc tu hominem de morte ac periculo sollicitum fuisse » arbitraris? Quippe, ita enim plane se res habet, Athe- » nienses: quo quisque in loco vel seipsum constituerit, » optimum id esse ratus, vel constitutus a magistratu fue- » rit, in eo sic manendum ipsi, ac periculum omne subeun- » dum esse statuo, ut præ uno turpitudinis metu, nec mor- » tem, nec aliud quicquam vel naucifaciat. Equidem, » facinus indignum admitterem, Athenienses, si quem mihi » locum imperatores illi vestri, quibus me parere voluistis, » sive apud Potidæam, sive apud Amphipolim, sive apud » Delium, sive ubi ubi assignarant, in eo cum hærerem,

» ut quivis alius, mortisque subirem pericula; tum vero
» nunc, cum ita de me, quemadmodum jam mihi pridem
» persuasi, Deus ipse statuerit, ut me Philosophi vitam vi-
» vere, nec me ipsum modo, verum etiam alios tentare
» probareque voluerit, mortis aut alterius cujuscunque rei
» metu, gradum hunc meum stationemque desererem: indi-
» gnum, inquam, flagitium esset, tumque adeo me juste
» quis omnino, quasi Deos esse nullos putarem, impietatis
» arcesseret; quippe qui nec oraculo parerem, et mortem
» extimescerem, et sapiens viderer ipse mihi, cum non es-
» sem. Mortem enim timere, Athenienses, aliud nihil est,
» quam sapientem videri, qui non sit. Nempe, videri hoc
» tibi scire est, quod nescias. Nam mors ipsa quidem, num
» quasi bonorum omnium maximum homini eveniat, nemo
» novit: et vulgo tamen eam extimescunt, quasi malorum
» eam esse maximum optime nossent. Quis autem fœdissi-
» mum illud inscitiæ genus esse neget, cum ea scire quis
» sibi videtur, quæ nesciat. Equidem, Athenienses, hac in
» parte fortassis ab hominibus plerisque dissideo: et si qua
» in re mihi quoquam sapientior viderer, in hac sane vide-
» rer, quod uti res illæ inferorum cujusmodi sint, non satis
» intelligo, ita nec eas me satis intelligere sentiam. At
» vero et injuriam facere, et ei quem superiorem agnoscas,
» sive Deus ille fuerit, sive homo, non parere, hoc et ma-
» lum et turpe esse profecto novi. Nunquam igitur ea quæ
» bona sint necne dubito, metuam fugiamque vehemen-
» tius, quam ea mala, quæ vere mala esse novi. Quam-
» obrem, ne si me quidem nunc absolveretis (illa Anyti
» oratione rejecta, cum negaret aut me in jus omnino vo-
» candum fuisse, aut quoniam vocatus sum, fas jam esse
» vobis, me non morte damnare: quippe qui futurum di-
» ceret, ut, si absolutus essem, vestri deinceps liberi, e
» Socratis disciplina viventes, omnes omnino corrumperen-

»tur :) Si me inquam, hac ejus audita oratione, hunc in »modum compellaretis, nunc quidem, Socrates, misso »interim Anyto, te absolvimus, sed ea lege, ut totum istuc »in posterum inquirendi ac philosophandi genus omittas; »nam si te adhuc id actitare constiterit, moriere. Hac si »me, uti jam dicebam, conditione absolutum velletis, »contra sic responderem : Vos equidem, Athenienses, com- »plector ac diligo, sed tamen Deo potius quam hominibus »obtemperabo, nec dum spirare quidem, eique vacare po »tero, philosophari desinam, vosque cohortari, et in »quemcunque vestrûm incidero, cum more meo libere ac »fidenter admonere.» Tum paucis aliquot interjectis : «Quam »magna porro spes, inquit, tenere nos debeat, boni ali- »quid hoc ipsum esse, ita quoque ratiocinemur. Necesse »est enim mori sit alterum de duobus, ut aut in nihilum »mortuus intereat, ac sensus omnino mors omnes auferat; »aut in alium quemdam locum, ut vulgo dictitant, ex his lo- »cis morte migretur. Quamobrem sive sensus extinguitur, »morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine »visis somniorum, placatissimam quietem affert, Dii boni, »quid lucri est emori? Equidem sic existimo, si cui tan- »quam eximia seponenda nox illa fuerit, quam sine mo- »lestia somniorum ulla traduxerit, licet cum ea dies vitæ »noctesque universas conferendo, quam multas toto illo »spatio jucundius ac suavius egerit, aperiat, has, ab eo »quidem, ut rex potentissimus fuerit, ne dum ut privatus »quispiam, præ aliarum multitudine, facile admodum nu- »meratum iri. Itaque si mors ejusmodi aliquid est, mor »tem in lucro pono : cum ei nocti similis futura sit perpe- »tuitas omnis consequentis temporis. Sin aliqua veluti »migratio est in alias quasdam oras, veraque sunt ea quæ »dicuntur, qui e vita excesserunt, illas universos incolere, »quid jam eo beatius est, Judices, te cum ab iis, qui se

» judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos deve-
» nire, qui vere Judices appellentur, Minoem, Rhadaman-
» thum, Æacum, Triptolemum, convenireque heroes illos,
» qui juste et cum fide vixerint? Hæc peregrinatio vilisne
» vobis et contemnanda videri potest? Ut vero colloqui cum
» Orpheo, Musæo, Hesiodo, Homero liceat, quanti tan-
» dem æstimatis? Equidem sæpe mori vellem, ut ea quæ
» dico mihi liceret invenire. Quanta porro delectatione af-
» ficerer, cum Palamedem, cum Ajacem olim illum Tela-
» monis filium, cum veteres alios judicio iniquorum cir-
» cumventos atque damnatos convenirem? Quidni enim
» jucundum mihi foret, meam cum eorum casibus fortu-
» nam componere? Illud vero, quanti fieri debeat, eos
» etiam qui illic versentur, perinde ut qui hac in vita de-
» gunt, tentare scrutarique posse; quis ex omnibus vere
» sapiat, quis tantum opinione tenus?» Hæc ille. Quibus nostra hæc gemina, « Obedire oportet Deo magis, quam
» hominibus.[1] » Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ani-
» mam autem non possunt occidere[2]. Scire etiam, quod si
» terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur,
» ædificationem ex Deo habemus, domum non manu fac-
» tam, æternam in cœlis. Et peregrinantes a corpore, ver-
» samur cum Domino[3]; » qui etiam omnibus, qui in eum speraverint, suavem in Abrahæ, Isaaci, et Jacobi sinu quietem, atque in cæterorum prophetarum justorumque consortio, qui Hebræos inter Deo cari fuerint, sempiternæ vitæ felicitatem pollicetur.

[1] Act. v, 29. — [2] Matt. x, 28. — [3] Cor. v, 1.

CAPUT XI.

Quemadmodum eorum mortem, qui vitam gloriose profuderint, celebrari oporteat. Ex Platone.

« Jam vero, inquit Plato [1], qui post egregia virtutis » exempla, honestam in bello mortem occubuerint, num- » quid eos in primis ex aureo illo genere fuisse dicemus? » Maxime vero. Num etiam Hesiodum audiemus, dum ex » eo genere qui vivendi finem fecerint, de illis ita pronun- » tiat,

« Sunt alii Heroes casti, terrasque frequentant,
» Atque ultro mala depellunt, hominesque tuentur? »

» Sane audiemus. Consulto itaque Numine, quonam heroes » illos ac Semideos ritu, quove discrimine consecrari opor- » teat, religiose omnino quicquid responderit, observabi- » mus. Enimvero faciendum id erit. Tum illos deinceps » tanquam heroas venerabimur, eorumque sepulchra sanc- » tiore cultu prosequemur. Eadem porro statuimus, ubi » quis post vitam cum excellentis probitatis opinione tra- » ductam, supremum aut senio, aut alio quovis modo » diem obierit. » Hæc Plato. Quæ quidem in hominum Deo carissimorum obitus egregie conveniunt, quos veræ pietatis milites jure appellaris. Nam et eorum sepulchra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus. Atque ex Platonis operibus hæc a nobis selecta sunt: plura

[1] Plat. de Repub. lib. v.

studiosus quilibet, nec apud ipsum modo, sed etiam fortassis apud alios, cum nostræ doctrinæ rationibus convenientia reperiat. Et quoniam hoc ipsum argumentum ante nos alii quoque nonnulli occuparunt, operæ pretium videtur, huc etiam ex eorum scriptis aliqua transferre. Primus esto Aristobulus, Hebræus Philosophus, cujus verba hæc sunt ipsissima.

CAPUT XII.

Aristobulum Peripateticum etiam ante nos confessum esse, Hebræis e fontibus suam Græcos hausisse philosophiam. Ex opere illo, quod Ptolemæo regi Aristobolus inscripsit.

« Satis constat, inquit, legum nostrarum instituta sequutum esse Platonem, et singula earum capita diligenter ac studiose perlegisse. Nam etiam ante Demetrium » illum Phalereum, adeoque ante Alexandri ac Persarum » imperium, ea jam omnia græce ab aliis conversa fuerant, » quibus illa Hebræorum popularium nostrorum ex Ægypto » migratio, tum eorum series, quæ cœlitus ipsis evenere, » promissæ regionis occupatio, et universæ legis expositio » continetur : nemini ut dubium esse possit, quin suos in » libros laudatus inde philosophus pleraque derivarit. Fuit » enim is lectionis plurimæ, quemadmodum et Pythagoras, » qui e nostris selecta quoque permulta suis illis decretis » inseruit. Post, regis Ptolemæi cognomento Philadelphi, » Avi tui tempore qui omnes hoc in genere studio et magni» ficentia superavit, integram eorum, quæ nostras ad leges » pertinebant, omnium interpretationem, præcipua De» metrii Phalerei totum negotium moderantis opera elabo-

» rarunt. » Tum quibusdam interjectis, ita prosequitur. » Divinam quippe vocem accipere nos sic oportet, non ut sermonem aliquem conceptis inclusum expressumque verbis, » sed ut operum ipsorum molitionem, quo plane sensu » creationem mundi universam, legislator ille Moses Dei » vocem appellavit. Nam de singulis operibus ita pronun- » tiat : *Dixitque Deus, et factum est.* Id quod ego, Pytha- » goram, Socratem, ac Platonem cum nostra omnia cu- » riose rimati essent, omnino sequutos existimo, cum sese » Dei vocem exaudire dicerent, in illa universi molitionis, » quæ tam accurate a Deo perfecta, sui semper similis in- » tegraque persisteret, contemplatione defixos. Quinetiam » Orpheus in iis carminibus, quæ ad sacri sermonis formam » rationemque conscripsit, divina vi omnia contineri, ea- » demque ortum habuisse, et cunctis Deum præesse, hunc » in modum cecinit :

« Fas quibus est narrabo : fores claudunto profani,
» Queis sanctæ leges odio, quas omnibus auctor
» Ipse tulit posuitque Deus. Tu vero micantis
» O Lunæ Musæe nepos, hæc auribus hauri.
» Namque ego vera canam. Tibi ne modo pristinus error
» Æternæ invideat felicia sæcula vitæ.
» Sed fixa potius divina oracula mente
» Excipiens, casto penitus sub pectore condas.
» Ergo age, carpe viam, solum, interituque carentem
» Suspiciens genitorem orbis. Quem talibus ecce
» Prisca virum nobis olim monimenta loquuntur.
» Unus, et ex sese Deus est, idem omnia condit,
» Ac mundi late partes se fundit in omnes.
» Mortales fugit ille oculos, animoque videtur.
» Fonsque boni cum sit, nulli mala sævior unquam
» Ipse creat, licet hunc vitali gratia passu,
» Cumque odio, bellumque, luesque, dolorque sequantur.
» Hunc alius præter nemo est. Quem cernere terris
» Si prius extantem poteris, facile omnia cernes.

» Per me, si qua ejus sese vestigia forsan
» Obtulerint, molesve manus, tu, nate, videbis.
» Namque ipsum per se haud video, quod densa tuentem
» Impediat nubes, ac dena volumina tardent.
» Unus cum imperio mortalia fata regentem,
» Nosse aliquis potuit Chaldæo a sanguine cretus:
» Norat enim, qua magnus iter Sol flectat in orbem,
» Æquatosque habilis circumque immania Terræ
» Pondera, sed proprio gyros convertat in axe:
» Et volucres effusus equos per cærula mundi
» Verset agens, aurasque obeat, pelagusque profundum,
» Et vivos rutili succendat luminis ignes.
» Ille igitur magni supra laquearia cœli,
» Immotus, solioque micat sublimis in aureo.
» Olli planta humiles subter premit ardua terras,
» Oceani extremos attingit dextera fines:
» Cujus inexhaustum quassi ab radicibus imis
» Ferre negant robur nutanti vertice montes.
» Ergo ut siderea nunquam discedat ab arce,
» Cuncta tamen nostris præsens molitur in oris,
» Principium in sese, ac medium, finemque coercens.
» Hæc prisci retulere viri, terraque creatus
» Mortalis docuit, Divino abs Numine postquam
» Hauserat, ac gemino tulerat viventia saxo.
» Illa secus vulgare nefas: membrisque solutis,
» Mecum animo volvens trepido; quippe ordine cuncta,
» De super ipse regit. Tu mentem advertito, fili,
» Frænatæque potens linguæ, rem pectore serva.

» Quibus etiam hunc in modum Aratus accinit,

» Ab Jove principium, nullo qui tempore nobis
» Prætereundus erit: Cujus late omnia Numen
» Compita, et omne forum, pontique profunda tumentis,
» Atque omnes portus implet, nemoque potenti
» Auxilio caruisse queat. Genus omnis ab illo
» Quippe trahit: qui blanda homines pietate fovendo,
» Læta ollis dat signa manu, populosque frequentes
» Ultro operi accingit, vitæ dulcedine captos.

» Ille bobus glebæ ingenium duroque ligoni
» Utilis ante docet, necnon quo sidere tutum,
» Et plantas scrobibus, semenque abscondere terra. »

» Hæc illi, quibus vim divinam omnia permeare, clare, » opinor, satis ac perspicue significant. Nam Jovem illum » quidem, poetarum versibus celebratum, pure, uti decet, » ac restricte accepimus, quod mens eorum ac sententia » Deum spectet unum atque designet. Quæ nos causa ra- » tioque permovit, nobis ut hanc in disputationem, istuc » orationis ac testimoniorum genus inferre merito posse » videremur. In eo quippe Philosophi omnes conveniunt, » ut castas de Deo sanctasque notiones animo informandas » esse præcipiant. Id quod præclare in primis instituti nostri » vis ratioque docet.

« Imo ad religionis justitiæ, temperantiæ, ac cæterorum » id genus verorum bonorum possessionem et officia, lex » apud nos tota revocatur. » Quibus idem post interjecta non nulla subjungit. « Tum illud sane, consentaneum, inquit, ut » qui hoc universum procrearat Deus, idem, quod ærumnis » pluribus omnium vita conflictetur, diem nobis septimum » ad requietem ultro concesserit. Quem sane diem, si na- » turam spectaveris, primum quemdam lucis ortum, in qua » cernantur universa, jure appellaris. Quod ipsum ad Sa- » pientiam quoque transferri possit, cum ex Sapientia lux » omnis oriatur. Ac nonnulli quidem Peripatetici, splen- » doris ei rationem vimque tribuere, quem qui, constanter » ac perpetuo sequuti fuerint, vitam illi totam sine ulla » perturbatione traducent. Eamdem vero Salomon, e majo- » ribus nostris unus, cœlo terraque priorem extitisse, non » clarius modo, sed etiam melius statuit. Id quod admo- » dum etiam cum superiore illo consentiat. Cœterum » quod in eadem habetur lege, eo die acquievisse Deum, » id non, quomodo a plerisque, accipiendum est, quasi

» deinceps nihil omnino Deus efficiat; sed quod rerum om-
» nium gradus et ordines absolverit, qui sui semper similes
» cum omni sæculorum perpetuitate propagentur. Sex enim
» dierum spatio, cœlum terramque ab eo, quæque utrius-
» que ambitu continentur, creata esse omnia significat ut
» suum cujusque tempus et ordinem, quo aliud quodque
» antecedit, aperiat. Quæ suo semel constituta loco, servat
» deinde semper, nec ulla ratione commutat. Quem eum-
» dem fixum nobis diem ac solemnem esse voluit, quo ra-
» tionis illius septenariæ quoddam quasi signum tolleretur
» per quem in rerum humanarum divinarumque notitiam
» devenimus. Hebdomadarum enim orbe, ipsa quoque
» tam animantium, quam plantarum omnium universitas
» volvitur. Illum autem Sabbatum, hoc est, requietem ap-
» pellamus. Quem Hesiodus etiam atque Homerus, cum id
» nostris hausissent ex litteris, sacrum esse palam cecinerunt.
» Hesiodus quidem his versibus :

« Lunæ extrema dies, tum quarta et septima sacra est.

Itemque,

« Septima jamque dies, læti lux candida solis. »

Homerus autem sequentibus;

« Septima sacra dies reserato illuxerat orbi. »

Atque iterum,

« Septima lux aderat, qua cuncta exacta fuere. »

Et,

« Septima ubi orta dies, Acherontis liquimus undas. »

» Quo quidem versu id significat, illa vere septenaria ra-
» tione, quæ animæ oblivionem vitiumque consequitur,

» repudiatis quæ ante placuerant, veritatis, uti jam dictum
» est, cognitionem haurimus. Quibus hæc Lini affinia sunt;

« Septima jamque dies, qua cuncta exacta, rubebat. »


» Itemque,

« Omine læta dies est septima, Septima rerum
» Ortus, et eximias inter perfecta coruscat. »

» Et,

« Omnia sidereo septena videntur in orbe,
» Motibus et propriis certos volvuntur in annos. »

Hæc Aristobulus. Quo eodem in genere, quæ Clementis nostri sententia fuerit, ex sequentibus intelliges.



CAPUT XIII.

Quæ a Græcis scripta fuerint, ea cum Hebræorum doctrina consentire, a Clemente præterea ostenditur, Stromate quinto.

« Verum quæ sequuntur, inquit, pertexamus, quæque » Græci Barbara ex philosophia suffurati sint, in medium » proferamus. Ac primum quidem Stoici Deum ipsum, pe- » rinde ut animum, corpore ac spiritu suapte natura con- » stare definiunt. Quod utrumque in Scripturis expressum » reperies. Nec enim mihi nunc sensus earum cogites alle- » goricos, cujusmodi ab erudita illa et sapienti veritate » traduntur, si forte, (ut a peritis in luctatione fieri solet) » aliud ostendant, aliud re ipsa exhibeant. At Deum illi » naturam omnem permeare volunt, quem nos Effectorem

» solum, et quidem verbo effectorem esse dicimus. Quibus » illud Sapientiæ imposuit, pervadit autem ac subit per omnia propter suam munditiam[1]: cum id de illa, quam Deus » omnium principem creavit, Sapientia, dictum esse non » intelligerint. Esto, inquiunt, sed tamen philosophi, nec » Stoici tantum, aut Plato, atque Pythagoras, sed etiam » Aristoteles Peripateticus, materiam inter principia numerant, non principium unum statuunt. Atqui sciant isti » velim, materiam illam, quam omni et qualitate et figura » carere dicunt, a Platone quoque non certum quid, sive » id quod non est, appellatam esse, adeoque non aliquid: » quod quidem mysticum valde ac reconditum censeri debet. Nam qui verum illud unum principium agnosceret, in » Timæo hæc habet ipsissima. Nostra vero, inquit, ejusmodi » ratio est. De universi seu principio seu principiis, quidve de » iis sentiamus, in præsentia dicere omittendum, nec alia de » causa, quam quod difficile sit, ea quam sequimur disputandi via, quæ nobis hoc in genere videantur exponere. » Cæterum, propheticum illud, Terra autem erat invisibilis » et indigesta[2], fingendæ hujus materiæ occasionem iis » dedit. Et Epicurus sane, ut casu ac fortuito omnia fieri » diceret, in animum induxit, quod illius dicti vim non » caperet, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas[3]: quemadmodum Aristoteles, ut lunari orbe providentiam definiret, » ex illo Psalmo hausit, « Domine in cœlo misericordia tua, » et veritas tua usque ad nubes[4]. Neque enim ante Domini » adventum propheticorum adhuc mysteriorum aperiebatur » sententia. Jam luenda quoque post obitum supplicia, et » illos ignium cruciatus, cum poetæ passim omnes, tum » Græci etiam philosophi a Barbara Philosophia compilarunt. Plato quidem in ultimo de Republica disertis conceptisque verbis, » Tum enim vero, inquit, feri homines, et

[1] Sap. VII, 24. — [2] Genes. I, 2. — [3] Eccles. I, 2. — [4] Psal. XXXV, 6.

» aspectu ignei, audito mugitu, præsto aderant, aliisque » seorsum abductis, Aridæum ac cæteros, manibus simul » ac pedibus cervicibusque constrictis, humi afflictos, et » cute detracta, foris secus viam per medias raptabant aspa- » lathos. Nam isti quidem homines ignei, Angelos apud eum » significant, qui arreptos sceleratos puniunt : juxta illud, » Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros ignem uren- » tem[1]. Ex quibus immortalem animum esse consequitur. » Quod enim aut punitur, aut eruditur, id quod sensu præ- » ditum sit, vivat necesse est, etiamsi pati dicatur. Quid » porro? Nunquid etiam Plato, et ignis fluvios, et illam » terræ altitudinem agnovit, quæ a Barbaris gehenna dicitur, » quem ipse Tartarum poetice nominavit; Cocytum præterea, » Archerontem, Pyriphlegethontem, et similia pœnarum » loca generaque, quibus hominum mores castigentur, in- » vexit. Idem, quos ex Scriptura habemus parvulorum ac » minimorum Angelos, qui Deum ipsum videant, et diligen- » tem illam vigilemque curam, quæ a præsidibus ac tute- » laribus Angelis in nos derivatur, aperiens, ita scribere » non dubitat. Ubi autem, inquit, suum quæque vitæ ge- » nus, prout cuique sors obtigerat, animæ omnes delege- » rint, tum easdem Lachesim convenire; hanc una cum » singulis, quem ipsimet Dæmonem optaverint, eum vitæ » custodem futurum emittere, cujus etiam opera, quæ sta- » tuerint omnia, perficiantur. Quod ipsum fortasse, attri- » butum illud Socrati Dæmonium innuebat. Præterea, quem » a Moyse acceperant, mundi ortum philosophi tradidere. » Quos inter Plato diserte : Semperne fuerit, inquit, nullo » generatus ortu, an ortus sit sub aliquo temporis principatu, » quando quidem cernitur, et tangitur, et est undique » corporatus. Itemque cum ait : Atque illum quidem Effec- » torem ac parentem hujus universitatis, invenire difficile ;

[1] Psal. CIII, 41.

» non modo generatum esse mundum ostendit, sed etiam » ab ipso Deo generatum esse declarat, quippe quem ab illo » uno satum, atque ex nihilo creatum esse velit. In qua de » mundi ortu opinione Stoici quoque versantur. Diabolum » præterea, quem in barbara philosophia toties appellari » audis, Dæmonum principem, maleficum animum Plato » vocat Legum decimo, his verbis : Nunquid necesse est, » animum, qui rebus omnibus quæ quoquo versum moven- » tur et moderetur, et insit, ipsum quoque cœlum per sese » moderari? Omnino. Unumne autem an plures? Plures » certe, nam pro vobis respondere juvat. Nec pauciores » duobus recte posuerimus, beneficum alterum, alterum » maleficum. Idem in Phædro hæc habet : Alia quoque mala » sunt, a plerisque Dæmon aliquis præsentem voluptatem » admiscuit. Quin et Legum decimo, apostolicum illud plane » repræsentat, « Non est nobis colluctatio adversus carnem » et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra » spiritualia eorum qui in cœlis versantur[1], dum ita scribit : » Cum enim jam inter nos ita convenerit, ut cœlum multis » bonis, eorumque contrariis, et his quidem pluribus re- » fertum esse fateremur; immortalis profecto pugna hæc sit » oportet, et incredibili quadam cautione indigeat. Similiter » mundum agnoscit barbara philosophia duplicem, alterum » telligentia, alterum sensu perceptum: e quibus Archetypus » ille sit, hic vero præclari exemplaris imago. Ac priorem qui- » dem illum, quod mente percipiatur, unitati, hunc vero qui » sensus movet, senario attribuit. Nam et apud Pythagoreos, » senarius tanquam genitalis numerus, conjugium vocatur. » Ergo in unitate cœlum illud, quod in oculos non cadit, » terramque sanctam et lucem mente perceptam constituit, In » principio enim, inquit, fecit Deus cœlum et terram : terra » autem erat invisibilis. Quibus deinde subjungit : Et dixit

[1] Eph. VI, 12.

» Deus, fiat lux, et facta est lux. » At in ea mundi procrea-
» tione, quam sensus attingit, solidum cœlum condidit,
» (quicquid autem est solidum, idem quoque sensus movet,)
» terramque simul ac lucem, quæ oculis cernerentur. Num
» tibi hoc Plato sequutus videtur, dum animantium ideis in eo
» mundo, quem sola mens capit, relictis, formas illas, quæ
» in sensum cadunt, pro spiritalium generum varietate moli-
» tur? Jure ergo Moses concretum ex terra corpus esse docet,
» quod terrenum a Platone tabernaculum vocatur: Animum
» ratione præditum cœlitus a Deo « in faciem inspiratum. » Hic
» enim principis illius facultatis sedem esse volunt, adventi-
» tium illum animi primum in parentem per sensus ingressum
» interpretati. Quocirca hominem etiam, « ad imaginem et
» similitudinem Dei factum esse. » Imago enim Dei, ratio
» divina et regia, homo non patibilis: humanæ autem ima-
» ginis imago, mens. Quam similitudinem si alio vocabulo
» expressam cupis, divinam quamdam assectationem a Mose
» appellatam reperies; ait enim: « Post Dominum Deum
» vestrum ambulate, et mandata ejus custodite. » Assec-
» tatores autem, opinor, cultoresque Dei sunt, quicunque
» virtute præstant. Atque hinc Stoici, philosophiæ finem
» esse dixerunt, congruenter naturæ convenienterque vi-
» vere: Plato vero ipsammet cum Deo similitudinem, ut
» Stromate secundo jam ostendimus. Quin et Zeno Plato-
» nem, et barbaram philosophiam sequutus Plato, bonos
» omnes inter sese amicos esse dixerunt. Socrates enim in
» Phædro nefas esse ait, ut vel malo malus amicus sit, aut
» bonus bono non amicus. Quod ipsum in Lyside, fuse
» admodum ostendit, ubi amicitiam cum injustitia et
» improbitate coli nullo modo posse confirmat. Similiter
» hospes ille Atheniensis rem Deo perjucundam esse docet
» eique congruentem, cujus una quædam sit ac pervetusta
» ratio; ut simili quidem, si modo erit modicum, simile

» amicum sit; immodica vero nec inter sese, nec modicis » amica esse possint : Deus ipse denique rerum nobis om- » nium mensura statuatur. Quibus hæc deinceps Plato sub- » jungit, bonus enim omnis bono similis est; qua re uti ad » Deum etiam accedit, ita non boni tantum omnis, sed ip- » sius quoque Dei amicus est. Qui mihi locus alterum illum » sub Timæi finem in memoriam revocat, ubi docet hoc » cuivis agendum esse, ut intelligentiæ, vim rei perceptæ, » quatenus pristinæ naturæ ratio postulet, similem efficiat : » quod ubi perfecerit, tum eum vitæ optimæ hominibus a » Diis propositæ, finem obtinere, qui non præsens modo » tempus, sed etiam futurum complectatur. » Hæc Clemens, qui paucis interjectis, addit quæ sequuntur : « Quinetiam » fratres esse nos, tanquam unius Dei filios, ac discipulos » præceptoris unius, Plato satis declarare visus est, hunc » in modum : Quotquot, inquit, in civitate versamini, (sic » enim hanc iis fabulam pertexemus,) fratres estis omnes. » Verum fictor ille Deus, qui ex vobis ad imperandum apti » essent, aurum iis dum procrearentur, admiscuit, ex quo » plurimum dignitatis consequuti sunt. Qui vero ad ope- » ram aliis navandam idonei forent, his argentum aspersit : » agricolis denique ac cæteris opificibus ferrum atque æs » infudit. Ex quo id necessario consequens esse ait, ut alii » quæ ad cognitionem pertinent, quæ sunt opinionis alii » complectantur ac diligant. Forte enim naturam illam exi- » miam et cognitionis avidam præsentit : nisi potius triplici » hoc naturarum discrimine, tria Rerumpublicarum genera, » ut nonnulli opinantur, informat : ut Judeorum quidem » argenteam, Græcorum tertiam, Christianorum, quibus » aurum illud plane regium, Sanctus, inquam, Spiritus infu- » sus est, auream appellarit. Sane quidem Christianorum ipse » vitam his in Theæteto verbis expressit. Dicamus igitur, » inquit, de summis illis philosophandi principibus : quid

» enim eos moremur, qui philosophiæ studio perperam abu-
» tuntur ? Viam illi quæ in forum ducat ignorant : ubi vel
» exerceantur judicia, vel senatus, vel publicum aliud ci-
» vitatis concilium habeatur, nesciunt : leges ac plebiscita,
» neque dum promulgantur, audiunt ; neque perscripta
» cum fuerint, omnino vident : sodalitiorum ad magistratus
» creandos factiones, conventus, et commessationes cum
» tibicinis, horum ipsis quicquam factitare, ne per som-
» nium quidem in mentem venit. Rectene, an secus factum
» in civitate quid fuerit ; num cuipiam mali a majoribus
» aliquid obvenerit, magis ipsos latet, quam numerus, quod
» aiunt, arenarum. Atque hæc ille omnia sic ignorat, ut
» eadem abs sese ignorari nesciat : sed revera solum ejus
» corpus in civitate versatur et habitat ; ipse quidem inte-
» rea, (ut cecinit Pindarus) supra terram evolat, rerumque
» cœlestium rationes astronomiæ vi enucleat, naturamque
» adeo totam penitus investigat. Jam vero cum hoc Domini
» dicto, « Sit sermo vester, est, est ; non, non, » alterum
» illud conferri possit, at mihi nec falsum concedere, nec
» verum perimere ullo modo fas est. Et cum interdicto no-
» bis jurejurando, congruit illud decimi Legum, « In omni
» re laus et juramentum abesto. » Et Pythagoras quidem,
» Socrates, atque Plato, qui Dei se vocem exaudire con-
» firmant, dum fabricam hujus universi, quam divina ma-
» nus et perfecte elaboravit, et conservat perpetuo, con-
» templantur ; illud omnino Mosis audiere, « Dixit, et factum
» est, » quo Dei vocem opus ipsum esse declarat. Dum
» autem in illa hominis ex pulvere molitione versantur,
» terrenum passim philosophi corpus appellant ; Homerus
» vero id etiam imprecationis loco ponere non dubitat,

« At vos in terram cuncti redeatis, et undam [1]. »

[1] Hom. Iliad. lib. VII, v. 99.

» Quemadmodum Isaias dum ait, « Et conculcate ipsos » quasi lutum. » Et Callimachus diserte :

« Erat annus ille, quo volantium cœtus,
» Et qui sub undis, atque quadrupes, vocem
» Sic proferebat, ut lutum Promethei. »

» Idemque rursus,

« ..... Si te ipse Prometheus
» Finxit, et ex alio non dedit esse luto. »

» Hesiodus autem de Pandora,

« Vulcanumque jubet terram perfundere lympha
» Protinus, atque hominis cum voce infundere mentem. »

» Jam artificiosum ignem, qui certa ratione ac via feratur in » generationem, Stoici naturam esse definiunt : ignis autem » ac lucis nomine, Deum aut ejus Verbum allegorice Scrip- » tura significat. Quid autem ? non ipsemet Homerus » aquam abs terra separatam, planeque retectam aridam » paraphrasi quadam explicat ? dum ait de Tethyos Oce- » anique dissidio,

« Namque ambos dudum tristis discordia lecto
» Complexuque arcet[1]. »

» Deo præterea summam rebus in omnibus potestatem » Græcorum eruditissimi tribuunt. Epicharmus quidem (Pythagoreus autem is fuit) his versibus,

« Nil potest Deum latere : fac ut id mente imbibas :
» Ille nos per se intuetur : nec nihil solus potest. »

» Lyricus vero, sic,

« Deus potis est ex profunda
« Nocte revocare purum diem[2] :

[1] Hom. Iliad. lib. XIV, v. 206. — [2] Pindar. in frag.

» Nigris dein tenebris
» Diei nitidum condere hoc jubar. »

» Qui solus, *inquit*, illucescente die, noctem efficere po-
» test, Deus is est. Et Aratus in Phænomenis, hæc habet,

« Abs Jove principium, nullo qui tempore nobis
» Prætereundus erit. Cujus late omnia Numen
» Compita, et omne forum, pontique profunda tumentis,
» Atque omnes portus implet : nemoque potenti
» Auxilio caruisse queat.

» Et rationem subjungit,

» ..... Genus omnis ab illo
» Quippe trahit,

» Creatione videlicet,

.. .. qui blanda homines pietate fovendo,
» Læta ollis dat signa manu, populosque frequentes
» Ultro operi accingit : certo namque ordine cœlum
» Sideribus sparsit variis, annique coronam
» Texuit, apta suis ut munera quæque notarent
» Temporibus, lætoque genus sobolescere fœtu
» Quodque darent. Huic prima omnes, huic ultima semper
» Vota ferunt. Salve, o Genitor, quem suspicit orbis,
» Atque boni auctorem sentit.

» Et ante Aratum Homerus, in clypeo illo, quem Vul-
» canus elaborarat, mundi procreationem e Mosis exemplari
» describens, ait :

» Fecerat hic terras, cœlumque, salumque profundum,
« Astraque purpurea cœlum quæ luce coronant.

» Qui enim et poetarum, et oratorum vocibus Jupiter cele-
» bratur, is omnino Deum significat. Jam Democritus, ut
» id quoque dicam, paucos admodum homines lucem in-
» tueri ait, qui manus ad eum tollant, quem nos Græci

» Aerem nunc vocamus. Quippe fatur omnia Jupiter, omnia novit, dat idem aufertque omnia, omniumque Rex » est. At Bœotius Pindarus, altiore quodam mysterio, Py- » thagoreus enim is erat,

» Virûm, *inquit*, unum est ac Deûm genus.
» Matre spiritum ambo hausimus ab una. »

» Matris nomine materiam intelligit, unumque præterea » horum Molitorem omnium constituit, quem ipse Paren- » tem ἀριστοτέχναν hoc est, optimum ac sapientissimum » Artificem nominat, qui pro sua quemque dignitate, ad » ipsam quoque Divinitatem provehat. Platonem enim præ- » tereo, qui palam ac perspicue, in ea quam ad Erastum » et Coriscum scribit epistola, Patrem ac Filium, nescio » quo pacto, ex Hebraicis litteris palam ac manifeste ape- » rit, ubi sic eos hortatur : Dum juratis, inquit, studio non » illiberali, ac studii sorore doctrina mutuo conjuncti, per » Deum ipsum rerum omnium sive præsentium, sive futu- » rarum præsidem, necnon præsidis etiam principiique » parentem Dominum juretis, quem quidem si modo recte » philosophabimini; cognoscetis. Idem ea quam in Timæo » habet concione, Artificem illum Patrem appellat, his » verbis : Vos qui Deorum satu orti estis, attendite. Quo- » rum operum ego parens effectorque sum. Quare cum » idem ita loquitur, Circa universorum Regem omnia sunt, » ac propter ipsum omnia : Idem bonorum omnium prin- » cipium est. At circa Secundum ea quæ secundo, circa » Tertium ea quæ tertio ordine continetur, cuncta versan- » tur : equidem ista non nisi de sanctà Triade accipio, et » tertii quidem nomine Spiritum sanctum, secundi vero, » Filium intelligo, per quem ex Patris voluntate facta sunt » omnia. Præterea Reipublicæ decimo, Eris cujusdam Ar- » menii filii meminit, genere Pamphyli, qui quidem est

» Zoroastres. Certe Zoroastres ipse ita de se scribit. Hæc, » inquit, scriptis mandavit Zoroastres Armenii filius, Pam- » phylus genere : Cum in bello cecidissem, apud inferos » abs Diis hæc didici. Hunc ergo Zoroastrem Plato, die » ab interitu duodecimo, jam rogo impositum revixisse » memorat. Quibus forte non Resurrectionem, sed alterum » illud subobscure significat, animos cum recipiuntur in » cœlum, per signa Zodiaci duodecim viam inire; per quæ » similiter, eosdem ait, cum hic generatio fit, descendere » solitos. Nec aliter accipiendum est, duodecim Herculem » certamina confecisse, quibus exhaustis, ab universi hujus » mundi angustiis animus liberetur. Nec mihi prætereundus » Empedocles. Physicus enim ille sic rerum omnium ins- » taurationis meminit, ut ignis in naturam cuncta olim mu- » tatum iri pronuntiet. Qua in eadem opinione Heraclitus » Ephesius manifeste versatur. Is enim mundum unum » quemdam, sempiternum esse statuit, caducum alterum » ac pereuntem agnoscit, at externa specie tenus, quique » alius non sit a priore, certa quadam et propria ratione » spectato. Nam quod sempiternum illum agnosceret, qui » ex universa rerum natura constans, sibi perpetuo similis » maneat, diserte profitetur his verbis : « Mundum eumdem, » inquit, rerum, universitatem complexum, Deorum ho- » minumque nemo condidit : sed fuit idem, est, eritque » semper, ignis quidam perpetuo vivens, quique vicis- » sim et accenditur modice, et modice restinguitur. Quod » autem illum ipsum et genitum, et corruptioni obnoxium » esse tradiderit, ex sequentibus intelligas. Sunt enim, » inquit, ignis conversiones istæ, ut primum ex igni fiat » mare, tum pars maris dimidia, in terram, dimidia in » vaporem igneum abeat. Nam quod eas conversiones po- » testate fieri vult, ab eo cujus vi cuncta reguntur Verbo » atque Deo, ignem per aerem in humidum converti sig-

» nificat, quod ab eo mare vocatur, exterioris hujus or-
» natus quoddam quasi semen, ex quo deinde cœlum ac
» terra, quæque amborum sinu continentur, existant.
» Quemadmodum vero idem sibi reddatur, ac rursus ig-
» nescat, plane aperit, dum ita subjungit : « Mare, inquit,
» eodem prorsus modo, eodemque mensionis genere dif-
» funditur, quo priusquam terra fieret. Quod ipsum de
» aliis similiter elementis intellige. » Huic affinia docentur a
» Stoicorum eruditissimis, cum ab iis, de conflagratione,
» de gubernatione mundi, de eo, qui talis proprie sit,
» mundo et homine, deque animorum nostrorum perman-
» sione disputatur. Rursus Plato ipse Reipublicæ septimo,
» nostrum hunc diem, nocturnum, ob mundi Principes,
» opinor, tenebrarum harum : somnum vero atque mor-
» tem, animi descensum in corpus vocavit, Heraclitum
» sequutus. Annon id Spiritus de Servatore nostro Davidis
» ore prædixit, his verbis, « Ego dormivi, et soporatus
» sum; exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me[1]. » Nec
» enim, solam Christi Servatoris resurrectionem, a somno
» excitationem, sed etiam domini in carnem descensum
» allegorice somnum appellat. Atque adeo Servator ipse
» nos, ut vigilemus admonet, hoc est, ut de vita recte
» instituenda serio cogitemus, animumque nostrum a cor-
» poris complexu abstrahere, conemur. Porro diem etiam
» Dominicum, Reipublicæ decimo, his verbis vaticinatur
» Plato : « Postquam eo in prato singuli dies septem consti-
» terint, octavo demum inde proficisci oportet, eoque qua-
» tridui itinere pervenire. Equidem pratum illud, sphæ-
» ram stabilem et immotam accipio, qui locus est suavis
» admodum et placidus, sanctorumque sedes : at illo die-
» rum septenario, singulos septem planetarum motus,
» atque omnem efficiendi artem intelligo, quæ ad requietis

[1] Psal. III, 6.

» finem contendit ac properat. Quod autem post errantes » illos orbes iter suscipitur, recte perducit in Cœlum, is » enim octavus est motus atque dies. Denique animos qua- » triduo proficisci dum ait, iter illud, quod per quatuor » Elementa conficitur, declarat. Septimum quoque diem » sacrum esse, non Hebræi modo, verum etiam Græci » agnoscunt, cujus conversione animantium omnium atque » plantarum universitas continetur. Quo de Hesiodus ita » cecinit :

« Lunæ prima dies, tum quarta, et septima sacra est. »

» Idemque,

« Septima jamque dies, læti lux candida solis. »

» Et Homerus,

« Septima sacra dies reserato illuxerat orbi. »

» Et,

« Septima sacra fuit,

» Et rursus,

« Septima lux aderat, qua cuncta exacta fuere. »

» Atque iterum,

« Septima ubi orta dies, Acherontis liquimus undas. »

» Quibus accinit Callimachus Poeta [1],

« Septima jamque dies, qua cuncta exacta, rubebat. »

» Itemque,

« Omine læta dies est septima, septima rerum

» Et,

« Ortus, et eximias inter perfecta coruscat. »

[1] Supra Lino tribuebatur hic versus.

» Et,

« Omnia sidereo septena videntur in orbe,
» Motibus et propriis certos volvuntur in annos. »

» Quam diem, uti sanctiorem, ipsæ quoque Solonis ele-
» giæ mirum in modum prædicant. Quid præterea? nonne
» sacris litteris congruenter, ubi hæc improborum vox est,
«Tollamus justum a nobis, quoniam molestus nobis est[1];»
» Plato salutarem Christi dispensationem tantum non præ-
» nuntians, ita loquitur secundo de Republica : « Justo,
» inquit, illi, qui sic animo comparatus erit, verbera im-
» ponentur, injicientur vincula, oculi eruentur. Idem
» postremo hæc omnia perpessus, agetur in crucem. » So-
» craticus etiam Antisthenes illam Prophetæ vocem, « Cui
» me assimilavistis? dicit Dominus, » paraphrasi quadam
» explicans, Deum nemini similem esse ait, quod ejus in
» cognitionem ullius ex imaginis specie venire nemo possit.
» Quibus affinia Xenophon Atheniensis hæc habet ad ver-
» bum : « Qui omnia concutiat, idemque tranquillet, eum
» et magnum et potentem esse constat; qua vero specie
» sit, non liquet. Ac ne Sol ipse quidem, ut lucem quo-
» quo versum diffundere videatur, impune tamen sese videri
» patitur : quisquis enim in eum impudenter intueri cone-
» tur, visum amittit.

« Quæ caro verum oculis, immortalemque videret,
» Cœlestemque Deum, cujus super æthera sedes?
» Quippe, nec adversi radiantia spicula solis
» Mortales subeant de fixo lumine visus. »

» Ut jam olim Sibylla cecinit. Jure igitur, ac merito Xe-
» nophanes ille Colophonius, Deum unum, et corporis
» expertem esse docens, ita cecinit :

« Maximus idem hominum ac Superûm Deus unicus ille est,
» Quem mortalis homo non mente aut corpore reddat. »

[1] Sap. II, 12.

» Atque iterum,

« ..... Ast homines generari Numina credunt,
» Illaque voce sibi, cultuque et corpore prorsus
» Assimilant.

» Itemque,

« ..... Si manus apta bovi, manus apta leoni,
» Pingeret, atque hominum tractare assuesceret artes:
» Illa bovi similes Superos, similesque leoni
» Fingeret; acer equus specie formaret equina.
» Quisque suo proprium vestiret corpore Numen. »

» Rursus et Bacchylidem lyricum ita de Divino Numine lo-
» quentem audiamus,

« Hi fœdis semper gravibusque morbis indomiti:
» Innocentes, nec ulla in re mortalibus similes. »

» Et Cleantem Stoicum, cujus in quodam poemate sunt,
» quæ sequuntur:

« Quidnam bonum sit me rogas? Jam jam accipe.
» Quod ordinatum est, integrum, sanctum, pium.
» Suique compos, utile, decens, commodum,
» Grave, ac severum, quodque semper conferat.
» Metu ac dolore majus, et molestia:
» Salubre, jucundum, et sibi consentiens.
» Clarum, ac modestum, sedulum, lene, ac potens,
» Perenne, labis nescium, ac semper manens. »

» Tum idem vulgi tacite idololatriam carpens, ista subdit:

« Opinionem qui sequitur, haud liber est.
» Frustra inde quicquam stultus expectet boni. »

» Non igitur amplius de Deo est, ex vulgi opinione sen-
» tiendum,

« ..... Haud enim Numen reor,

« Hominis scelesti clanculum speciem induens,
» Tuum hoc cubile petere, prout homines solent.

» Inquit Amphion Antiopæ. Sophocles vero plane ac di-
» serte,

« Ejus parenti namque nupsit Juppiter,
» Non flavus auro, non Olor pluma nitens,
» Qualis puellæ junctus est Pleuroniæ,
» Matremque fecit : ast homo plane integer. »

» Quibus deinceps hæc attexit,

« Notis volucrem portibus gressum intulit
» Adulter. »

» Tum adhuc apertius impotentem fabulosi Jovis libidinem
» exponens, ita prosequitur :

» Non dextra lympham, non cibum lingua attigit :
» At pectus acri saucius morsu, torum
» Init, atque Veneri nocte se tota dedit. »

» Verum ista theatrorum insaniæ reserventur. Heraclitus
» quidem perspicue homines ait, seu prius, seu postquam
» audierint, incommodæ rationis semper ignoratione ver-
» sari. Et lyricus Melanippides ita cecinit :

« Audi me, o Pater, stupor mortalium,
» Qui semper viventem animum regis. »

» Et magnus ille Parmenides, ut ait Plato in Sophista, de
» Deo hunc in modum scribit,

« Nec satus est unquam, nec morti obnoxius ulli;
» Integer, unigena, inconcussus, nescius ortus. »

» Imo etiam Hesiodus,

« Te regem ac Dominum immortalis turba fatetur,
» Non alius tecum imperio contendere possit. »

» Quin et ipsa quoque tragœdia, ab idolorum cultu abdu-
» cens, in cœlum oculos tollere nos docet. Sophocles enim,
» ut refert Hecatæus historicus, in eo quem de Abramo et
» Ægyptiis conscripsit libro, hæc palam vociferatur e
» scena,

« Unus profecto est, unus hic tantum Deus,
» Qui cœlum et amplas condidit terræ plagas,
» Cærulea ponti terga, et infrænes Notos.
» At nos miselli, pectore errantes vago,
» Calamitatum finximus solatia,
» Formas Deorum saxeas, aut æreas,
» Aurove ductas fusili, aut eburneas.
» His dum immolamus, dum stato augustos die
» Reddimus honores, esse nos remur pios.

» Quo eodem ex loco Euripides,

« Vides sublime fusum immoderatum Æthera,
» Qui tenero terram circumjectu amplectitur?
» Hunc summum habeto Divûm, hunc perhibeto Jovem.

» Idem in Dramate, quem Pirithoum inscribit,

« Te, qui te ipso es: quique ætherio
» Rerum omne genus turbine versas:
» Quem clara dies, quem turbida nox,
» Et multicolor; quemque astrorum
» Vis, non uno lumine fulgens,
» Circum assiduo volvitur orbe. »

» Hic enim ex sese ortum, Artificem intellectum vocavit.
» Quæ sequuntur, ad mundum pertinent, in quo lucis
» etiam est tenebrarumque conflictus. Similiter Æschylus
» Euphorionis filius, ita de Deo, sane quam graviter,

« Æther, solumque est, atque cœlum Jupiter,
» Cuncta simul idem est majus et si quid super.

» Platonem quoque novi sentire cum Heraclito, hunc in » modum scribente; Quod unum sapiens est, solum tamen » dici non vult, idemque Jovis nomen amat. Atque iterum, » Lex est, inquit, hujus unius parere consilio. Quod si al- » tiore sensu dictum illud accipere volueris, « qui habet » aures audiendi, audiat, » sic ab Ephesio illustratum inve- » nies, qui quod audiunt, intelligentia non assequuntur, » surdis illi similes sunt : in quos tritum illud conveniat, » præsentes abesse. Num vero Græcorum etiam ex ore prin- » cipium unum audire gestis? Testem dabo Timæum Locrum, » qui libro de natura sic ad verbum loquitur : Unum om- » nium principium est, quod ortu caret : nam si aliunde » ortum esset, principium jam non esset, sed illud potius, » unde ortum haberet. Quæ opinio, sane vera ex dicto illo » profecta est, « Audi, *inquit*, Israel, Dominus Deus tuus » unus est, eique soli servies.

» Omnibus ecce patet, nulloque errore vagatur, »

» Ut Sibylla cecinit. Xenocrates etiam Carthaginiensis, qui » summum Jovem unum appellat, infimum alterum, Patris » nonnullam dat ac Filii significationem. Quodque præter » omnem opinionem est, Homerus ipse numen agnoscere » videtur, qui Deos introducit humano more sensuque » commotos, quem tamen nec sic quidem reveretur Epi- » curus. Est enim Homeri quod sequitur,

« Quid me immortalem porro, mortalis Achille,
» Præcipiti cursu insequeris? mea Numina nondum
» Scilicet agnosti [1]. »

» Quod quidem Numen ejusmodi esse declarat, quod nec » pedibus, nec manibus, nec oculis, nec toto corpore, mor- » talis quisquam assequi capereque possit. « Cui similem

[1] Hom. Iliad. lib. XXII, v. 9.

» fecistis Dominum? aut cui imagini assimilavistis eum? in-
» quit Scriptura. Nunquid sculptile conflavit faber, aut au-
» rifex aura fuso inauravit eum[1]?» et quæ sequuntur. Et Epi-
» charmus comicus in Republica, sic de Logo perspicue,

« Humana vita ratione ac numero prorsus indiget,
» Numero ac ratione vivimus : ambo nos fovent,

» Tum ita diserte,

» Ratio mortales regit, moresque servat. »

» Deinde,

» Si est in homine ratiocinatio, est et divina ratio.
» Ratio homini innata est, ad casus vitæ varios.
» Ratio divina artes cuique moderatur suas :
» Omnibus per se aperit, quid magis cuique conferat.
» Haud enim artem ullam homo reperit, Deus hanc unus parit.
» Ratio nimirum hominis, ratione ex divina sata est. »

» Porro cum Isaiæ voce hæc Spiritus inclamet, « Quo mihi » multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus : » Plenus sum holocautis; adipem agnorum, et sanguinem » taurorum nolo. [2]» Idemque jubjungat paulo post, « Lava- » mini, mundi estote, auferte nequitias ex animabus vestris.[3]» » Tum in eamdem sententiam Menander comicus totidem » verbis ita scribit :

» Si quis, quod hædi, vel bovis, mi Pamphile,
» Cruentet aras sanguine, aut aliud Deis
» Quodcumque mactet. Sive quod docta manus
» Laborat arte, purpura ardenti micans,
» Aurove textum pallium, aut candens ebur,
» Viridem aut smaragdum, muta qua moles sinit,
» Animante mutans, offerat; Numen sibi
» Credat secundum : mentis hic nimium levis,
» Heu graviter errat. Commodis sit moribus
» Homo necesse est : Virginis casto innocens

[1] Esa., IV, 18. — [2] Isa., I, 11. — [3] Ibid., V. 16.

» Parcat pudori, parcat alieno toro.
» Furti atque cædis inscias servet manus.
» Cave ergo vel acum ne appetas, mi Pamphile.
» Te quippe nusquam non videt præsens Deus.

« Deus vicinus ego sum, et non Deus de longe. Num faciet » aliquid homo in abscontitis, et ego non videbo eum [1]? » inquit Deus per Hieremiam. Atque iterum Menander illud » Scripturæ, « Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in » Domino [2], » paraphrasi quadam exponens, sic ait :

» ..... Neve acum, o suavissime,
» Aliena quæ sit, appetas : etenim Deo
» Injusta nulla, justa quæ modo sunt placent.
« Feliciorem ducere hunc vitam sinat,
» Qui nocte terram, qui die assiduo colit.
» Deo sacrifices, æqui ad extremum tenax.
» Ut veste munda splendidus, sic pectore.
» At cum tonabit, siste, nec pavido gradu
» Fugam capesse, quamdiu nil conscius
» Ipse tibi fueris : te Deus præsens videt. »

« Adhuc te loquente, *inquit Scriptura*, « Dicam, ecce ad» sum. » Præterea Diphilus comicus hæc habet de Ju» dicio :

« Putasne vero mortuos, Nicerate,
» Queis omnis omnem fluxit in luxum dies,
« Potuisse latebris fugere captatis Deum?
« Est oculus ille, est, cuncta qui justus videt.
» Duæ, ut statuimus, inferos secant viæ,
» Patet una castis, altera scelestos manet.
» Quamvis profundo semper inclusum sinu
» Utrumque terra teneat. I, rapias licet,
» Furere, spolies, misceas. Erres, cave:
» Est, est sub alto Dite judicium super,
» Cui magnus orbis Dominus ac rector præest,

[1] Hier. XXIII, 17. — [2] Psal. IV, 6.

» Cujus vel ipsum nomen effari horreo,
» Quique diuturnam sontibus vitam trahit.
» Quod si quis omni scelera molitus die,
» Superos latere credit, is novum scelus
» Sibi persuadet, justa quod lento manus
» Pendere soleat otio. At quisquis Deum
» Non esse fingis, prospice infelix tibi.
» Deus ille, Deus est. Si quis interea nocens
» Impune peccet, habeat in lucro moram.
» Namque ipse meritas postea pœnas luet. »

» Quibus hunc in modum accinit tragœdia :

» Erit ille quondam sævus ac tristis dies,
» Cum rutilus alto conditos ignes sinu
» Effundet Æther : cum rapax flamma hauriet
» Ima atque summa, nec modum capiet furor. »

» Et paucis interjectis,

« ..... Ast ubi superstes nihil;
» Marium profundi gurgites nulli tum erunt,
» Labefactum ab imis sedibus vacuo solum
» Gremio jacebit. Haud enim vastis procul
» Flammis perustum, summa pennatos greges
» Mittet sub astra : sed tamen quicquid prius
» Fuerit ademptum, recipit ac proprium tenet. »

» Affinia reperiemus in Orphicis quæ sequuntur :

« Quos prius abdiderat, lætas in luminis auras
» Sollicitus sacro cunctos ex corde refudit.

« Qui si caste integreque vixerimus, beati quidem hic » erimus ; at post discessum ex hac vita longe beatiores, » nec ullo tempore circumscribetur nostra hæc felicitas, » sed quiete fruemur sempiterna,

» Cum Superis lare conjuncti, mensaque per ævum,
» Casibus haud hominum, sævoque dolore subacti,

» ut cecinit Empedoclis philosophica poesis. Adeoque vel » ex Græcorum ipsorum mente futurus est nemo, vel tan» tus, ut judicii vim superet, vel tam pusillus, ut lateat. » Quin et Orpheus idem hæc habet:

« Divino in Verbo defixis totus inhære
» Luminibus, mentisque memor lustrare recessus,
» Intactum per iter constanti incedere gressu,
» Æternumque unum cœli modo cernere Regem,
« Perge alacris. »

» Mox visu Deum attingi non posse confirmans, uni aliqui » genere Chaldæo notum illum fuisse testatur, sive Abraa» mum dicat, sive filium ejus aliquem, his versibus,

« Ast aliquis tantum Chaldæo a sanguine cretus.
» Norat enim qua magnus iter sol flectat in orbem,
» Æquatosque habilis, circumque immania terræ
» Pondera, sed proprio gyros convertat in axe:
» Et volucres effusus equos per cærula mundi
» Verset agens, aurasque obeat pelagusque profundum. »

» Tum quasi dictum illud, « Cœlum mihi thronus est, » terra autem scabellum pedum meorum[1], » « paraphrasi » quadam explicaret, ista subjungit,

» Ille igitur magni supra laquearia cœli
» Immotus, solioque micat sublimis in aureo.
» Olli planta humiles subter premit ardua terras:
» Oceani extremos attingit dextera fines.
» Cujus inexhaustum quasi ab radicibus imis
» Ferre negant robur nutanti vertice montes.
» Atque ut siderea nunquam discedat ab arce,
» Cuncta tamen nostris præsens molitur in oris,
» Principium in sese, ac medium, finemque coercens.
» Illa secus memorare nefas, membrisque solutis,
» Mecum animo volvens trepido, nam desuper ipse
» Cuncta regit. »

[1] Esa. LXVI, 1.

» Et quæ sequuntur. His enim prophetica illa omnia declaravit : « Qui si aperuit cœlum, tremor corripiet; et a conspectu tuo montes colliquescent, sicut a facie ignis liquescit cera. » Itemque hæc Esaiæ, « Quis mensus est cœlum palmo, et universam terram pugillo[1] ? Rursus cum » ita cecinit,

» Ætheris, o Ditisque potens, Pelagique, solique,
» Qui solidum tonitru quatis alti limen Olympi,
» Quemque Lares horrent, metuit quem turba Deorum,
» Et cui Parca, licet mansuescere nescia, servit.
» Matris summe Parens, cujus furor omnia jactat,
» Quique cies ventos, et nubibus omnia condis,
» Flammantique procul vastum aëra turbine sulcas.
» Astra tuo certos volvunt sub Numine motus.
» Longo indefessi solium stant agmine circum
» Aligeri, quorum mortalia credita curæ.
» Vere tuo nitidis se floribus arva coronant;
» Et tua sævit hyems, gelidis sub nubibus acta,
» Et tibi debetur Bromii vindemia fœtus. »

» Tum diserte omnipotentem Deum sequentibus dictis appellat :

« Immunem interitu, solis quem dicere fas est
» Cœlitibus.
» Maxime tu Divûm, fato comitatus adesto,
» Ingens, terribilis, cuncto discrimine major,
» Quem mors nulla domet, quemque ardens Æthra coronat. »

» Qui sane dum matris eum Patrem nominat, cum rerum » ortum ex nihilo significat, tum iis forte qui proseminationes illas invehunt, conjugis etiam Deo tribuendæ occasionem dedit. Cæterum illas quoque prophetarum voces illustrat ; Osee dum ait, « Ecce ego firmans tonitru, » et creans spiritum, cujus manus exercitum cœli fundave-

[1] Esa XL, 12.

» runt [1] » et Mosis, per quem ita Deus, « Videte, videte, » quoniam ego sum, et non est Deus alius præter me. Ego » interficiam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo. » Et non est qui auferat de manibus meis [2]. »

» A lætis solet hic duras summittere rebus,
» Ac tristes belli furias,

Ut canebat Orpheus. Quam in rem Parius etiam Archilochus ita scribit:

» Cœli quidem imperium tuum est: at vero inde
» Acerba in homines atque infanda mittis. »

» At rursus Thracium Orpheum audiamus:

» Oceani extremos complectitur undique fines
» Dextera, subjectasque premit planta ardua terras. »

» Quæ quidem ex illis manifeste hausit: « Dominus servabit » civitates, quæ habitantur, et orbem universum comprehendet manu, quasi nidum. Dominus qui fecit terram in » fortitudine sua, *ut inquit Hieriemias*, et erexit orbem in » sapientia sua [3].» His Phocylidem adjungas licet, qui Angelos Dæmonum appellans nomine, bonos ex illis alios, alios » vero malos ita distinguit, si quidem nos quoque rebelles » nonnullos accepimus,

» Dæmonibus genus in nostrùm non una potestas:
» Namque aliis jus est venientem avertere pestem. »

» Jure ergo idololatriam Philemon comicus ita rescindit:

» Fortuna non est ulla quæ fertur Dea,
» Non est. At homini quicquid, ut casus tulit,
« Acciderit ultro cuique, fortunam vocant. »

[1] Deut. XXXII, 29. — [2] Amos. IV, 13. — [3] Ibid. X, 12.

» Et tragicus Sophocles,

« Nec Superis, *inquit*, pro votis omnia cedunt,
» Excepto Jove, principium finemque tenente. »

» Et Orpheus,

« Vis una est, Numenque unum, cœli ignea moles,
» Cuncta suo quæ nata sinu convertit in orbem,
» Ignem, undas, terram. »

» Et quæ sequuntur. Lyricus item Pindarus quodam quasi
» Bacchico furore correptus, ita diserte loquitur:

« Quid Deus? Universum. »

» Et rursus,

« Deus omnia procreans mortalibus. »

» Dum autem hæc ait :

« Quid exiguam tibi sapientiam ab homine homo polliceris?
» Deûm consilia rimari mortali naturæ difficile est.
» Est enim mortali matre sata. »

» Ex illo Esaiæ loco sententiam hanc derivavit, » Quis novit
» sensum Domini? aut quis consiliarius ejus[1]? Quibus etiam
» Hesiodus hunc in modum accinit :

« Haud ullus vivit mortali e semine Vates,
» Qui Jovis ægiferi sensum cognoscere possit. »

» Quem pariter sequutus in Elegiis Solon jure ita scribit:

« Omni homini prorsus mens est ignota Deorum. »

» Mulierem præterea Moses, cum ob neglectum Dei pre-

[1] Isa. XL, 13.

» ceptum, summis in doloribus parituram esse prædixisset,
» ita consentanee poeta quidam non ignobilis cecinit,

« ..... Seu lux aurea noctem,
» Seu lucem nox atra premat, dolor additus illis
» Usque aderit : Superique graves immittere curas
» Assidue pergent. »

» Homerus item cum ait,

« Auratasque Patris librabat dextera lances. »

» Dei æquitatem significat. Quem eumdem Menander co-
» micus bonum esse declarans, ita loquitur:

« Ut quisque primum natus in lucem venit,
» Moderator illi Genius assistit bonus,
» Vitamque format. Nam cave malum putes,
» Bonæque vitæ noxium. »

» Tum subjungit, ἄπαντα bonum esse Deum, seu Deum
» omne bonum appellet, seu, quod vero propius est,
» rebus in omnibus bonum esse Deum affirmet. Rursum
» tragicus Æschylus, cum Dei nobis potestatem declarat,
» altissimum eum appellare nil veretur his versibus :

« Secerne cunctis Numen a mortalibus,
» Huic simile corpus ne putes ullum cave.
» Ignota res est. Nunc velut flamma emicat,
» Aditumque prohibet : unda mox, caligo mox,
» Mox et tremendæ similis apparet feræ,
» Vento, atque nubi, fulguri, tonitrui,
» Imbrique similis. Pontus huic, fontes, petræ,
» Atque orbe toto quicquid undarum coit,
» Obsequitur. Illum montium horrescunt juga,
» Tremitque tellus, et sinus vasti maris,
» Dum Dominus acri cuncta visu despicit,
» Immensa quippe est illa majestas Dei. »

» Nunquid illud tibi videtur illustrare, « A facie Domini tremit » terra ? » Quin et ipsemet Apollo, divinandi tam peritus, » suopte testimonio Dei gloriæ serviens, fateri cogitur, » Minervam, quo tempore impetum in Græciam Medi fa- » ciebant, vota Jovi fecisse pro Attica. Ejusmodi autem » responsum illud est :

« Jam magnum placare Jovem, Jove nata Minerva,
» Haud precibus votisque potest :
» Pluribus at Superûm templis incendia mittet,
» Qui nunc fortassis magno terrore subacti,
» Expresso sudore fluunt. »

» Et quæ sequuntur. Thearidas autem in suo de Natura » opere, hoc modo scribit : Universitatis hujus principinm, » principium utique verum unum est. Illud enim ex æter- » nitate unum est atque solum,

« Haud alius quisquam est supremi a Numine regis, »

» Inquit Orpheus. Quem sequutus Diphilus comicus, com- » munem illum, inquit, omnium Parentem,

« ..... Pia tu mente perpetuo colas,
» E cujus una tot bona existunt manu. »

» Jure ergo Plato præstantissima quæque ingenia ad capes- » sendum illud disciplinæ genus assuefacit, quod jam ante » maximum esse diximus, hoc est, ad percipiendam boni » cognitionem, eoque tandem ascendendo perveniendum. » Quod quidem non jam, opinor, Testam convertere fuerit, » sed animum ita circumducere, ut ex nocturno quodam » die, vere ad illud quod est, ac sua conversione redeat, » quam sane veram philosophiam esse dicemus. Cujus ille » qui compotes fuerint, aureo genere satos esse pronuntiat, » dum ait, Fratres quidem universi estis, etc. Qui autem ex

» aureo illo genere sunt, iidem accuratissime de rebus omnibus judicare possunt. Parentis igitur ac rerum omnium » effectoris sensum ex omnibus aliquem omnia, nativa quadam vi, ac citra ullius diciplinæ adjumentum hauriunt. » Et quidem inanimata cum viventibus affectionum communione junguntur, ex animantibus autem vita præditis alia » jam immortalia sunt, in diem alia etiamnum laborant. » At ex mortalibus, alia in metu constituta, maternis adhuc » visceribus inclusa gestantur: alia jam sui juris, suo se » consilio arbitrioque regunt. Jam hominum genus universum in Græcos Barbarosque dividitur. Quorum e numero, » nulla prorsus usquam aut agricolarum aut pastorum, ac » ne eorum quidem, qui in civitate degunt, natio est, quæ » vitam, absque eo quod ejus mentem Naturæ superioris fides » occuparit, ducere tuerique possit. Itaque populi omnes, sive » Orientem colant, sive littora Occidentis ultima teneant, » sive ad Septentrionem, sive ad Meridiem habitent, unam » et eamdem ejus, a quo institutum hoc imperium est, anticipationem habent: cum loca pariter et æqualiter omnia, » generales quæque vis illius effectricis actiones complexæ » sint. Sed tamen curiosi illi e Græcis philosophi, Barbarorum permoti philosophia, multo magis illi, qui nec oculis » cernitur, et solus idem ac præpotens, et sapientissimus » Artifex est, summusque rerum pulcherrimarum auctor, » præcipuum jus eximiumque tribuerunt: nec tamen quæ » sint ex istis consequentia, nisi a nobis doceantur, pervidere » ac ne modum quidem illum nosse possunt, quem ad Deum » cognoscendum natura ipsa præscribit; sed tantum, uti » jam sæpe diximus, periphrasi quadam alioqui vera eum » circumscribunt. » Hactenus Clemens. Jam vero quandoquidem pluribus adhuc Platonicæ philosophiæ rationem permultis in rebus cum Hebræorum litteris convenire ostendimus (quo nomine hominem sane laudamus vehemen-

ter, cum ob suam illam in perspiciendo vero solertiam, tum ob liberalem et ingenuam animi cæteris in rebus æquitatem.) Nunc ad ea tandem veniendum nobis est, in quibus eum similiter probare non possimus, quamque vulgo barbaram habere solent, ipsius doctrina potiorem philosophiam habeamus.

CAPUT XIV.

Non recte de omnibus pronuntiasse Platonem, eoque nos haud absque ratione ab ejus philosophia discessisse, atque Hebræorum oracula complexos esse.

Hebræorum oracula, quibus prædicta quædam responsaque divina continentur, quæque vim sane humana diviniorem ostendunt, eoque auctorem sibi Deum ipsum vendicant, cum suas illa significationes, et prædictione futurorum, et ipso rerum exitu vaticinationibus respondente confirmatas habeant, jure quidem ab omni falso sensu aliena dicuntur. Enimvero « divina eloquia, casta, et argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, » appellantur. At non ejusmodi Platonis illa sunt, nec alterius cujuscunque hominum ex sapientium numero, qui mortalis sensus oculis, et vanis quibusdam, ac futilibus conjecturis, ut somniantes utique, non ut vigilantes solent, rerum naturam cogitatione dum informant, naturæ veritati falsitatis plurimum admiscuere, nullam ut apud eos doctrinæ caput, ab omni errore purum et immune reperire possis. Ac ne

longius abeas, si privati hujus amoris ac domestici remittere non nihil voles, ipsamque per sese lucem vi rationis intueri: agnosces ipse profecto, illum etiam admirabilem philosophum, qui solus e Græcis omnibus veritatis limen ac vestibulum attigit, fluxa pereuntique materia, et simulachris vilium operarum manibus humanam in speciem figuratis, Deorum nomen polluere, ac post sublimem illam magnificamque vocem, qua se hujus universi Parentem ac molitorem nosse affirmaverat, si tanquam ex fornicibus illis nostro hoc orbe superioribus deturbatum, in altissima Deo exosæ idololatriæ voragine, cum Atheniensi populo volutari. Sic quidem, ut eum scribere non puduerit, Socratem, cum ut ipse votum Deæ nuncuparet, tum ut barbaro illi festo, quod a civibus tum primum celebrabatur, præsens interesset, in Pyræum discendisse; nec erubescat, aut eumdem ut Æsculapio gallus immolaretur jussisse, confiteri, aut Dæmonem illum Delphis insidentem, quasi patrium quemdam Græcorum interpretem, Deum appellare. Quamobrem in eum jure, supertitiosi erroris, qui stolidam agebat multitudinem, culpa conferatur. Ac mihi tu paulo superius orationem arcesse, ac vide sis, quæ tandem et cujusmodi sint, quæ post incorporeas illas, atque interitus omnis expertes ideas, post Dei primi, secundique principii mentionem, post spiritales immortalesque naturas, de populari hac et publica opinione, suis etiam Legibus sancita voluerit. « Aliorum autem Dæmonum, inquit » ille, procreationem vel explicare, vel nosse, res est no» tra facultate major. Quare hoc in genere, priscis illis » testibus adhibenda fides, qui ut Deûm, quod ipsi aiunt, » nepotes erant, ita majores suos maxime notos habuerunt. » Nec fieri omnino potest, ut fides eorum filiis detrahatur, » etiam si nullis demonstrationibus necessariis, ac ne pro» babilibus quidem argumentis ipsorum testimonia compro-

» bentur : sed necesse plane est, ut iis, quomodo lex im-
» perat, tanquam suarum in rerum commemoratione cre-
» damus. Illorum ergo Deorum procreationem quod attinet,
» uti poetæ scribunt, ita nos quoque de ea statuamus ac
» loquamur. Terræ Cœlique liberi Oceanus et Tethys,
» horum Phorcyn, Saturnus, et Ops, cæterique fratres.
» Ex Saturno et Ope Jupiter, Juno, ac reliqui, quos utrius-
» que fratres appellari scimus, procreati. » Atque ita deinceps de tota nepotum serie. Ea propter sane hic nobis philosophus relinquendus fuit, qui nec uti philosophum decuit, nec secum ipse consentiens, fabulosas, in Diis poetarum genealogias propagationesque simularit. Nam audi sis quemadmodum idem loquatur in Republica. « In
» majoribus, inquit, fabulis, minores etiam facile videbi-
» mus. Necesse enim est, speciem unam aliquam esse,
» vimque minoribus æque majoribusque communem. An
» non ita sentis? Equidem, inquit ille : sed quas tu majo-
» res dicas, non capio. Quas Hesiodus, inquam, atque
» Homerus, cæterique poetæ commemorant. Illi enim fal-
» sas hominibus fabulas commenti, et narrabant, olim hodie-
» que narrant. » Ea videlicet, quæ paulo ante retulimus. Rursus ejusdem et alia illa sunt : « Hæc igitur omnia delea-
» mus, inquam, ab isto versu inchoantes,

« Malim equidem cuivis alii servire colonus [1]. »

« Et quæ sequuntur. Tum hæc præterea quæ subjungit.
» Iterum ab Homero, *inquit*, cæterisque poetis flagitabi-
» mus, uti ne Achillem Dea satum fingant,

« Nunc in utrumque latus, nunc et jacuisse supinum [2]. »

Et cætera. Quibus ita subdit : « Aut Jovem, *inquit*, dor-
» mientibus cæteris, tam Diis, quam hominibus, quæ solus

[1] Hom., Odys., liv. XI, v. 488. — [2] Ibid., Iliad., lib. XXIV, v. 10.

» vigilans secum ipse statuerat, eorum facile omnium vi » quadam libidinis impotenti memoriam excussisse; ita» que Junonis aspectu perculsum esse, ut ne domum qui» dem repetere, sed in eodem ipso loco, humi, ut alaudæ » solent, voluptati servire voluerit; cum eam se cupiditatis » vim sentire diceret, quam ne tum quidem esset expertus, » quum inter sese primum convenerant, carorum obliti pa» rentum: nec vincula Marti ac Veneri a Vulcano injecta, » nec aliud quicquam id genus. » Quæ cum ipse dixisset, quid tandem sibi vult, quod poetas Deorum liberos subinde vocat, fierique negat posse, quin fides iis habeatur, cum ipsemet has ab illis absque ulla vel necessaria, vel probabili demonstratione, confictas Deorum fabulas esse testetur? Quid autem inconsiderata illa fides, quam etiam legum metu septam ac munitam esse voluit? Qui verum præterea, Deorum principes Cœlum ac Terram esse, tum eorum deinde sobolem Oceanum, Tethyn, Saturnum, Opem, Jovem, cæterosque deinceps omnes, Junonem, et quotquot Homerus atque Hesiodus, istorum liberos, fratres, ac nepotes fabulantur, cum illa ipsa commenta his verbis sustulerit: « Cui ego, *inquit*, quod et primum: et omnium » maxime reprehendendum est, præsertim ubi quis non » recte mentiatur. Quid illud porro? Ubi quis male Deorum » heroumque naturam oratione repræsentat, perinde ut » pictor faceret, qui tabellam ei rei nulla ex parte similem » pingeret, quem penicillo exprimendam suscepisset. Item» que, primum, inquam, maximum illud, maximisque de » rebus mendacium, qui narravit Hesiodus, quid videlicet » actum a cœlo fuerit, quamque vicissim ei pœnam Satur» nus reposuerit, perperam omnino confinxit. » Et quæ sequuntur. Quî tandem amabo, quos hic vanos ac mendaces appellat, iidem ipsi poetæ Deorum nepotes habeantur? Jure nimirum ac merito relinquendus iste nobis, qui mortis

metu populum Atheniensem histrionum more demulcebat: observandus contra Moses, et amplectenda Hebræorum oracula, quæ sincera prorsus, unaque adeo, veraque, et ab omni errore vacua pietate antecellunt. Jam aliud hoc intuere.

CAPUT XV.

Non in omnibus Platonis, sed Hebræorum, probandam esse de spiritalibus naturis disputationem.

Naturas, inter rationis participes, medias, ortus sui principium habuisse Hebræi docent. Easdem in varios spiritalium substantiarum ordines distributas, Spiritus, Virtutes, Dei administros, Angelos atque Archangelos nominant. Quo ex numero, qui suapte culpa ceciderunt, Dæmonum ex iis genus, vimque omnem hominibus inimicam infestamque ducunt. Quo circa nec eos Deorum in loco haberi patiuntur, qui non ex sese modo insitum naturæ suæ ac proprium honestum bonumque non habeant, verum etiam ne sint ipsi quidem per sese, sed a rerum universarum Conditore, ut essent, acceperint: qui denique, ut bene sint, ut virtute, ut immortalitate gaudeant, ne dotibus quidem fruantur istis, quomodo aut præpotens rerum omnium Deus, aut Verbum illud, cujus vi omnia extitere. At Plato, licet cum Hebræis naturas quasdam ratione præditas, incorporeas, ac spiritales esse statuat, haud tamen consentanee loquitur, dum easdem, primo quemadmodum et animam omnem, nullo ortu generatas, deinde quadam ex primi principii fluxione satas esse docet. Neque enim illas pror-

sus e nihilo extitisse concedit. Itaque plurium Deorum nationem constituit, quos omnes Primi Secundique principii fluxiones quasdam ac proseminationes esse vult; quæ quod suapte natura bonæ sint; nec ullo unquam modo propria virtute spoliari queant, ab eo propterea dii judicantur. Ab his diversam Dæmonum turbam esse putat, quæ improbitatem ac scelus admittere, atque in deterius mutari possit: ex quibus proinde boni quidam, improbi alii sint ac vocentur. Quæ cum ipse, præter Hebræorum mentem ac sensum, ita statuit, unde tandem cum aliqua veri specie Dæmones extitisse dicamus, non explicat. Nam ex corporearum quidem rerum materia nemo sanus dixerit; est enim illa rationis expers: quod autem ratione præditum est, id ex eo quod ratione careat gigni non potest, ratione autem præditi Dæmones sunt. Sin autem superiorum naturarum propagatione sati illi sunt, quidni æque ac parentes, Dii sunt ipsi quoque? quî fit ut ex bono fonte rivi dissimiles oriantur? unde in posterioribus germen illud improbitatis emergit, qui radicem habent, a tanta Primi usque principii integritate propagatam? quo denique modo ex dulcibus amara nascuntur? Enimvero, si tenebris omnibus, si omni acerbitate gravius est improborum Dæmonum genus, quis illud ex meliorum ac diviniorum natura fluxisse dicat? ex quo sane si fluxisset, nunquam ex proprio et naturali statu excidisset. Quod si tantum mutationis subire potuit, non igitur principio naturam habuit, ab omni patiendi necessitate liberam. Cujusmodi si Dæmones isti non erant, qui porro Dii esse possint, quî sceleratorum in classem abire potuerunt? Jam vero, si neque melioribus illis ac superioribus ex naturis neque corporum ex materia ortum habuere, superest omnino, ut vel eos nunquam genitos esse dicamus; atque ita præter illam corporum materiam, quam ortu carere volunt,

tertiam hanc naturarum, quæ ratione præditæ, ortu similiter careant, nationem, cum Deo componamus, Deumque proinde rerum prorsus omnium conditorem esse, ac molitorem negemus : vel si universorum parentem agnoscimus, eorum etiam quæ nulla sunt, ut Hebræorum litteræ prædicant, auctorem illum esse fateamur. Quænam vero illa sunt, quæ ab ipsis de naturarum istarum conditione traduntur? Eas medio quodam, inter rationis participes, ordine comprehensas, neque corporum ex materia, neque ulla cujusquam ortu carentis, ac semper eodem sese modo habentis naturæ fluxione satas esse docent; at nullæ antea cum essent, Summi rerum auctoris omnium effectrice vi procreatas. Quare nec Deos illas esse, nec ea proprie appellatione dignatas, quod neque sint Effectori suo natura pares, nec perinde uti Deus, proprium habeant sempiternumque bonum, imo ejusdem boni contrarium subire aliquando possint, dum negligentius melioris utuntur consuetudine, quam sibi profecto inseverit quisquis suorum ipse motuum, suique sensus arbiter ex sese ac Dominus fuerit. Atque ista quidem hactenus. Jam transeamus ad alia.

CAPUT XVI.

De animo, non recte ut Hebræos, in omnibus sensisse Platonem.

Animum Plato, Hebræos sequutus immortalem illum quidem, ac Deo similem esse statuit : verum ab iis postea discedens, essentiam ejus interdum compositam esse vult, quasi partem alteram habeat, ex individua suique semper

simili causa delibatam, alteram ex dividua corporum natura decerptam. Enimvero sic ipse verbis totidem in Timæo. « At ille, *inquit*, animum, corpore, tam ortu quam » virtute priorem, sic tanquam dominum servo imperatu- » rum, ex duobus istis atque hac ratione conflavit. Duæ natu- » ræ cum sint, individua una, quæ semper eadem est, altera » dividua, quæ in corporibus locum habet, tertium ex utra- » que naturæ genus, ambarum in medio temperavit, sic ut » aliquid ex ea, quæ semper eadem, aliquid item ex illa, quæ » altera subinde atque altera est, includeret, sicque ter- » tium hoc individuam inter, ac dividuam corporum na- » turam, æqualiter medium constituit. Quæ tria cum in » manus sumpsisset, in unam omnia speciem formamque » commiscuit, ejus, quod alterum atque alterum est, na- » tura, tametsi ad commiscendum perdifficili, vi tamen » hanc in societatem communionemque pertracta. » Hæc ille, ex quibus intelligas, quam probabiliter partem illam perturbationibus obnoxiam, cum animi ratione conjunxerit. At vero de animi essentia nonnunquam ita statuit, nonnunquam deterius ei quoddam, atque absurdius commentum affingit, dum divinam illam cœlestemque naturam, illam et corporis expertem, et præditam ratione, illam Deo similem, ac summa cœli culmina, virtutis magnitudine superantem, e locis altissimis ac supra mundum eminentibus, in asinos, lupos, formicas, apes descendere confirmat, idque a nobis, ut absque demonstratione ulla credamus, oratione contendit. Nam in dialogo de Animo hæc habet. « Ac tamdiu vagantur, inquit, donec ejus » quam circumferant corporeæ labis cupiditate, corpori rur- » sus illigentur. Moribus porro, uti par est, cum iis conve- » nientibus illigari solent, quibus dum viverent, utebantur. » Quos tu mores loqueris, o Socrates? Exempli causa, qui » se in flagitia, in ventris gulæque voluptates sic effuderint,

» nullam ut pudoris sui rationem haberent, eos ego simile » veri arbitror, asinorum postea similiumque ferarum vul- » tus ac formas induere. Tibi vero num idem videtur? Qui- » bus autem injuriæ, tyrannides, alienarumque fortunarum » direptiones placuerint, eos in luporum, aut accipitrum, » atque milvorum genus transcribi. Quo enim, alio eos » commigrare dixerimus? Prorsus, inquit Cebes, hoc in » genus animantium, jure commigrent. Ergo, inquit ille, » de cæteris eodem modo philosophandum, prout eorum » ad similitudinem, suis quæque studiis abrepta fuerit. Sane, » inquit : quis enim id neget? Tum ille, Numquid vero ex » iis longe felicissimi sunt, et optimum in locum delati, qui » popularem civilemque virtutem, quam Temperantiam » Justitiamque vocant, nullo philosophiæ mentisque præ- » sidio, usu tantum et exercitatione partam complexi fue- » rint? Quî tu felicissimos hosce vocas? Quod eos verum » sit, in civile rursus aliquod atque mansuetum, ut apum, » ut vesparum, ut formicarum, aut etiam in hominum si- » mile denuo genus remigrare. » Hæc ille, quibus adjungas licet, quæ sequuntur ex Phædro. « Eum in statum, inquit, » animus, ex quo quisque profectus sit, non nisi decem » annorum millium intervallo revertitur : nec enim ante » hanc temporis conversionem alis instruitur, si tamen eo- » rum, qui caste integreque philosophati sint, ac pueros » ex philosophiæ præscripto amaverint, animos excipias. » Hi enim tertio demum millenario circuitu, si ter hoc » vitæ genus constanter optaverint, anno denique termille- » simo, alis instructi evolant. At cæteri, posteaquam prioris » vitæ finem fecerunt, tum judicium subeunt, acceptaque » sententia, partim in subterranea suppliciorum loca de- » lati, pœnas luunt, partim judicii facilitate sublevati, in » aliquem cœli locum evehuntur, ubi pro ejus, quam hu- » mana specie duxerunt, vitæ dignitate versentur. Utrique

»porro sub annum conditionis hujus millesimum, ad in»stituendam secundæ vitæ sortitionem, atque electionem »profecti, quæ cuique placuerit, eligunt. Hic et in bestiæ »vitam humanus traducitur animus, et ex bestia, qui ho»mo quondam fuerat, in hominem denuo revolvitur.» Hactenus in Phædro. Quem eumdem in Republica sic loquentem audi. «Animum, inquit illum [1], qui Orphei quondam »fuerat, vidisse se referebat, cum oloris vitam eligeret, »quod mulierum odio, quarum ipse manibus interfectus »erat, mulieris satu generari nollet. Thamyri quoque ani»mum vidisse, qui Philomelæ vitam, optaret, imo et olo»rem quemdam, qui homo rursus fieri mallet, cum aliis »canoris animantibus, quæ vitæ similis, ut par erat, desi»derio tenebantur. Ajacis Telamonii animo leonis vitam »placuisse, quod illius de Achillis armis judicii memor, »homo esse nollet. Sequutum inde Agamemnonis ani»mum, qui propter superioris vitæ molestias, humani »generis pertæsus ipse quoque, vitam aquilæ capes»seret. Atalantæ animum in media sortientium turba, »summos Athletæ honores cum vidisset, tenere se non »potuisse, quin hoc vitæ genus arriperet. Tum Epei Pano»peensis animum, in fœminæ manuum artificio præstantis »naturam immigrasse. At procul extremos inter, ridiculi »Thersitæ animum vidisse, qui simiæ formam indueret: »Ulyssis vero, cum ei sortis fortuna postremus omnium »locus obtigisset, ad eligendum accessisse: hunc vitæ prio»ris ærumnas memoria repetentem, omni jam ambitione »deposita, privati ac soluti hominis vitam passim ober»rando perdiu quæsiisse, tandemque jacentem alicubi, »atque a cæteris neglectam ægre admodum reperisse, quam »ubi vidisset, affirmasse continuo, si vel ante omnes sibi »sors addixisset, idem se omnino facturum, ac sic eam

[1] Plat. de Rep. lib. x.

»libenter elegisse. Ex aliis item bestiis, vel in homines, »vel in sese mutuo commigrare solitos : sic quidem, ut »injusti in agrestes, in cicures justi transirent, atque ita »omni omnes mixtionis genere permisceri. » Hæc Plato cum de animo disputat, satis ostendit ad Ægyptiorum se doctrinam adhærescere. Neque enim Hebræorum illa fuit, neque est conjuncta cum vero. Quam tamen causæ nihil est, quamobrem hoc loco refellamus, cum nullis ad eam confirmandam argumentis incubuerit. Unum hoc animadvertere juverit, pugnare secum illum atque confligere, qui cum impiorum animos ante docuerit; simulatque migraverint e corpore, atque has terrarum plagas deseruerint, pœnas apud inferos criminum suorum dare sempiternas; eosdem contra deinde scribat, novum hic vitæ genus suo quemque arbitrio deligere. Eos enim corporearum, quam adhuc retineant, formarum cupiditate, corpus induere asserit : ita quidem, ut qui lasciviæ ventrique servierint, aut asinorum, aut brutarum aliarum, sed tamen quas ipsimet optaverint, non quas pœnæ loco Judex imperarit, formas suscipiant : injusti similiter atque rapaces, lupi deinde milvique fiant, sed in ea corpora sponte commigrando : tum Orphei animo, cygni; Thamyri, Philomelæ; Thersitæ, simii vitam placuisse. Quonam igitur ea, quæ de animorum suis e corporibus migrationem excipiente judicio, in dialogo de Animo tradit his verbis[1]? « Ut primum, inquit, eo mortui devenere, quo dæmon quemque »rapit : qui mediam vitæ rationem tenuisse videantur, ii »Acherontem petentes, conscensis ibi suis quique vehicu»lis, ad paludem usque deferuntur. Ibi degunt aliquandiu, »donec prorsus expiati, pœnisque criminum persolutis, »quicquid ante peccaverint, absolvuntur : quinetiam be»neficiorum quoque suorum præmia, pro sua quique

[1] Plat. in Gorg.

» dignitate ferunt. At qui propter scelerum atrocitatem, » locum remedio nullum reliquisse videantur, utpote cre» bris et immanibus sacrilegiis, aut plurimis cædibus nefa» rie et contra leges omnes perpetratis, et aliis ejusmodi » piaculis obligati : hos vero digna plane sors in Tartarum, » unde nunquam emergant, præcipites agit. » Ac de impiis quidem hæc habet, de piis vero quid subjungat, audi. » Quo etiam ex numero, qui philosophiæ opera expiati » omnimo purgatique discesserint, ii non modo sine ullis » prorsus molestiis ævo sempiterno vivunt, sed etiam in » domicilia longe adhuc nobiliora perveniunt, quæ nec » verbis describere facile sit, nec per tempus commemo» rare mihi jam liceat. « Quibus addas licet quæ scribit in » Gorgia. » Qui juste vitam sancteque traduxerit, eum sta» tim ab obitu, in beatorum insulas proficisci, ubi ævum » deinceps, sine mali cujusquam molestia, cum omni feli» citate ducat. Qui autem injuste et impie vixerit, eum in » cruciatus ac supplicii carcerem, quem Tartarum vocant, » detrudi. Postremo qui teterrima quæque perpetrarint, ac » propterea insanabiles fuerint, ex iis demum exempla sta» tuuntur. Nam ut nihil amplius juventur ipsi, quod nul» lius medicinæ vi sanari queant, alii certe juvantur, dum » eos maximas, omnique acerbitate ac diritate teterrimas » scelerum suorum pœnas in omnem consequentis tempo» ris perpetuitatem sustinere vident : prorsus ut in illo in» ferorum ergastulo suspensa quædam exempla sint, quo» rum aspectu quotquot eodem improbi assidue deveniunt, » officii commoneantur sui. » Hæc, amabo, qui tandem cum aliis illis convenire possint, quibus de permutatione corporum ita disputant, eorum ut electionem, animorum potestatis et arbitris totam esse velint? Quomodo enim cruciatus idem et carceres, tantamque pœnarum atrocitatem, posteaquam hinc excesserit, perpetuo sustineat, et

simul tanquam solutus vinculisque liber, quod sibi magis collibuerit, vitæ genus optet. Qui si delicias rursus ac voluptates secuturus sit, quo mihi tum illud supplicii ac pœnarum ergastulum? Hæc aliaque sexcenta adversus hanc philosophandi rationem otiose quivis objecerit, quæ pluribus persequi hoc loco non vacat. Itaque primus hic in eo genere Platonis error ac lapsus esto. Alius vero, qui hujus in dogmatis enucleatione versatur, quo partem animi alteram divinam, ac ratione præditam, alteram et expertem rationis, et perturbationibus obnoxiam esse statuit, vel Platonicorum ipsorum est oratione damnatus, ut ex sequentibus constare potest.

CAPUT XVII.

Non, quemadmodum Platoni visum est, animi naturam duabus ex partibus, quarum altera patiendi necessitate libera, patibilis altera sit, esse conflatam. Ex Severi Platonici disputatione de Animo.

« Jam vero, inquit Severus, de animo illo, quem a Deo » nobis duplici ex parte, altera patiendi necessitatem exclu» dente, altera subeunte conflatum, quasi medium quem» dam ex albo nigroque colorem obtrudit Plato, hæc in » præsentia quæ dicamus, occurrunt. Partium illarum pro» gressu temporis illabente dissidio, interire animum opor» tebit, quemadmodum illam coloris medii temperationem, » cum illi ex quibus ante coaluit, suapte natura paulatim, » in suum quisque genus propriumque solvuntur, perire » necesse est. Id quod si semel probabitur, morti certe

» obnoxium, non immortalem animum esse ponemus.
» Etenim si pro confesso habeatur, hac in rerum natura,
» quod contrario careat, prorsus esse nihil, quæque mun-
» di ambitu continentur omnia, ex adversis pugnantibusque
» naturis Dei manu temperata esse, qui mutuam illis ami-
» citiam et communionem injecerit, ut sicco et humido,
» calido et frigido, gravi et levi, albo et nigro, dulci et acerbo,
» duro et molli, naturæ denique patiendi experti, et naturæ
» ad patiendum aptæ, eaque id genus omnia una quadam alia
» rerum omnium communione devinxerit : præterea si quæ
» mutuo temperata sunt, atque inter sese permixta, mutuum
» quoque temporis progressione divortium pro naturæ suæ
» conditione suscipiunt; animum profecto, si partium illarum
» in eo concretionem ponimus, perinde uti colorem aliquem
» medium, naturæ suæ vitio tandem interire necesse erit :
» contrariis illis ex quibus ipse constabit, ad proprium na-
» turæ suæ statum per sese properantibus. Quid enim? an non
» id videmus, quod suapte natura grave sit, licet a nobis, aut
» alia quavis extrinsecus indita naturali levitate, sursum aga-
» tur, ut tamen deorsum naturæ suæ vi ac pondere rapia-
» tur? Similiter, quod suapte natura leve sit, licet extrin-
» secus simili quadam impellente causa deorsum feratur, ut
» tamen suis quoque viribus sursum enitatur? Etenim quæ
» duobus ex contrariis unum id aliquid simul coierint, fieri
» non potest, ut eodem se modo semper habeant, nisi e
» rerum natura tertium aliquid cum iisdem perpetuo con-
» jungatur. Sed animus tertium quid profecto non est, duo-
» bus ex contrariis pugnantibusque compositum, sed potius
» unum aliquid simplex, naturaque sua ab omni et patiendi
» necessitate, et corporis mole liberum : ut eum propterea
» Plato Platonisque sectatores, immortalem esse statuerint.
» At quoniam et hominem ex animo corporeque constare,
» vox est omnium una communis, et quæ citra corpo-

»ris commercium, in nobis volentibus nolentibus com-»motiones existunt, animo assignantur universæ, naturam »ejus patiendo obnoxiam esse conjicientes inde plerique, »mortalem illum atque corporeum, non corporis expertem »esse contendunt. Plato autem ad illam ejus partem, quæ »suapte natura omnem patiendi necessitatem excluderet, »alteram hanc ex sese patientem adjungere coactus est. Quod »autem hæc illorum utrinque nec alia ratio fuerit, ex iis »quæ cum a Platone, tum etiam ab aliis disputantur, os-»tendere, ac simul effectrices illas, quæ nobis insitæ sunt, »facultates promere ac proferre conabimur.» Hactenus Se-veri Platonici verba. Jam de cœli, deque collucentium ibi Siderum principio, quid Plato senserit videamus.

CAPUT XVIII.

De cœlo, deque collucentibus in eo Sideribus, haud recte omnino sensisse Platonem. Ex Epinomide, Timæo, et Legum decimo. Quæ Moses coli omnia vetuit, quemadmodum Hebræus etiam Philo interpretatur.

De cœlo, deque collucentibus in eo Sideribus, ita quidem Hebræorum ex mente Plato philosophatur, uti et ortum aliquem habuisse, et a rerum omnium conditore perfecta esse, et corporea interituique obnoxia natura constare doceat. Idem tamen eorum postea relicto ductu, cultum iis ac divinitatem legibus decernit sancitque suis, dum in Epinomide hunc in modum loquitur. «Ecquem vero, inquit, »vobis, Megille, tuque eo o Clinia, tantopere Deum com-»mendo? cœlum, opinor, quod quidem verum fuerit cum

» cæteris Dæmonibus simul atque Diis, colere summisque » precibus obsecrare. Nam ipsum quoque bonorum nobis » aliorum omnium causam fuisse, merito fateamur. » Inde plusculis interjectis, hæc ibidem subjungit. « Nam Deos » quidem illos, qui sub aspectum cadunt, maximos et maxima » veneratione dignos, cunctaque passim acutissime pervi- » dentes, astra, inquam, illa, quæque cum iis extitisse » agnoscimus omnia, Deorum omnium principes habere nos » oportet. Tum secundum eos, ac sub iis Dæmones colere. » At genus illud aerium, quod tertiam obtinet mediamque » sedem, quodque Superos inter et homines interpretis mu- » nere fungitur, precationibus demereri cumprimis necesse » est, felicem ut nobis suam hanc operam esse velint. » Hæc ibi, quibus manifeste divinitatem ipsis attribuit. Idem vero de prima eorum molitione sic philosophatur in Timæo. « Sic elementis, inquit, inter sese aptis atque connexis, » ut qua proportione ignis cum aere, eadem aer cum aqua, » et qua vicissim aer cum aqua, eadem aqua similiter cum » terra congrueret; mundum hunc ita devinxit atque fir- » mavit, ut spectari simul tangique posset. Ac propterea, » cum ex illis et natura sua talibus, et numero quatuor, » hujus mundi corpus secum apte consentiens effectum » est; tum ea sese amicitia proinde complectitur, ut in » unum per sese coalescens, ab alio, quam ab eo, cu- » jus manu colligatum est, dissolvi nunquam possit. » Quibus hæc post nonnulla subjungit. « Animum autem ejus » in medio collocatum, ita per universum effudit, ut ipsum » quoque corpus intrinsecus eo circumfuderit : adeoque » mundum hunc, orbem unum aliquem quique in orbem » converteretur, eumdemque solum ac sine cujusquam al- » terius consortio esse voluit. » Atque iterum inferius. « Hoc » igitur, *inquit*, divinæ providentiæ consilio, uti tempus » existeret, sol, luna, ac cætera quinque sidera, quæ vul-

» go errantia nominantur, procreata sunt, quorum motu » numerorum temporis et extare ratio, et observari posset. » Horum corpora singulorum molitus Deus, iis motibus » servire jussit, quos alterius conversio efficeret. » Et paulo post, « Hæc, *inquit*, corpora animatis vinculis colligata, » animantia evasere, atque imperati sibi rationes cogno- » vere. » Idem vero Legum decimo universe de omni animo sic loquitur : « Quicquid animo præditum est, *inquit*, id » omne, quod mutationis in sese causam habeat, mutetur » necesse est. Quo in mutationis genere, singula fati ordi- » nem ac legem sequuntur. Ita, quæ suis in moribus mino- » ra tantum aliqua mutaverint, ea minus depressa per » summum duntaxat regionis solum incedunt : quæ plura » gravioraque peccaverint, profundo gurgite hauriuntur. » Si ergo quicquid animo præditum est, idem est mutationi obnoxium, cujus in sese causam includat; cœlum autem, sol, atque luna, ut Plato ipse statuit, animo prædita sunt; eadem quoque sunt mutationi obnoxia, cujus in sese causam includant, si quid efficit ejus ratiocinatio. Quod si ita est, quomodo rursus æternitatem in illis, ac proinde divinitatem agnoscit, cum ex caduco mortalique corpore concreta dissolvi aliquando possint? Nam in Timæo quidem hæc ipse. « Quoniam igitur, *inquit*, Dii omnes, tam qui » palam volvuntur in cœlo, quam qui videndos sese nobis » pro voluntate præbent, ortum habuere, sic eos universi » hujus Conditor alloquitur. Hæc vos, qui Deorum satu or- » ti estis, attendite. Quorum operum ego Parens, effector- » que sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito : » quanquam omne colligatum solvi potest. Sed haud qua- » quam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. Sed » quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, et indis- » solubiles non potestis : neutiquam tamen dissolvemini, » nec vos ulla mortis fata periment. Consilium enim meum

» majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, » quibus estis, tum cum gignebamini, colligati. » Hactenus ille. Jure ergo Moses Hebræorumque oracula prohibent, quo minus cultum iis ac divinitatem tribuamus : contraque jubent, uti sursum animis ad rerum omnium moderatorem Deum, ipsum, inquam, solis, atque lunæ, siderumque reliquorum, imo cœli mundique totius effectorem sublatis, unum illum, cujus verbo apta ex sese nexaque sunt omnia, et Deum habeamus, et augusto illo cultu prosequamur. Nam ita quidem Moses præcipit : « Ne » videns solem, et lunam, et omnes stellas, et omnem or- » natum cœli, errore deceptus adores ea[1]. » Quod ejus interdictum uberius explanans Philo, rerum Hebræarum scientissimus, hunc in modum loquitur : « Sunt qui solem » atque lunam astraque cætera, præpotentes ex sese Deos » esse rati, causas ipsi eorum quæ fiunt omnium assigna- » runt. At vero Moses et genitum esse mundum, et instar » magnæ cujusdam reipublicæ, suos quoque principes ac » subditos habere statuit. Et stellas quidem tam errantes, » quam orbibus suis affixas, quæ omnes in cœlo versantur, » principum loco munereque fungi ; luna vero inferiores » naturas, sive aerem teneant, sive propius cum terra co- » hæreant, subditorum in classe graduque consistere. Ve- » rumtamen principes illos, non potestatis omnino jurisque » sui, sed unius cunctorum parentis quosdam quasi præ- » fectos esse, cujus dum regendi consilium ac rationes » imitantur, quicquid existit nasciturque rerum, id omne » feliciter ex æquitatis legisque præscripto moderari. At » vero, qui sessorem illum frænos habenasque regentem non » viderent, eos jugalibus istis, quasi per sese res efficerent, » omnium quæ hoc in orbe fierent, causas tribuisse. Quo- » rum stultitiam nova ut scientia sanctissimus legislator

[1] Deut. IV. 19. — [2] Phil. loco deperdito.

» emendet : « Ne tu, *inquit*, videns solem, et lunam, et » stellas, et omnem ornatum cœli, errore deceptus adores » ea. » Præclare omnino rem tetigit, dum eorum, quibus » nova hæc Numina probarentur, consilium errorem appel- » lavit. Nam qui dum viderent, aut solis accessu recessu- » que annuas illas tempestates existere, quibus animantium, » plantarum, fructuumque ortus, maturitatem suam certis » ac descriptis temporum conversionibus assequantur : aut » lunam solis administram atque vicariam, quibus ipse præsit » interdiu, curam eorum noctu moderationemque suscipere; » tum cætera quoque sidera pro suo quodam adversus res » terrenas sensu, infinita quæ ad universi conservationem » pertineant, indita sibi vi efficere, eum in errorem sane » immensum devenere, hos ut solos Deos esse statuerent. » Qui si rectam viam studiosius institissent, facile profecto » agnovissent, quemadmodum mentis administer suapte na- » tura sensus est, ita quicquid in sensum cadit, ejus quod » sola mente percipitur, administrum esse constitutum. » Quibus ita subdit. « Quamobrem, inquit, naturam omnem » aspectabilem cogitatione prætervecti, ad ejus, qui quod » omni forma careat, nec visu attingatur, sola intelligentia » percipi potest, honorem aspiremus : quippe qui Deus sit, » non eorum modo, quæ vel mente, vel sensu capiuntur, » sed omnium omnino procreator. Quisquis autem sempi- » terni illius, ac rerum Effectoris cultum recentiori cuipiam » genitoque tribuerit, is et insanus, et summæ reus impie- » tatis habeatur. » Nos igitur hæc religionis, apud Hebræos præcepta, immortalia prorsus ac divina, stolidæ ac ve- cordi philosophiæ prætulimus. Nam quid me attinet ista persequi diutius, ac cæteros Platonis errores aperire; cum ex paucis illis, conjecturam facile de iis etiam, quæ taci- tus prætereo, facere quisque possit. Id quod nemo tamen abs me calumniandi animo dictum esse putet, cum majo-

rem in modum hominem suspiciam ipse quoque. Sic est, equidem, illum nobis Græcorum omnium amicissimum existimo, et tamquam eum, qui si minus eadem prorsus quæ nos omnia, affinia certe admodum cognataque tradiderit, observo. Sed tamen ubi cum Mose, ac cæteris Hebræorum prophetis committitur, quam iis intelligentiæ vi cesserit, aperio. Quanquam si quis eum arguendum ex professo susciperet, posset is profecto alia sexcenta reprehendere, cujusmodi sunt egregia illa plenaque prudentiæ, quæ vel de mulieribus in Republica statuit, vel de infando amore in Phædro tam speciose philosophatur. Ex quibus si quid etiam audire placet, lege sis quæ ab eo totidem verbis disputantur.

CAPUT XIX.

—

Quænam minus recte Plato, tam in Legibus, quam in Republica, de mulieribus statuerit : quæ Hebræorum doctrina non probat.

« Multa fortassis, inquit[1], ex iis quæ a nobis hic dicuntur, » quod alium nunc morem habeamus, ridicula videbuntur, si fient uti præcipimus. Plane, inquit. Ego vero, » quid tandem ex iis maxime tibi ridiculum videtur? Illud, » opinor, quod mulieres velimus nudas cum viris in pa» lestra exerceri, nec juniores modo, sed ipsas quoque se» niores, uti viros jam senes in gymnasiis videmus, rugosos » licet, atque aspectu injucundos, studiose tamen hac in » exercitatione versari. » Tum pluribus interjectis, hæc sub-

[1] Plat. de Repub. lib. v.

dit. « Qui vir, *inquit*, mulieres nudas riserit, hanc in exer- »citationem honesti causa incumbentes, quasi qui risu cap- »tando, solertiæ fructum aliquem capiat, is profecto, quid »rideat non intelligit. » Hæc ille quinto de Republica. Idem autem Legum septimo, saltandi artem, ac reliquas exercitationes, tam puellis, quam pueris condiscendas esse statuit : adeoque ut magistros pueris, sic puellis suas quoque saltandi magistras esse debere, quo id elegantius facere, concinniusque possint. Atque ibidem conceptis verbis hæc habet. « Nostra illa quoque puella simul ac domina, sal- »tatorio hoc ludicro delectata, non jam vacuis sibi mani- »bus puerili more ludendum putavit, sed armis omnibus »instructæ perficiendam saltationem putavit. Quæ quidem »pueros puellasque nostras imitari omnino decet. Et vero »mulieribus etiam bellandum esse hunc in modum præ- »cipit. Quibus in omnibus Gymnasiis, inquit, suos in quo- »que genere præceptores mercede conductos, nec tamen »peregrinos, versari debere, qui omnibus ad militiam et »musica pertinentibus convenientes eo discipulos insti- »tuant : sic quidem, non ut quem pater voluerit, is dun- »taxat ludum frequentet, quem vero noluerit, is studia »valere jubeat : sed viri, quod aiunt, puerique omnes, »quantum sane fieri poterit, quippe qui Reipublicæ potius, »quam suorum quique parentum sint, necessario instituan- »tur. Porro eadem omnino de fœminis, quæ de maribus »lex ista mea statuit, ut perinde ab utrisque exercitationes »ille obeantur. Neque id profecto aut de equestri, aut de »gymnastica dicere verear, quasi viros modo, non autem »mulieres utraque deceat. » Et quibusdam interjectis. « Gymnasiorum, *inquit*, nomine bellicas etiam omnes cor- »poris exercitationes includimus, sagittandi artem, jaculan- »di genus omne, peltasticam, armatam omnem concer- »tationem, compositas et instructas flexiones, eruptio-

» nes omnemque militarium itinerum, castrorum, et castra » metandi rationem, tum quæ artis equestris propria sunt » omnia. Istorum enim omnium publicos oportet esse ma» gistros, quibus sit a Republica constituta merces : eorum» que discipulos, quotquot in civitate degent, tam viros, » quam pueros, tam mulieres, quam puellas, eorumdem » omnium peritos esse : hoc tamen discrimine, ut puellæ » saltationis et concertationis armatæ genus omne condis» cant; mulieres in eruptionibus faciendis, instruenda acie, » armisque tum ponendis, tum sumendis versatæ sint. » At ne cum Platonicis quidem istis Hebræorum doctrina consentit, imo conceptis pugnat dissertisque verbis : quippe quæ felicem bellorum successum, ne virorum quidem, nedum ut mulierum viribus tribuat; sed ad Deum potius ac divinum ejus auxilium omnia referat. Sic enim loquitur : « Nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt » qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, » frustra vigilavit, qui custodit eam[1]. » At vide sis porro, quemadmodum egregius philosophus mulieres gymnicis quoque certaminibus immisceat. « Mulieres *inquit* [2], quod » attinet, puellis adhuc impuberibus, iisque nudis, stadii, » vel simplicis, vel geminati curriculum, equestre similiter, » integrum denique illud ac justum assignabimus, atque ita » ut de cursus inter se celeritate contendant : quæ vero » annum attigerint decimum tertium, eas donec nupserint, » sic in harum exercitationum societate retinebimus, ut » iis nec ultra vicesimum obligentur, nec solvantur ante » decimum octavum. Eæ porro honesto sucinctæ cultu » in ea curriculorum certamina descendant. Atque id de vi» rorum ac fœminarum cursu constitutum esto. At virium » firmitatis augendæ causa, luctæ loco ac cæterorum ejus» modi, quibus nunc molestioribus ac difficilioribus utimur,

[1] Psal. CXXVI, 1. — [2] Plat. Leg. lib. VIII.

» armatæ pugnæ speciem proponemus, singulosque cum » singulis, aut cum geminis geminos committemus. » Tum statim post hæc verba, « Idem ipsum armati hujus certa» minis præsides, ut lege sancitum velint, adhortari opor» tebit. Eadem, inquit, de puellis, quamdiu inuptæ ma» nent, sanciuntur. » Rursus, ubi superioribus illis, novas de peltastica, de pancratio, de sagitandi arte, de lapidibus seu manu, seu funda jaciendis, postremo de equorum certamine leges addidit, de fœminis etiam ita concludit. « Fœminæ quidem, ut in certaminum istorum societatem » veniant, legibus aut edictis cogendæ non erunt: si tamen » superioris disciplinæ rationibus jam in mores usu receptis, » aliena tum ab iis natura non erit, pueri simul ac puellæ » sinantur in eorum tractatione versari, factumque repre» hendat nemo. » Hæc Plato de mulieribus. Cujus etiam lex illa est, sane quam egregia, « Si quis filias reliquerit, uti » similiter ea cogitationis in fratrum et consobrinorum se» rie ratio habeatur, ut eodem in genere, ex marium ipsis » primo, qui si nulli erunt, tum demum ex fœminarum » stirpe viri sumantur. Ætate vero, quam ad nuptias vel » pari sint, vel impari, judex ita statuat, ut mares quidem » omnino nudos, fœminas autem umbilico tenus inspiciat. » Atque idem sexto de Legibus, nudas etiam illas diebus festis choreas agere jubet, dum ait: « Hoc mutuæ notitiæ stu» dium juvabitur, si pueri simul ac puellæ ludos et choreas » celebrabunt, ac sese mutuo nudatis corporibus aspicient, » sic tamen ut modus aliquis teneatur, eaque sit ætas, quæ » probabiles ejus rei causas habeat, adeoque semper ho» nesto singulorum pudori consulatur. » His adde omnibus legem illam, qua Reipublicæ quinto, communes fœminas esse jubet, his verbis: « Proximam hanc, inquam, aliasque » superiores, lex opinor ista consequitur. Quæ tandem? » Uti mulieres istæ omnes cum viris illis omnibus communes

» sint, nullaque cum ullo privatim ac proprie consuescat : » similiter, uti communes sint liberi omnes, nec sui vel » fœtus a parentibus, vel parentes a fœtibus agnoscantur. » Quibus ista subdit : « Verisimile id quidem, inquit. Tu igi- » tur, inquam, o noster legislator, mulierum perinde ac » virorum delectu habito, iis quam maxime fieri poterit, » ingenio similes assignabis. Ii porro domos contubernia- » que communia dum habebunt, nec privatim ullus simile » quicquam possidebit, una profecto erunt : dumque » simul tam in gymnasiis, quam in cæteris vitæ officiis » versabuntur, ad mutuam, opinor, consuetudinem innata » quadam necessitate ducentur. Num vero tibi necessaria » dicere videor? Sane, inquit, verum non geomeotrica ne- » cessitate, sed amatoria, quæ quidem, ad pelliciendam » vim populi maximam, acrior esse vulgo quam illa, poten- » tiorque solet» Hæc ille. Sed erit fortasse nonnemo, qui philosophi mentem aliter accipiet, eamque quam vulgo putant, negabit esse. Nec enim promiscue communes fœminas omnes esse velle, quasi libidinis ac flagitii liberam cuivis potestatem faciat : sed tantum magistratus suopte arbitrio suam quique viro assignare posse. Sic enim perinde communes illas fore, ut publicæ pecuniæ communes vocari possunt, quæ in quos oportuerit a quæstoribus dividantur. Demus hoc vero. Quid tandem es dicturus, cum audies, illum etiam, ne concepti utero fœtus in lucem edantur, interdicere? Atqui sunt hæc ejus verba. « Statuimus, inquit, uti mu- » lieres a vigesimo anno ad quadragesimum, Reipublicæ li- » beros pariant : viri autem simulatque ex summo illo ac » levissimo ætatis flore excesserint, ad annum deinceps » quintum et quinquagesimum, procreandis Reipublicæ li- » beris operam dent. » Quibus hæc subjungit : « At ubi tam » viri, quam mulieres justam illam generandi ætatem præ- » terierint : viris exinde liberum esto, cujuscunque volue-

» rint consuetudinem expetere. » Additque præterea : « Ca-
» vendum illud etiam diligenter, principio ne ullus ea æta-
» te fœtus, si qui forte extiterit, in lucem edatur : deinde
» si quæ pariendi necessitas fuerit, ut exponatur continuo,
» quod nullum huic partus generi alimentum debeatur. »
Ac de mulierum rationibus hactenus Plato. Jam quid de infando amore censuerit, videamus.

CAPUT XX.

Quænam Plato de infando amore in Phœdro statuerit : quibus contraria sunt a Mose sancita.

« Qui si diutius[1], *inquit*, id factitare perget, si accedet
» propius, si tam in gymnasiis, quam in reliqua consuetu-
» dine illum continget : tum enimvero fluxionis illius fons,
» quem Cupidinem Jupiter Ganymedis amore correptus
» appellavit, dum vi quadam vehementiore amatorem inun-
» dat, partim in eum penitus illabitur, partim eo jam pleno
» effluit ac redundat extra. Atque ut spiritus quidam, aut
» echo ex levibus solidisque corporibus assiliens, unde pri-
» mum extitit, eo refertur denuo : sic illa pulchritudinis
» fluxio, in pulchrum iterum per oculos relabitur, quæ
» postquam in Animum, qua solet via subierit, tum vero
» quicquid alis permeat, huic etiam adjungit alas, rigat-
» que continuo, novisque subinde penis pullulare gestit, ac
» simili amore amati animum implet. Amat igitur ille, nec
» tamen aut quid amet, aut quo sensu moveatur, vel nosse

[1] Plat. in Phed.

» vel explicare potest : sed perinde ac si ex alieno aspectu » lippitudinem contraxisset, causam ejus, quam afferat » nullam habet. » Iterumque post pauca : « Concupiscit, in- » quit, minus vehementer id quidem, sed tamen affectu » persimili, videre, contingere, osculari, jacenti adhæres- » cere. Quæ quidem omnia, cum primum licuerit, uti fa- » cile quivis intelligit, re ipsa perficit. Igitur ejusdem in » lecti communione, intemperantior amatoris equus habet » quod ab auriga petat aliquid, hoc est ut tot sibi laborum » brevem aliquem fructum capere liceat. Amati vero equus, » quod dicat habet nihil : tantum commotus ipse quoque, » nec satis sui compos, amatorem illum tanquam sui stu- » diosissimum amplectitur atque osculatur. Ac dum simul » jacent, ita quidem comparatus est, nihil ut amatori, » quantum in se erit, negaturus videatur, quod ab illo » contenderit. Quod si vicerit mens illa melior, quæ ad » modestioris et cum philosophia congruentis vitæ rationes » invitat; tum vero beatam hic atque unanimem vitam » agunt, sui potentes, planeque moderati. » Itemque paucis admodum interjectis. « Sin contra, inquit, alterum illud » iniquioris vitæ genus, tam abhorrens a philosophia, quam » ambitiosum placuerit; continuo jugales eorum indomiti, » dum vel temulentia, vel alia quavis mollitie laborabunt, » dissolutos animos planeque neglectos occupantes, et ejus- » dem in sensus communionem pertrahentes, illum viven- » di morem, qui plerisque felix videtur, eligent ac sequen- » tur : eumque deinceps retinebunt illi quidem, sed rarius » tamen usurpabunt, quod eum mens tota non probabit. » Et quidem, ut minus quam superiores illi tamen et in » illo amoris æstu, et cum ab eo interquiescunt, amici esse » pergunt ipsi quoque, rati maxima se fidei religione ultro » citroque obligatos esse, qua violata ullas unquam inimi- » citias exercere sit nefas. Porro cum intereunt, sic disce-

» dunt ex corpore, ut licet alis necdum omnino instructi » sint, iis tamen vestiri jam cœperint. Quare fructum ama» toriæ hujus insaniæ non exiguum capiunt. Nec enim illos » deinceps in tenebras, aut in subterranea quædam loca » venire lex ulla patitur, qui viam cœlo propiorem insis» tere jam cœperunt : sed potius una profecti, claram illus» tremque vitam in summa felicitate degunt, ac propter » mutuum amorem, similibus etiam alis induuntur. Hæc » tu, fili, tanta tamque divina ex amatoris tui amicitia con» sequere. » Hæc Plato. At Mosis longe alia mens est, quippe qui legem iis plane contrariam ferat, dum adversus puerorum amatores æquissimam hanc disertis verbis sententiam pronuntiat : « Qui dormierit cum mare concubitu » muliebri, abominationem fecerunt ambo : morte morian» tur, ejus enim rei sunt. » Itemque, « Execrabilis est om» nis, qui dormit cum mare concubitu muliebri. » Quid jam attinet illud homini persapienti objicere, missis prædiconibus, nec enim suis in legibus mortis eos supplicio dignos putavit, in servum illum capitis ab eo ferri sententiam, qui repertum ab alio thesaurum non indicarit? Ac ne me calumniari suspicere, audi sis hæc ejus verba.

CAPUT XXI.

—

De legibus Platonis ad cædes pertinentibus, magna illa hominis mente indignis, quibus cum Mosis leges committendæ.

» Quicquid autem[1], *inquit*, tam de pecuniis, quam de » illo, qui eas loco moverit, Deus respondebit, id obtem-

[1] Plat. Leg. lib. XI.


» perans oraculo Respublica perficito. Liber si rem indicarit, » virtutis; si tacuerit, improbitatis opinionem auferto. Servus » si factum aperuerit, Respublica liberum esse illum decer- » nito, servi pretium hero repræsentato : si non aperuerit, » morte mulctator. » Atque hic morte damnatur, non qui rem prohibitam loco moverit, sed qui nomen furis non detulerit. At idem, impune herum ferre vult, qui servum iratus occi- » derit. « Qui servum, *inquit*, suum occiderit, absolvitor: qui » alienum et iratus, duplum ejus hero pretium persolvito. » Huic alias adde leges, quas de cæde tulit. « Qui suapte manu » hominem liberum interfecerit, si facinus iracundiæ fuerit, » non consilii; cum cætera, quæ homicidæ iracundia nulla » commoto deberentur, sustineto; tum necessario, frangen- » dæ iracundiæ causa, biennium exulato. » Cui et aliam hanc deinde subjungit. « At qui non iratus modo, sed etiam ex » insidiis liberum occiderit, cum easdem, quas superior ille » pœnas luito, tum vero ut biennium alter, sic ipse trien- » nium exulato; diuturnius enim supplicium major iracundia » postulat. » Tum de illo qui secundum homicidium patra- verit, ita statuit. « Quod si horum alteruter in patriam » restitutus, eodem se rursus crimine, iracundia victus obli- » garit, perpetuum exulato. » Itemque paulo post, « Si forte, » quod raro admodum eveniet, pater aut mater, filiam, » ejusdem iracundiæ vi aut verberibus, aut alia quavis acer- » bitate occiderit; cum iisdem quibus cæteri sacris expian- » tor, tum etiam triennium exulanto. Qui postquam redie- » rint, uxor a viro, vir ab uxore sejungitor, nec ullos » amplius ex sese mutuo liberos suscipiunto. » Addit præterea: «Si vir uxorem, aut virum uxor ira necaverit, sacris iisdem » piacularibus procurantor, et in exilio triennium exigunto. » Cum autem redierint, nec in sacrorum, nec in mensæ » communionem amplius cum liberis veniunto. Si fratrem » vel sororem, frater aut soror ira necaverit, expiandi ri-

» tum, exiliique tempus quod attinet, quæ jam de paren-
» tibus ac liberis statuimus, eadem illorum aut fratrum aut
» parentum causa sanciuntor, quos aut fratribus aut liberis
» orbaverit. Eidem communibus cum ipsis vel laribus
» vel sacris uti nefas esto. Frater si fratrem, coorta in
» seditione pugna, aliove simili modo, dum vim inferen-
» tem vi repellit, occideret, perinde ac si hostem occi-
» disset, absolvitor. Idemque judicium esto de cive, qui
» civem, de peregrino, qui peregrinum similiter occiderit.
» Imo, si vel civem peregrinus, vel peregrinum civis, vel
» servus servum, vim vi repellendo necaverit, eodem jure
» absolvitor. Qui vero servus liberum, vim licet vi repel-
» lens, occiderit, iisdem quibus parricida legibus tene-
» tor. Qui popularium suorum quemlibet, prudens et
» injuste manu sua necaverit; principio communi civium ju-
» re privator, uti ne forum, templa, portus, aut alium quem-
» libet conventum polluat; idque seu quis homicidæ aditu
» interdicat, seu nemo : lex enim per sese interdicit.
» Qui autem eum non persequetur, cum tamen id deberet
» neque hoc ei denuntiabit, cognatione sua ispsemet
» excluditor : deinde, quisquis interfectum ulcisci volet,
» ei reum illum agere fas esto. Si aut virum uxor, aut
» vir uxorem, interficiendi animo, vulnerarit, perpetuum
» exulato. » Ejusmodi sunt Philosophi leges.
Quibuscum si Mosaicas conferre velis, audi tu porro,
quid de cædibus illæ statuerint. « Si percusserit, quis al-
» terum, isque mortuus fuerit, morte moriatur. Si autem
» non volens, sed Deus tradiderit in manus ejus, consti-
» tuam tibi locum, in quem fugere debeat qui occiderit.
» Si quis autem insidiatus fuerit proximo suo, ut interfi-
» ciat ipsum dolo et confugerit, ab altari meo rapies ipsum,
» ut morte afficias. Qui verberavit patrem suum aut ma-
» trem suam, morte moriatur. Si rixati fuerint duo viri, et

» percusserit alter proximum suum, lapide vel pugno, et
» ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si sur-
» rexerit, et ambulaverit foris super baculum suum; inno-
» cens esto qui percusserit : ita tamen ut cessationis suæ
» dispendia, et impensas in medicos restituat. Si quis per-
» cusserit servum suum vel ancillam suam virga, et mor-
» tui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Si autem
» percusserit quispiam oculum servi sui, aut oculum an-
» cillæ suæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos, pro
» oculo quem ipsis eruit.[1] » Atque ejusmodi sunt quæ a
Mose præscribuntur. Audi præterea, quemadmodum servos,
et quas ob causas, absque ulla veniæ spe verberibus con-
scindi Plato velit. « Qui aut uvas, inquit, quæ vulgo ge-
» nerosæ dicuntur, aut ficus illas, quibus idem nomen, col-
» ligere voluerit, si ex suis modo sumet, uti et quando
» libuerit carpito. Sin ex alienis, invito domino collegerit,
» ex ejus legis præscripto, quæ movere loco vetat quic-
» quid ibi non deposuerit, mulctam sustineto. Quod si
» servus, ejusmodi quid, invito prædiorum domino, atti-
» gerit, quot acinos ficusve sustulerit, totidem plagas ac-
» cipito. » Hæc ipse ab illa mentis suæ magnitudine sane
quam aliena. Quo in genere, quam liberalem se Moses hu-
manumque præbuerit, ejus ex verbis quæ sequuntur intel-
liges. « Si ingressus fueris vineam proximi tui, comede uvas,
» donec anima tua impleatur; in vas tamen nullam immi-
» tes. Itemque, si intraveris in segetem proximi tui, collige
» spicas manibus tuis, falcem autem non mittes in mes-
» sem proximi tui[2]. » Et rursus, « Si messueris messem tuam
» in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris in eo, non
» reverteris ut tollas illum : sed pauperi, et advenæ, et
» orphano relinquetur, ut benedicet tibi Dominus Deus
» tuus, in omni opere manuum tuarum. Si autem olivas

[1] Exod. XXI, 12. — [2] Deut. XXIX, 24.

» collegeris, non reverteris ut excutias quas a tergo reli-
» queris, sed permittentur advenæ, et pupillo, et viduæ. »
Hactenus Moses. Et Plato quoque permulta habet, quæ reprehensione careant. Nos ex iis honestissima et optima quæque amplectimur, cætera procul jubemus facessere. Sed quoniam ista jam fusius persequuti sumus, causamque attulimus, quamobrem Platonis philosophiam sectari noluerimus, jam tempus est, susceptam a nobis disputationem pertexere, ac cæteras græcæ philosophiæ sectas explorare.



LIBER DECIMUS QUARTUS.

CAPUT I.

Procœmium, quo libri argumentum explicatur.

Platonicæ philosophiæ rationes, quatenus eas vel explicari vel audiri operæ pretium fuit; ejusque vel cum Hebræorum oraculis consensionem, cujus causa hominem vehementer admiramur, vel dissidium ab iisdem, in quo prudens cum nemo sequatur, superiore libro persequutus; ad reliquas eorum sectas jam venio, qui apud Græcos philosophiæ laude claruerunt. Qui tamen a veritate quam exciderint, non verbis ipse meis, sed, quod adhuc feci, conceptis Græcorum ipsorum testimoniis, in legentium oculis aspectuque defigam. Nec eorum ulli propterea infensum me quisquam existimet, quos me omnes admodum suspicere fateor, quamdiu illos cum cæteris, hoc est cum hominibus homines comparo. At ubi cum Hebræorum Theologis atque prophetis, Deoque ipso conferuntur, qui per eos et futura prædixit, et tanta perfecit miracula, imo qui et sanctissimarum religionum ritus, et veritatis doctrinam instituit : equidem sic intelligo, probro nobis amplius vertere posse neminem, quod Deum hominibus, ac veritatem ipsam, mortalibus quibusdam cogitationibus atque conjecturis potiorem habeamus. Atque id unum ut osten-

derem, toto præsentis hujus Præparationis opere sum conatus, nobis ut in promptu esset, quod illis responderi excusarique posset, qui a nobis vulgo quærunt, quid tam præclarum et eximium Barbarorum in litteris viderimus, ut eas patriæ nobilique Græcorum philosophiæ anteponendas esse statueremus. Verum id re ipsa jam jam demonstrare pergamus.

CAPUT II.

De mutua dissensione pugnave Philosophorum.

Ac mihi quidem ante omnia, vel a primis græcæ philosophiæ cunabulis auspicandum videtur, quærendumque studiosius, qui tandem philosophi, quos physicos vocamus, ante Platonem extiterint, et cujusmodi profecta ab iis disciplina principes habuerit. Deinde ad Platonis successores veniemus, et quinam fuerint ipsi quoque, quamque verbis inter se illi sententiisque pugnaverint, videbimus. Tum cæterarum quoque sectarum dissidia, et discrepantium opinionum factiones intuebimur: in quibus egregios sane pugiles, mutuis sese plagis et ictibus acriter generoseque tundentes, sic tanquam in scena spectatoribus contemplandos objiciam. Enimvero Platonem in primis videbimus superiores philosophos irridentem, tum vicissim Platonis sectatores atque successores aliis vapulantes : rursus quemadmodum et Platonis studiosi præclara Aristotelicæ mentis sensa redarguant; et qui Aristotele principe ac Peripatetici nomine gloriantur, quæ a contrariæ factionis defensoribus

afferuntur, nulla esse demonstrent. Quinetiam acres illas ac subtiles Stoicorum argutias illudi ab cæteris ac derideri videbis, adeoque omnes undique, cum vicino quemque suo, pulvere conspersos pugnam strenue luctamque conserere: quasi manibus jam jam, atque lingua, seu calamo potius et atramento, mutuum in sese bellum instruerent, atque alios alii, quibusdam quasi disputationum jaculis, atque omni armorum genere vulnerarent. Habebit stadium quoque nostrum, hoc in gymnico certamine, præter superiores, omni veritate nudos athletas illos, qui contra universam eorum, quos Dogmaticos vocamus, philosophorum turbam arma sumpsere; Pyrrhonios, qui nihil omnino, Aristippæos, qui solum doloris sensum percipi posse dicebant; et Metrodori, ac Protagoræ sectatores, qui unis tantum corporis sensibus fidem habendam esse voluerunt. Quibuscum altera ex parte instructam Parmenidis et Xenophanis discipulorum, qui sensuum vim omnem funditus sustulerunt, aciem committemus. Imo ne ipsos quidem voluptatis propugnatores prætermittemus, sed eorum potius antesignanum Epicurum ad cæteros aggregabimus. Cæterum quolibet in quæstionis genere, suis ipsi abs me telis armisque refutabuntur: quique Physicorum cognomentum habent, horum simul omnium et in doctrina dissensio, et inanis studii frivolaque contentio proferetur. Atque id abs me fiet, non ullo sane aut Græci nominis, aut liberalis eruditionis odio, a quo absum longissime, sed tantum nullus ut ei calumniæ locus relinquatur, quasi Græca in sapientia parum admodum studiose versati, Hebræorum ei litteras doctrinamque prætulerimus.

CAPUT III.

De summa Hebræorum dogmatum consensione.

Veram Hebræi plenamque pietate philosophiam, ab ultima usque memoria, peneque a primo, ut ita dicam, hominum ortu, diligenter penitusque rimati, eamdem ad posteros sanam et integram transmisere : atque ita quidem hanc veritatis doctrinam a parentibus liberi, quemdam quasi thesaurum longa successione acceptum conservarunt, ut quæ decreta semel et constituta fuerant, iis nec addere quicquam ausi sint, nec quicquam detrahere. Sane quidem Moses ille sapientissimus, idemque uti Græcis omnibus, quod ex superioribus plane constat, antiquior, ita Hebræorum, qui ante ipsum plurimi vixerunt, ætate postremus, ex iis quæ a vetustissimis patribus de dogmaticæ theologiæ rationibus sancita erant, movere nihil aut mutare statuit : tantum popularibus ipse suis, quibus imperabat, conveniens ac proprium quoddam vitæ genus, et moderatæ Reipublicæ formam legibus temperavit. Hunc sequuti Prophetæ, qui tanto post eum intervallo claruere, ne minimam quidem voculam mittere sunt ausi, quæ vel a se ipsis, vel ab iis quæ Mosi cæterisque Deo caris hominibus placuerant, leviter dissideret. Neque Christiana profecto doctrina, quæ iisdem hausta ex fontibus, vi prorsus divina Græcos simul omnes Barbarosque pervasit, quicquam habet cum superiorum illorum dictis legibusque pugnans : nisi potius dicendum illud sit, eamdem penitus, quam illi Mose antiquiores Hebræi, Deoque gratissimi tenuere, nec

decretis modo theologiæ, sed etiam institutis eamdem ac moribus, vitæ ab ea formam rationemque præscribi. Quæ quidem ejusmodi est, ut una tam primorum, quam mediorum, ac novissimorum sententia voceque testata, veræ pietatis et philosophiæ certitudinem ac firmitatem habeat, suffragiis omnibus consignatum. Atque illa sic orbem universum implet, ut perinde ac si paulo ante sata primum, atque in lucem educta esset, adolescat in dies, et efflorescat magis atque magis. Nec vim ejus atque constantiam legum sanctiones, inimorum insidiæ, hostium gladii, quorum in nos aciem tam sæpe acuebant, frangere unquam ac debilitare potuerunt. Nunc vero Græcorum philosophia, tanquam in brevibus quibusdam fluctuans et agitata, quod tandem robur ostenderit, videamus. Ac Physicos illos, sic enim dicti sunt, ante alios omnes hanc in arenam producamus. Qui quidem, ut Platone priores extitere, ita quam secum ipsi mutuo pugnaverint, ex eodem Platone discemus : qui Protagoræ, Heracliti, et Empedoclis, cum Parmenide ejusque sectatoribus contentionem redarguit. Nam Protagoras quidem, is qui Democriti sodalis fuit, Athei opinione laboravit ; cujus hic, in suo de Diis opere, primus est illam in disputationem ingressus, Dii ne sint, an non, inquit, quave forma illi sint, equidem nescio. Democritus autem principia rerum universarum duo statuebat, Inane ac Plenum : ac Plenum quidem, aliquid esse dicebat ac solidum, Inane vero prorsus esse nullum. Itaque nihilo magis, quod aliquid est, quam quod nullum est, esse ait; quod ex omni æternitate, quæ aliquid sunt, in eo quod inane est, perpetuo celerrimeque moverentur. Heraclitus vero cunctorum principium, ignem esse voluit, ex quo nimirum omnia fiant, et in quem omnia resolvantur. Quippe vicissitudinem quamdam esse omnia, certumque tempus constitutum esse, quo et in ignem resolvantur universa,

et rursus ex igne universa generentur. Cæterum isti omnia moveri defendebant. Ac vero Parmenides, Eleates genere, unum quid universum esse docuit, idemque ortu simul ac motu carens, figuraque sphæricum. Is sectatorem Melissum habuit, in eadem prorsus opininione versatum. De his omnibus quemadmodum in Theæteto Plato loquatur, audi.

CAPUT IV.

Quemadmodum superiores philosophos Plato redarguat Ex Theæteto.

« At vero, inquit Socrates, dum aguntur, dum moventur, dum inter sese commiscentur, fiunt universa. Quæ » pro inde cum esse dicimus, hac voce perperam abutimur. » Nihil enim unquam est, sed fit perpetuo. Cæterum illud » manet, sapientes deinceps omnes, si Parmenidem excipias, in eo convenisse, Protagoram, Heraclitum, Empe- » doclem, ac poeseos utriusque principes, comœdiæ quidem » Epicharmum, Homerum vero tragœdiæ. Homeri certe » illud est,

« Oceanum fontem rerum, Tethynque parentem »

» Quo, fluxionis ac motus universa fœtus esse significat. » Num vero idem tibi videtur? Videtur sane. Ecquis igitur » deinceps risum effugiat, qui tanto cum exercitu, ipsoque » Homero duce pugnare velit? » Inde longius disputando progressus, hæc habet. « Accedendum ergo propius est, » inquit, ut jubebat suscepta Protagoræ defensio, pulsan-

» doque diligentius explorandum, utrum agitata hæc na-
» tura sanum aliquem sonum, an vitiosum edat. De illa
» certe, nec vulgaris est, nec a paucis excitata contentio.
» Multum hercle abest ut vulgaris ea sit, quæ viget tota
» passim Ionia plurimum. Heracliti enim sectatores hanc
» sententiam acriter admodum strenueque docent. Tanto,
» mi Theodore, videndum ab initio magis, quemadmodum
» hæc ab iis disputentur. Omnino, inquit : opinor enim,
» Socrates, aut Heracliticos illos, aut, quemadmodum
» tute vocas, Homericos, atque illis etiam vetustiores in-
» telligis. Nam cum iis certe, qui circa Ephesum habitant,
» ac sibi rerum istarum scientiam præcipue vindicant, ni-
» hilo magis quam cum insanis ac furiosis colloquare. Pror-
» sus enim illi, eo quem suis in scriptis tantopere osten-
» dunt, impetu rapiuntur. Nec aliud quicquam est, quod
» parum adeo possint, quam suis in sermonibus et quæs-
» tionibus sustinere nonnihil sese; ac pacate modo interro-
» gare; modo respondere vicissim : imo vel istuc ipsum,
» quod dicimus, aliud quicquam esse nihil; nimium quid-
» dam est, quam ut satis, ne tantillum quidem genus hoc
» hominum moderationis habere significet. Enimvero si
» quid ex iis quæras, illico tanquam ex pharetra, voculas
» jaculari ænigmatum persimiles : ac si vel unius rationem
» exigas, quæ dicti vim ac sensum aperiat, alia te rursus
» petere, quam novum pariter metonymiæ genus obscuret.
» Ita nihil unquam aut tute apud istos efficias, aut ipsimet
» inter se : siquidem id omni cavent studio, ne firmi quic-
» quam vel in disputatione, vel suis ipsorum in mentibus,
» hærere patiantur; rati, opinor, hoc ipsum esse firmitatis
» atque constantiæ. Quare illud assiduo persequuntur bello,
» et undique quantum in ipsis est, exterminant. Tu vero
» fortasse, mi Theodore, homines tantum vidisti dum pug-
» narent, dum in pace degunt, convenisti nunquam. Nec

» mirum, familiares quippe tibi non sunt. At suis, opinor, » discipulis, ista explicant otiose, quos sui similes efficere » velint. Quos tu mihi discipulos, vir egregie? Ne alii quidem aliorum discipuli isti sunt, sed oriuntur existuntque » per sese, undecunque tandem furore concitati prorumpant, nec sentire quicquam alter alterum existimat. Cum » igitur ab iis, ut ante dixi, nec volentibus, nec invitis rationem exprimere nullam possimus, restat, hanc ut rem » ipsimet in manus sumamus, et quasi problema quoddam » diligenter excutiamus. Modice tu quidem ac civiliter. Sed » quod tandem aliud accepimus problema, quam cum ab » antiquioribus illis, qui poeticis involucris hominum vulgus latere voluerunt, Oceanum ac Tethyn rerum omnium fontes ac parentes, in perpetua fluxione versari, » proindeque nihil consistere : tum etiam a recentioribus; » sed qui tanquam sapientiores aperiunt sese, indicantque » palam, ut ipsi quoque cerdones eorum sapientiam vel » audiendo intelligant, desinantque tandem simpliciter nimis ac pueriliter opinari, et rebus stare alias, alias moveri; atque ipsos adeo magis observent, cum ex iis cuncta moveri didicerint? At excidit mihi propemodum, » Theodore, alios etiam contraria istis omnia statuisse. » Cujusmodi est illud,

« Totius verum ac proprium est, Immobile, nomen. »

» Atque alia id genus, quæ Melissi ac Parmenidæ adversus » illos omnes summa contentione defendunt : cuncta nimirum unum esse, quod in semetipso consistat : nec locum » habeat ullum in quo moveatur. His omnibus igitur, mi » Theodore, quid faciamus? Sensim enim provecti ulterius, » in factionis utriusque medium imprudentes incidimus. Et » ni quaqua perrumpentes effugerimus, dabimus profecto

» temeritatis nostræ pœnas, ut illis usuvenit, qui descriptam ad lineam in palæstra ludunt, cum ab utraque parte » intercepti hinc atque hinc distracti rapiuntur. » Hactenus in Theæteto. Jam in Sophista de iisdem Physicis, qui ante se docuerant, hunc in modum loquitur. « Leviter » admodum, *inquit*, Parmenides hac mihi disputatione » perfunctus videtur, cæterique omnes, quotquot unquam » hoc in philosophandi genus incubuere, ut de eorum » quæ sunt et numero, et ratione pronunciarent. Perinde nimirum id agunt, ac si pueris fabulam narrarent. » Alius enim ea quæ sunt, tria constituit, atque ejusmodi, » e quibus aliqua duo, interdum quidem secum ipsa pugnent, interdum vero reconciliata gratia, initoque matrimonio fœtus suscipiant, quibus deinde alimenta suppeditent. Alius duo tantum assignans, Humidum et Siccum, » vel Calidum et Frigidum, eadem consociat atque diffundit. » Apud nos autem Eleatica natio universa, quæ jam inde a » Xenophane, eoque vetustioribus duxit initium, quæ vulgo » cuncta dicimus, ea non nisi unum aliquid esse fabulatur. » His successere Ionicæ quædam Siculæque musæ, quibus » securius visum est sic opinionem utramque conjungere, » ut id quod est, idem et multa et unum esse dicerent, » odioque simul et amicitia contineri. Semper enim dissidendo consentit, ut canunt robustiores musæ. Nam remissiores quidem, sententiam illam, quæ semper hæc » eodem modo habere defendebat, ita mollierunt, ut eædem » vicissim hoc universum, modo unum aliquid esse dicerent, quod amore Venus colligaret, modo discordia nescio » qua fieri, ut idem et multa quædam esset, et secum ipsum hostis more confligeret. Hæc omnia, seu vere quis » eorum, seu falso dixerit, grave ac flagitiosum esset, tantis in rebus viros insignes priscosque redarguere ». Tum paucis quibusdam interjectis. « Nec dum, *inquit*, illos

» omnes recensuimus, qui tam de eo quod non est, quam » de eo quod est, accuratius disputarunt. Veruntamen satis » ista sunto. Nunc eos porro videamus, qui alia omnia cen- » suerunt, ut id quod est, nihilo promptius eo quod non » est, ad explicandum esse, omnium ex sententiis auferamus. Quippe adeundi nobis sunt isti quoque. Atqui hæc » ipsa de essentiæ ratione controversia, quamdam inter illos » etiam videtur Gygantum pugnam excitasse. Quî tandem? » Nimirum alii, dum petras et quercus reipsa manibus » apprehendunt, cuncta e cœlo atque ex eo quod videri » non potest, detrahunt in terras. Hæc enim omnia dum » contingunt, id unum esse confirmant, quod appulsum » tactumque præbet, atque id ipsum et corpus et essentiam » esse definiunt. Ac si quis aliud quidlibet corpore destitutum, esse tamen dixerit, id vero sic aspernantur atque » repudiant, ut ne audire quidem velint. Acre omnino ac » vehemens hominum genus designas : nam in eorum complures ego quoque jam incidi. Horum porro adversarii, » e superioribus quibusdam locis oculosque fugientibus, » considerate admodum repugnant, ac spiritales quasdam » et corporis expertes formas veram ac propriam essentiæ » rationem habere, argumentis urgent. Illorum autem cor- » pora, quamque nominant ipsi veritatem suis in disputa- » tionibus minutatim concidentes, non essentiam, at gene- » rationem quamdam vocitant perpetuo motu agitatam. Ex » quo proinde his de rebus inter utrosque assidua quædam » existit et infinita contentio. Sic est. » Hæc Plato, quibus Philosophos, qui de Physicis ante se tractaverant, mordet ac vellicat. Quibus de rebus ipsemet, quemadmodum senserit, superioribus libris jam declaravimus, cum eum in ejus quod est tradenda explicandaque ratione, cum Hebræorum adeoque Mosis doctrina consentire ostendimus. Deinceps igitur ad ejusdem Platonis successores veniamus.

Platonem ferunt, cum ad suas disputationes Academiam delegisset, omnium principem Academicum esse dictum, atque illud philosophiæ genus, quod etiam Academicum nominant, instituisse. Platoni Speusippum, ejus ex sorore Potonis filia nepotem, Speusippo Xenocratem successisse. Tum eodem in loco docendi munus a Polemone susceptum. Quos quidem 'aiunt, ab ipso quasi lare exorsos, platonicam doctrinam evertere, dum quæ præceptori suo placuerunt, peregrinorum dogmatum novitate depravant. Prorsus, ut metuendum sit, ne admirabilium Dialogorum vis illa singularis brevi extinguatur, unaque cum hominis interitu ipsa quoque doctrinæ successio funditus intereat. Hæc enim pugna atque dissensio ab istis jam inde cœpta, qui se Platonis sectatores profitentur, huc usque omnes exercere non desinit. Quanquam tales profecto nulli jam sunt, si toto hoc temporis spatio unum fortassis alterumve, certe paucos admodum excipias. Qui tamen ne ipsi quidem fuere ab omni peregrina et sophistica specie alieni : cum illi etiam, qui omnium primi Platonem exceperant, labem hanc et maculam effugere non potuerint. Nam Polemoni Arcesilam sucessisse aiunt, quem fama est relicta Platonis doctrina, peregrinam quamdam, atque ut vocant secundam Academiam instituisse. Hujus enim proprium id fuisse, ut diceret rebus in omnibus retinendam assensionem esse ; quod certo percipi nihil posset, quod æque probabilis esset in partem utramque disputatio, quod denique tam rationum omnium, quam sensuum fides laboraret. Quare laudabat illud Hesiodi,

« Ignaras hominum suspendunt Numina mentes. »

Idem et nonnulla præter communem hominum opinionem innovare conabatur. Post Arcesilam, Carneades et Clitomachus extitisse dicuntur, qui rejecta superiorum opi-

nione, tertiam Academiam fundaverint. Quibus et quartam addunt nonnulli, quæ Philonem et Charmidam principes habeat. Imo et ab aliis quintam numerari audio, quæ parentem agnoscat Antiocham. Et Platonis quidem ejusmodi successores fuere. Quorum si mores et instituta nosse cupis, Numenium Pythagoreum consule, qui primo ex iis, quos de Academicorum a Platone divortio conscripsit, hæc ad verbum habet.

CAPUT V.

De prima Platonicæ doctrinæ successione. Ex Numenio Pythagorico.

« Speusippum, *inquit,* Plato nepotem habuit ex sorore; » successit huic Xenocrates, quem in scholæ magisterio » Polemo secutus est. Ab his Platonicæ doctrinæ ratio pro- » pagata, sui fere similis : cum hæc saltem assensionis de- » cantata retentio, et quidquid huic affine est, nondum » existeret. Iidem tamen, si cætera cogitemus, iis partim » infractis, partim depravatis, primam illam successionem » minime retinuerunt : sed inde statim incipientes, cum » initio tum deinceps, diversas in factiones abiere, sive pru- » dentes id fecerint, sive imprudentes, sive alia qualibet » impulsi causa. Abfuit tamen, opinor, omnis ambitiosa » contentio. Equidem Xenocratis causa secus dicere nihil » velim, sed tamen Platonis causa dicendum est. Dolet enim » profecto mihi, eos omnia molitos non esse, ut plenam » sibi atque integram in omnibus cum Platone consensionem » defenderent. Et ea quidem Plato dignus erat, qui magno » illo Pythagora ut melior non fuerit, non fuit tamen fortasse » deterior : quem disciputi quod sequuti omnes ac venerati

» fuerint, id etiam egere potissimum, ut summo apud omnes in pretio habeatur. Hoc ipsum Epicurei, perperam illi quidem, sed tamen cum intelligerent, nulla unquam in re ab Epicuro dissidere visi sunt, sed potius eadem omnino se cum Sapiente suo sentire professi, jure propterea id nominis habuere. Quin etiam, qui longissimo deinceps intervallo consecuti Epicurei, sunt, ii nec ab sese mutuo, nec ab eodem Epicureo tantillum, quod quidem meminisse attineat, discessere. Imo sceleris apud eos, vel potius impietatis ille damnetur, qui novi quidpiam invexerit. Quare nemo prorsus id audeat. Sed eorum dogmata ob constantem illam omnium inter se perpetuamque concordiam, in altissima quadam et tranquillissima pace versantur. Ita hæc Epicuri secta veræ cuidam reipublicæ persimilis est, quam ab omni seditione remotissimam, mens quædam una communis, unaque sententia moderetur. Quam illi disciplinam et antea secuti sunt multi perlibenter, et secuntur etiamnum, atque adeo, ut simillim um veri est, in posterum sequentur. At Stoicos inter factiones extitere, quæ ab ipsis eorum commissæ principibus, ad nos usque propagatæ sunt. Ac sese illi mutuo graviter admodum et acerbe redarguunt, dum alii suum adhuc institutum retinent, alii jam ab eo descivere unt. Et factiosorum quidem istorum principes, eorum similes sunt, qui paucorum imperium a crius vehementiusque defendunt, suoque illo divortio in causa fuere, quamobrem posteri et majores suos, et sese mutuo intemperantius reprehendant; cum aliis adhuc alii Stoicæ disciplinæ tenaciores essent. Quo in genere molestiores fuere, qui argutius ac subtilius quoddam artificium aucupari videbantur. Hi enim, ut curiositate cæteros ac vellicandi acumine superabant, sic paratiores erant ad reprehendendum. Quod ipsum tamen multo ante ipsos, factitatum

» ab iis est, qui e Socratis disputationibus contrarias erue-
» runt pugnantesque rationes : ubi seorsim Aristippus, seor-
» sim Antisthenes, aliique similiter, ut Megarenses et Eretrii,
» ac si qui præterea cum istis numerandi sunt. Cujus divortii
» causa hæc fuit, quod cum Socrates Deos tres poneret,
» atque apud eos suis cujusque propriisque numeris phi-
» losopharetur, qui eum audiebant, cum illud minus cape-
» rent, tum vero temere, ac pro diverso fortunæ, alius alias
» superantis afflatu, omnia ab eo dici existimarent. At
» Plato, ut inhærebat Pythagoræ, sic optime noverat So-
» cratem, nec aliunde, quam ex Pythagoreo illo fonte
» hausta illa dicere solitum, et prudentem ac scientem ea
» locutum fuisse. Quocirca rem totam ita convolvit ipse
» quoque, ut nec usitato more, nec perspicue loqueretur.
» At digestis pro arbitrio singulis, eaque obscuritate aspersa,
» ut partim intelligerentur, partim ignota remanerent,
» summa cautione scripsit ille quidem, sed tamen hujus
» quæ post eum secuta est dissensionis, dogmatumque
» suorum diversas in partes sensusque divortii causam præ-
» buit; non invidia certe quidem aut malevolentia. Enim-
» vero nihil de antiquioribus illis, quod minus læti ominis
» sit, dicere statui. At nos hoc semel cognito sententiam eo
» potius nostra conferre oportebit : atque ut nobis ab
» initio propositum fuit, eum ab Aristotele ac Zenone se-
» jungere, sic eumdem ab ipsa quoque Academia, si con-
» silium Deus probabit, segregantes, per sese Pythagoreum
» esse patiemur. Quippe majori nunc certe furoris æstu,
» quam si Pentheus quidam esset, hinc indeque distractus,
» suis in membris patitur ille quidem, at nunquam ita sibi
» totus aufertur ipsi, ut alius omnino videatur. Sed potius,
» quasi Pythagoram inter Socratemque medius, dum illius
» gravitatem ad humanitatem inclinat et flectit, hujus ur-
» banitatem et sales a risu ac dissimulatione ad dignitatem

» aliquam severitatemque traducit, adeoque cum Socrate » jungit miscetque Pythagoram, comitate alterum, alterum » gravitate vincit. At enimvero nequaquam id agimus hoc tem- » pore, alia nobis præ manibus quæstio est. Revocamus ergo » nos ad locum pensumque nostrum, atque ut recto cursu ne » longius aberremus, ex eo quod alio nos abripuit diverticulo » redimus in viam. Discipulos habuit Polemo Arcesilam atque » Zenonem : (rursus enim tandem eorum meminero.) Quippe » dicere me jam memini, Zenonem Xenocratis primum, » deinde Polemonis auditorem fuisse, tum a Cratete Cynicam » hausisse disciplinam. Nunc de eodem præterea sic habeto, » illum et Stilponem et Heraclitum etiam audiisse. Cum » enim Polemoni operam ambo darent, quod mutua quadam » æmulatione ferrentur, pugnæ socios et adjutores optave- » runt, Heraclitum, Stilponem, et Cratetem, Zeno, qui » Stilponis consuetudine pugnax; Heracliti, austerus; Crate- » tis, Cynicus evasit : Arcesilas vero Theophrastum, Granto- » rem Platonicum, Diodorum, ac deinde Pyrrhonem : et a » Crantore quidem ad persuadendum callidus, a Diodoro » autem Sophista, denique a Pyrrhone cum omnem in par- » tem versatilis ac temerarius, tum etiam nullus esse didi- » cit. In quem propterea cani solitum aiunt hunc versicu- » lum, ex alio quodam contumeliæ causa expressum.

« Fronte Plato, pedibus Pyrrho, medio Diodorus. »

» Quem etiam a Timone scriptum est, a Menedemo acrimo- » nia quadam instructum et armatum fuisse. Sic enim ille » de Arcesila,

« Ille ruens, medio Menedemi in pectore plumbum,
» Pyrrhonisve altas glandes feret, aut Diodorum. »

» Itaque spinosis Diodori hominis dialectici argutiis, anci-

» pites illas ac dubias Pyrrhonis cogitationes intricans, nu-
» gaci et ineptæ loquacitati aliquod tamen ex vi et facultate
» platonica ornamentum quærebat : homo ejusmodi, affir-
» mans simul idem, idemque negans, hinc, illinc, utrin-
» que, vel undique potius subito se temereque versans ac
» revocans, incerti ambiguique sensus, veterator, præceps,
» atque ut ipsemet, adeo ingenuus est, confitetur, nihil
» omnino sciens : postmodum tamen nescio quo pacto scien-
» tibus similis : sic umbratili quadam orationis specie omnis
» homo subinde apparuit. »

CAPUT VI.

De Arcesila, qui secundam academiam instituit. Ex eodem.

« Nihilo minus, *inquit*, ignotus erat Arcesilas, quam
» ambiguum esset, utros inter Homericus[1] ille Diomedes
» versaretur, Trojanos, an Achivos. Is enim nec idem
» unquam ut diceret impetrare abs sese poterat, nec id
» omnino solertis ingenii putabat esse. Ergo Sophista dice-
» batur acer ac vehemens, quique minus hac in arte versatos
» jugularet. Nam quemadmodum Empusæ illæ solent, in
» disputationum suarum præstigiis, studio dataque opera
» componebat dabatque sese, ludificabatur, nihil nec scie-
» bat ipse, nec scire alios patiebatur : terrorem omnibus ac
» perturbationem injiciebat : argutiarumque sibi ac vetera-
» toriæ dictionis primas ita defendebat, hoc ut probro ju-
» cundissime frueretur, eoque se nomine mirum in modum

[1] Homer. Iliad., lib. v, v. 86.

» circumspiceret, quod quid turpe quidve honestum, quid » bonum quidve malum esset, ignoraret : sed potius, ubi » quod primum in mentem venerat effutiisset, tum repente » mutatus, id ipsum pluribus quam ante stabilierat, everte- » ret. Se ipsum igitur ille quasi Hydram secabat, et secabatur » a se ipso, dum sic in utramque partem loqueretur, ut nec » quid sibi vellet intelligerent, nec ullam ipse decori ratio- » nem haberet. Tenebat ille tamen auditores, dum in lo- » quente summam oris dignitatem videbant. Fuit enim au- » ditu simul aspectuque jucundissimus, adeoque libentis- » sime hominis orationem excipiebant, præstanti ex vultu » et ore manantem, nec absque nativa quadam suavitate » oculorum. Quam ille speciem non subito præ se tulit, » sed a primis statim annis induerat. Cum Theophrasto enim » a pueritia versatus, homine comi, nec a rebus amatoriis » alieno, eleganti forma, et commoda adhuc ætate cum » esset, Crantorem Academicum amatorem nactus, ejus » consuetudine usus est ille quidem : cæterum ut erat a na- » tura non ineptus, ea per sese ultro jam currente, facili, » et contentionis æstu incitata usus, abs Diodoro quidem » veteratorium illud, idemque plausibile ac venustum didi- » cit orationis genus ; maxime tamen Pyrrhoni (hunc ut- » cunque Democritus inchoarat) operam dedit : atque hac » instructus conformatusque disciplina, in Pyrrhone, si » appellationem excipias, tanquam in omnium eversione » acquievit. Mnaseas quidem, Philomelus, et Timo Septici » Philosophi, Septicum illum vocant sui persimilem, qui » perinde ut ipsi veritatem, mendacium, ac verisimilitu- » dinem omnem tolleret. Ergo quem Pyrronicum Phyrro- » nici jure dixissent, is pro sua in amatorem observantia, » Academicum se vocari adhuc passus est. Ita qui Pyrrho- » nicus, excepto nomine, totus erat, idem Academici præ- » ter nomen habebat nihil. Neque enim Gnidium illum

»Dioclem audio, qui in suis, ut eas inscripsit, diatribis, »Arcesilam docet, Theodoreorum ac Bionis Sophistæ metu, »qui philosophis infesti, nullam non eos coarguendi occa- »sionem arriperent, ita sibi, ne quid ab iis molestiæ pate- »retur, cavisse, ut nec certi quicquam statueret; nam ut »sepias effuso atramento, sic illum sese objecta hac assen- »sionis retentione tegere ac tueri. Verum hoc, ut dixi, »minus credo. Cæterum ambo illi Arcesilas et Zeno hinc »semel exorti, et suorum quisque sociorum disputationi- »bus tanquam armis opibusque freti, adeoque Polemonis »scholam obliti sunt pugnæ suæ tyrocinium fuisse,

« Scutaque jam scutis, hastasque et robora ferreæ
» Committunt acies, clypeisque sonantibus icti
» Densantur clypei : vastus fragor undique surgit.
» Umbonem umbo premit, galeam galea, atque virum vir.
» Hic vero crebri gemitus ac vota sequuntur,
» Dum perimunt, pereuntque simul [1]. »

»Stoicos intellige; Academicos enim illi non petebant, »quod qua parte capi facilius vincique possent, ignorarent. »Atqui tum demum vincerentur, si suum illis excuteretur »fundamentum, hoc est, si neque principium suum reti- »nerent, nec pugnandi ansam vel occasionem haberent. »Ac principium quidem illud convelli poterat, si quis eos »adversus Platonis mentem philosophari ostenderet : pug- »nandi vero ansa tum iis reliqua nulla foret, si vel unum »aliquid decreto illi suo detraheretur, quod de phantasiæ »comprehensione pronuntiant. Verum hujus aperiendæ rei »tempus non est; alius erit de ea dicendi locus, in quo »mihi diligentius versandum esse decrevi. Palam igitur ambo »dissident illi quidem, sed tamen Arcesilas unus Zenonem

[1] Hom. Iliad., lib. IV, v. 447, et lib. III, v. 131.

» petit. Habet enim Zenonis pugna speciosum quiddam et » grave, nec multum sane Cephisodori Rhetoris dimica- » tioni præstat. Hic enim cum Isocratem præceptorem » suum ab Aristotele vexari animadverteret, in Aristotelica » doctrina plane hospes ac peregrinus quod esset, idemque » magnam esse Platonicæ famam ac celebritatem videret, » Aristotelem cum Platone sentire ratus, bellum gerebat » cum Aristotele, Platonem ipsum feriebat, reprehensio- » nemque suam ab ideis arcessitam, ad alia denique per- » ducebat, quæ nihilo caperet ipse magis, sed tantum quæ » reapse de illis statuebantur, ex verbis ac vocibus æstima- » ret. Cæterum omissa cum eo pugna quem bello appetie- » rat, pugnabat cum eo cui bellum inferre nolebat. Zenonem » quod attinet, is, ubi similiter Arcesilam reliquerat, si » ne Platoni quidem ipsi bellum intulisset, egregie meo » judicio philosophatus esset, pacis hujus causa certe qui- » dem. Sin autem, nec ea fortassis ignorans quæ docebat » Arcesilas, et Platonicæ contra doctrinæ rudis, ut ex iis, » quæ Platoni adscribit, facile deprehenditur, hoc belli » genus suscepit, secus profecto quam par erat fecit ipse quo- » que, dum nec hominem sibi notum vulneravit, et quem » minime decuerat, eum indignissime ac turpissime, adeo- » que longe fœdius, quam vel cani conveniret, contume- » liis violavit. Cæterum magnitudine quadam animi absti- » nere se ab Arcesila declaravit. Nam seu quod hominis » sensum ignoraret, seu quod Stoicos vereretur, *Trucis » ora ingentia belli*, alio, hoc est in Platonem vertit. Sed » enim de iis, quæ perperam ac sine ullo verecundiæ sensu » Platonem Zeno molitus est, tum agam uberius, cum a » philosophia vacavero : quamquam absit omnino, tantum » unquam ab ea vacem, hoc ut argumenti genus aliter quam » joco tractandum suscipiam. Nunc ut redeam ad Arcesi- » lam, is Zenonem et artis contrariæ professorem, et sua

» dignum victoria cum videret, hominis disputationes con-
» vellebat, sui plane securus. Ac cætera quidem omnia, de
» quibus cum eo contendebat, nec fortasse possim, nec ut
» possim, nunc certe complecti oporteat. At decretum illud,
» cujus ipse princeps auctor erat, quodque celebri tum no-
» mine Athenis jactari videbat, illam inquam comprehen-
» dendi vim, quam phantasiæ tribuebat Zeno, machinis sibi
» omnibus petendam, et concutiendam putavit. Alter interea
» adversus infirmiorem, quasi nihil ab eo lædi posset, mo-
» vebat nihil : idem tamen misso Arcesila, in quem multa di-
» cere potuisset, (seu hominem urgere nollet, seu quid aliud
» sequeretur), cum Platone ipso, qui vivere jam desierat, sic
» tanquam in umbra pugnabat. Et vero nihil non convicio-
» rum in eum, quasi e plaustro, promiscue tumultarieque
» jactavit, nimirum quod nec reponere Plato jam posset,
» nec alium quemquam ejus causa laboraturum putaret;
» aut si forte laboraret Arcesilas, in lucro tamen poneret,
» sic a suis eum cervicibus esse depulsum. Quo quidem ar-
» tificii genere Agathoclem Syracusium adversus Carthagi-
» nienses usum esse notat. Atque hæc Stoici cum stupore
» audiebant. Erat enim adhuc infans eorum musa, nec illa-
» rum facetiarum artifex, quibus Arcesilas Zenonis argu-
» menta partim explodens, partim succidens, partim sup-
» plantans sic eos linguæ vi obruebat, ut fidem etiam aliis
» faceret. Ita, cum et ii quibuscum oratione pugnabat, victi
» atque prostrati, et ii quorum in corona dicebat, perculsi
» attonitique manerent ; quasi pro comperto erat ejusdem
» ætatis hominibus, nec vocem, nec malum, nec opus ullum
» vel minimum, quicquam esse, nec inane frivolumque con-
» tra visum iri quicquam, nisi quod Arcesilæ Pitanæo tale
» videretur. Ei porro nihil plane videbatur, nec aliud quic-
» quam omnino magis, quam hæc voculas tantum aliquas,
» ac terrores esse declarabat. »

CAPUT VII.

Cujusmodi superiorum illorum vita fuerit. Ac de Lacide quodam, Arcesilæ successore. Ex eodem.

« Jam vero, de Lacyde, *inquit*, facetum quiddam ac lepidum narrare statui. Erat is paulo sordidior, atque ejusmodi qui œconomicus ille vulgo notissimus jure diceretur. Aperiebat idem penum, idemque claudebat : promebat ipse quibus uti vellet, cæteraque id genus omnia per sese factitabat; non frugalitatis ac temperantiæ studio, non coactus inopia, non penuria servorum laborans, qui aliquot saltem aleret, sed causam pro arbitrio quisque conjiciat. Ego lepidum illud commemorabo quod promisi. Cum igitur suam ipse sibi penum curaret, nec secum ejus clavim circumferre vellet, eam ubi cellam clauserat, cava quadam in arcula deponebat. Tum aditu obsignato, anulum per seræ foramen demissum intra cellam evolvebat : ut ea rursus cum liberet clavi reserata, obvium anulum tollere, atque ita locum denuo cum obserare, tum etiam obsignare posset, anulumque simul per eamdem seram rursus immittere. At famuli detecto heri artificio, postquam is aut inambulatum, aut alio quovis ierat, cella facile reserata, ubi prout collibuerat, alia vel edendo vel potando hausissent, alia secum ipsi asportassent, eadem vicissim factitantes, cellam primo claudebant, tum obsignabant, intro denique anulum non sine maximo in philosophum risu, per seræ foramen immittebant. At Lacydes cum cellæ vasa, quæ plena reliquerat, vacua reperiret,

» anceps ac dubius animi diu pependit : tandemque percipi » comprehendique nihil, ab Arcesila doceri cum audiisset, » id ipsum esse credidit, quod in sua sibi penu usu venie- » bat. His ille auspiciis apud Arcesilam philosophari cœpit, » nihil se vel perspicui, vel sani, nec videre unquam, nec » audire. Cumque aliquando e suis unum privatim ac fa- » miliariter seduxisset, hanc ei assensionis retentionem » graviter, ut videbatur, ac vehementer confirmare cœpit. » Enimvero, inquiebat, hoc tibi citra dubitationem ullam » pronuntiare possum, quod exemplo ipse meo, non alte- » rius cujusquam experientia didicerim. Tum ab initio » totum illum penus suæ casum exponebat. Quid igi- » tur, inquiebat, huic argumento responderet Zeno, unde » mihi certo ac tam aperte constitit, percipi nihil com- » prehendique posse? Nam qui posteaquam manibus ipse » meis cellam idem clausi, idem obsignavi, idem anu- » lum intromisi, reversus inde, cellaque reserata, intus » anulum modo, non item cætera reperiam, non jure ob- » secro fidem omnem rebus detraham? Nec enim profecto » ausim dicere, quemquam intro subeuntem ea suffurari, » cum intus anulum offendam meum. Hic auditor ille, unus » enim erat ex furibus, ubi rem totam ut poterat narrantis » ex ore audiisset, qui ægre admodum eatenus sese tenue- » rat, ingentem subito erupit in risum, cui dum indulget » intemperantius, stolidam simul hominis opinionem coar- » guit. Itaque Lacydes in posterum nec anulum transmisit » in cellam, nec suæ penus exemplo percipiendi vim am- » plius negavit, sed quæ adhuc negligentius habuerat, om- » nino comprehendit. Adeo suam novo in philosophiæ » genere operam luserat. Sed nimirum servos habebat oris » in risu durioris, quique neutram in partem facile cape- » rentur : quales utique isti comœdiarum servuli sunt, Ge- » tæ, atque Daci. Ergo hi lingua ut erant ad dacicam il-

» lam jocandi ridendique procacitatem erudita ac procusa, » sive Stoici cujusdam argutias audiissent, sive aliunde hoc » didicissent, recta facinus aggressi, impressum ab eo si- » gillum ita revellebant, ut interdum alterum quoddam ejus » in locum sufficerent, sæpe nullum; quod utrumvis fac- » tum esset, perinde rem ab eo nunquam perceptum iri » existimarent. At ille domum ingressus, locumque dili- » genter inspiciens, si aut resignatum, aut secus obsignatum » videret, servis enim vero graviter succensebat. Quibus si- » gillum integrum esse defentibus, contra ille disputabat » accurate, ac demonstratione rem conficiebat. Qua victi » servi, cum exciperent, si non extaret sigillum, ab eo for- » tassis oblivione quadam obsignatum locum non fuisse. » Imo, inquiebat, cum obsignare me oppido memini, si- » mulque rem longa oratione demonstrabat, ac sese illudi » sentiens, interposito etiam jurejurando vehementius exa- » gerabat. Quos hominis impetus ita excipiebant, ut cum » etiam jocari secum ac ludere sibi persuaderent, ex quo » sapienti Lacydi visum esset, nihil sibi nec opinionis relin- » quere, nec memoriæ: memoriam quippe opinionem quam- » dam esse; id, se quidem audientibus, ab eo nuper qui- » busdam ex amicis confirmatum fuisse. Has ille petitiones » cum ita refutaret, ut alia quam Academici soleant omnia » reponeret, servi Stoicum aliquem adeuntes, quid sibi di- » cendum foret ex eo discebant: atque inde orsi, argutias » argutiis eludere, artique artem opponendo vere Academi- » cos se fures probare: ac tum ipse quidem incessere Stoi- » cos, servi contra ejus reprehensiones neganda compre- » hensione omni dissolvere, atque id, ut par erat, non sine » risu ac salibus. Ibi ergo disputationes omnium, argu- » menta, verborumque pugnæ: quum nihil interea relin- » queretur, non vas, non quidquam eorum quæ reconde- » bantur in vasis, non aliud quidlibet, quod domesticam ad

» supellectilem pertineret. Ergo Lacydes æstuare, qui nihil » omnino subsidii in dogmatis sui defensione reperiret : » mox reputans ipse secum, ni furtum deprehenderet, » cuncta sibi deinceps pessum itura, tandem inops consilii » vicinos inclamare, appellare deos : sæpe hei mihi, proh fa- » cinus indignum, per deos deasque omnes ingeminare, ac » cætera id genus argumenta, quæ homini gravioribus in » querelis, ubi fidem non impetrat, sine arte natura suppe- » ditat. Quæ quidem omnia magno clamore deplorata, » magnam utique probabilitatis speciem ostendebant. Pos- » tremo hac in contentione pugnaque domestica, Stoicum » apud servos agebat ille quidem : at cum ipsi academica » dogmata strenue constanterque defenderent, ne quid ul- » tra molestiæ pateretur, domi deinceps hærebat perpetuo, » ac pro cellæ suæ foribus assidebat. Verum ubi nihil agit, » secum ipse cogitans, quo sua sibi versutia recideret : tan- » dem animi sensum palam ac sine fuco aperiens, nimirum, » inquit famuli, aliter hæc in schola disputamus, aliter vi- » vimus. » Ac de Lacyde quidem hactenus. Hujus audito- res fuere permulti, quos inter Aristippus Cyrenæus excel- luit. Omnibus tamen ex discipulis Evander post eum scho- læ præfuit, ac cæteri eumdem postea consecuti. Quibus omnibus succedens hoc in docendi munere Carneades, tertiam conflavit academiam. Et eadem qua Arcesilas ora- tionis forma utebatur ipse quidem, cum et illum in utram- que partem disputandi morem teneret, et quæ ab aliis di- cerentur omnia refelleret : cæterum una erat assensionis retentio, in qua ab illo dissideret. Quippe fieri non posse dicebat, ut qui homo esset, is rebus in omnibus assensum inhiberet : aliud porro incertum esse, aliud comprehendi non posse; et comprehensionem quidem omnia fugere, non omnia tamen incerta esse. Fuit is etiam stoicæ doctrinæ non ignarus, qua vehementius acriusque petenda, famæ

sibi plurimum nominisque confecit, dum in id potius quod vulgo verisimile videbatur, quam in verum ipsum collinearet. Quare Stoicis etiam molestiæ plurimum facessebat. De hoc idem qui supra Numenius habet, quæ sequuntur.

CAPUT VIII.

De Carneade, qui tertiam academiam instituit. Ex eodem.

« Carneades, *inquit*, docendi postea munere partibus- »que susceptis, cum aspernatus, cujus omnia, seu quæ »adhuc integra immotaque consisterent, seu quæ ab aliis »sollicitata jam essent, retinere debuerat; cunctisque ad »Arcesilam, seu meliora, seu deteriora essent, relatis, »pugnam ipse longo demum intervallo revocavit. Inde »nonnihil progressus, idem igitur, inquit, afferebat, idem »auferebat, pugnamque suam contrariis sententiis, et ver- »sutis quibusdam ac subtilibus argutiis cum multiplici va- »rietate miscebat, affirmando simul ac negando, et oppo- »sitis utrinque rationibus disputando. Quod si alto quo- »dam ex exaggerato dicendi genere opus esset, tum enim »vero vehementi ac rapido cursu ferebatur, ut amnis »quidam incitatus et rapax, qui omnia passim inundet et »obruat : sic in auditorem incumbebat, eumque secum »magno cum fragore strepituque rapiebat. Quippe, cum in »fraudem alios et errorem impelleret, tum fallebatur ipse »nunquam; id quod locum in Arcesila non habebat. Is »enim dum cæteros suis secum maleficiis ac præstigiis, »Corybantum more insanientes circumferret, non sentie- »bat quam sese primum ipse deciperet, dum sibi quoque

» vera esse quæ diceret, omnia simul ac semel abolendo, » persuadebat. Verum Carneadem Arcesilæ, sic tanquam » malum malo impositum jure dixeris, qui ne tantillum » quidem unquam remitteret, nisi quo effecturum se vide- » bat ut auditores postea quo se verterent non haberent : » id quod eo visorum, ut appellabat, genere consequeba- » tur, quæ probabili ratione certum ac singulare quiddam, » animal esse, vel confirmandi, vel negandi vim haberent. » Ergo postquam aliquid ejusmodi utcunque dederat, quem- » admodum feræ aliquantum cedentes, in spicula tanto » postmodum vehementius irruunt : sic ille ubi nonnihil » indulserat, eo deinde potentius ingruebat. Idem ubi fir- » mior jam erat solidiorque disputatio, tum illud ipsum, » quod sibi ante visum esset, cujusque mentionem jam fe- » cisset, ultro negligebat. Nam qui verum ac falsum in re- » bus inesse concederet, perinde ac si ad propriam sese » quæstionis rationem accommodaret, quam ipsemet periti » luctatoris more ansam dederat, ea postmodum ipsa vin- » cebat. Dum enim utrumque pro verisimilitudinis utrinque » nutantis ratione concedebat, neutrum simul firmiter com- » prehendi posse dicebat. Fur ergo præstigiatorque fuit Ar- » cesila solertior. Ita enim vero falsum aliquod, quodque per- » cipiebatur phantasiæ percipienti simile adjungebat, ut » paria geminaque ambo cum ostenderet, simul nec vero » locum ullum, nec falso relinqueret, aut neutrum altero » potius verum esse falsumve pateretur, aut si alterutrum » potius, id tamen non nisi probabilitate tenus ejusmodi » videretur. Somniis ergo somnia succedebant, dum veris » etiam visis falsa similia putabantur, quomodo si ovi cerei » visum cum vero ovo componatur. Incommoda hæc igitur » aliaque plura contingebant. At enim vero Carneades in- » terea, dicendi facultate auditorem permulcebat idem, » idemque captivum trahebat : et fur occulte, manifeste

» prædo, vel fraude vel aperta vi paratissimum etiam quem-
» que capiebat. Omnis quippe Carneadis vincebat opinio,
» alia cujuslibet nulla prorsus, cum adversarios omnes longe
» dicendo inferiores haberet. Antipater certe illius æqualis,
» scripto duntaxat aliquid meditabatur, atque id admodum
» timide. Nam ad eas disputationes, quas a Carneade haberi
» quotidie audiebat, nunquam in lucem ac publicum pro-
» diit, non in schola, non in deambulatione vel hilum a
» quoquam, ut aiunt, mussare unquam auditus est. Scrip-
» ta solum quædam eminus intentabat, et angulos latebras-
» que captans, libros tantum posteris relinquebat, verum
» ejusmodi, qui ne nunc quidem, tum vero multo minus Car-
» neadem illum, qui tantus ac tam admirabilis ejus ævi ho-
» minibus videbatur, sustinere possent. Et tamen ille ipse,
» qui Stoicos vellicandi studio palam cuncta miscebat, clam
» sodales inter suos eadem omnia fatebatur, vereque ac cer-
» to pronunciabat, quæ alius quivis e populo. Quibus
» deinde addit, Mentorem Carneades primum habuit dis-
» cipulum, non tamem successorem. Quod enim illum ad-
» huc vivens cum pellice sua repererat, non jam viso tan-
» tum probabili, aut quasiminus hominem comprehen-
» deret, at suis maxime credens oculis, eumque; vere
» comprehendens, ejus deinceps operam et consuetudinem
» repudiavit. Qui a doctore propterea deficiens, mutuis cum
» illo argutiis technisque pugnare, quæque ille incompre-
» hense defendebat, oppugnare cœpit. Itemque post alia,
» Carneades autem, qui contraria vicissim omnia philoso-
» pharetur, triumphabat in mendaciis, quibus verum abo-
» lebat. Quanquam iis tanquam oppansis quibusdam velis
» utebatur, cum intro latitans vera callidius ac versutius
» loqueretur. Ita hoc ipsum philosopho accidebat, quod
» in leguminibus evenire solet, ex quibus quæ inania sunt
» et vacua, existunt ac summæ aquæ innatant, cum opti-

» ma quæque lateant, et altiore fundo clausa teneantur. » Hæc de Carneade prodita legimus. Is Clitomachum artis doctrinæque successorem habuit; Philonem Clitomachus, de quo idem Numenius hæc breviter.

CAPUT IX.

De Philone, Clitomachi ejus successore, qui Carneadem exceperat. Ex eodem.

« Philo iste, inquit, principio quidem cum ab accepta » scholæ præfectura recens adhuc esset, lætitia vehementiore perculsus, ac referendæ gratiæ percupidus, Clitomachi decreta colere, illustrare magis atque magis, Stoicos » autem, »

« ..... Radiante lacessere ferro. »

« At progressu temporis, cum usu quotidiano Academicorum illa retentio paulatim evanesceret, nihil jam suo pristino more sentiebat, sed ipsum in contrariam omnino » partem convertebat ipsa casuum et malorum evidentia » atque confessio. Ita cum pleraque certo jam planeque perciperet, existere tantum videlicet a quibus convinceretur, summopere cupiebat, ne terga ultro vertisse fugisseque videretur. Hujus porro Philonis auditor fuit Antiochus, novæ postea fundator Academiæ : qui Mnesarcho » Stoico operam cum dedisset, et a magistro Philone dissensit, et aliena peregrinaque sexcenta Academiæ attexuit.»

Hæc aliaque id genus infinita de Platonis successione traduntur. Nunc igitur altius oratione repetita, physicorum istorum partim falsas partim contrarias pugnantesque sententias diligentius excutere juverit : cumque tantum ipsi terrarum obierint, tanto arserint investigandi veri studio, tanta in expendendis veterum omnium opinionibus assiduitate versati sint, denique tanto ante recondita quæque omnium vel Phœnicum, vel Ægyptiorum, vel Græcorum ipsorum theologiæ mysteria tam accurate perviderint; verum utique fuerit, quem tandem laborum suorum fructum consecuti sint, ex illis ipsis audire, ut intelligamus, ecquid divina illa natura dignum ab antiquioribus acceperint. Enim vero ab ultima jam usque memoria, superstitiosus ille apud gentes plurium deorum cultus vigebat, templaque passim et sacra numinum mysteria, tam in urbibus, quam in regionibus omnibus longo jam usu celebrabantur. Itaque humana tum philosophia opus nil dum erat, ubi divina sapientia locum occuparat : nec sapientes illos novi quicquam moliri necesse fuit, si majorum institutis sua apud se integritas honestasque constaret : imo nec præclaris philosophis tot factiones ac dissensiones excitandæ, si patria de diis opinio et secum ipsa consentiens, et vera judicaretur. Nam quid eos attinebat, aut sic inter se confligere, aut tam longa sursum ac deorsum itinera conficere, vagarique passim, et suas Barbaris opes suffurari, cum domi potius quiescentes, vel abs diis, si qui forte dii essent, vel a theologis veras eorum quæ in philosophia disquiruntur, rationes haurire debuissent, de quibus ipsi post infinitos labores ab aliis alii dissidendo, ab ipsa veritatis investigatione procul aberrarunt? Quid porro necesse erat, nova de diis quædam comminisci, aut inter sese pugilum more conflictari, si modo secura firmaque de diis existimatio, veraque religionis cognitio, priscorum hominum

sacris illis ritibus atque mysteriis, cæterisque theologiæ suæ rationibus continebatur : cum illa ipsa nulla sui mutata parte, communi posterorum consensu ac professione retineri posset? Sin autem id constat, recentiores istos veri de Deo nihil ab antiquioribus illis didicisse, ac suopte quemque ingenio sic in naturæ investigationem incubuisse, ut conjecturis potius quam ulla comprehensione niterentur : quis non ingenue confitendum esse videat, nihil omnino præter ea quæ superioribus libris indicavimus, gentium theologia contineri? Ac postremum quidem illud, quam ex accurata nulla comprehensione, sed quibusdam tantum ex conjecturis, magnoque verborum conflictu multis cum erroribus conjuncto Græcorum philosophia extiterit, facile vel ex quadam Porphyrii ad Nectabonem Ægyptium epistola intelligas, in qua id ipsum totidem verbis audies confitentem.

CAPUT X.

Multas apud græcos philosophos conjecturas esse, verborum pugnas, erroresque permultos; ex Porphyrii ad Nectabonem Ægyptium epistola, nec non ex iis, quæ de animo ad Boethum rescripsit, eoque ex libro quem de hausta ex oraculorum responsis philosophia edidit.

« Hoc in meæ, *inquit*, erga te benevolentiæ officio, a » diis ipsis bonisque dæmonibus, atque his affinibus qui- » busdam cognatisque philosophiæ partibus incipiam, de » quibus a græcis quoque philosophis permulta dicta sunt;

»verum ejusmodi, quæ partem sane maximam, fidei fa-
»ciendæ principia non aliunde, quam ex sola conjectura
»ducerent. Tum interjectis aliis ita progreditur. Apud nos,
»*inquit*, verborum conflictus ingens, quippe qui humana
»tantum existimatione de bono statuamus. Cæterum qui
»ad assequendam illam cum superiori natura conjunctio-
»nem incumbunt, ii profecto hanc si partem investiga-
»tionis prætermiserint, frustra tantum in sapientiæ studio
»laboris operæque consumunt. Idem in iis, quæ de animo
»ad Boethum rescripsit, id ipsum conceptis fatetur verbis;
»dum ait, immortalem esse animum illa intelligendi et
»commentandi vis absque ulla dubitatione convincit. Ve-
»rumtamen quicquid rationum a philosophis hoc ad de-
»monstrandum affertur, id totum propter eam, quam in
»omnibus repugnandi solertiam arguti et contentiosi ho-
»mines repererunt, perfacile ad refellendum videtur.» Quid enim tota in philosophia sit, quod ab aliter sentientibus impugnari nequeat, cum in iis etiam, quæ perspicua ex sese videbantur, assensionem omnem retinere horum nonnulli maluerint? Postremo, in eo quoque libro, quem de hausta ex oraculorum responsis philosophia conscripsit, aberrasse Græcos diserte omnino confitetur, suum etiam deum hanc in rem testatus, qui suis hoc ipsum oraculis responderit, Barbarisque potius quam Græcis hominibus, veritatis inventæ laudem testimonio suo defenderit, eoque ferendo Barbaros ipsos nominatim appellarit. Statim enim post oraculi expositionem ita concludit, « Audisti quantum
»laboris exhaustum sit, ut corporis tantum causa piacu-
»lare quis sacrificium faceret, non quod animi salutem in-
»venisset? Quippe, vincta enim ære, ardua, et salebrosa
»via est, qua ad deos itur, cujus Barbari quidem complu-
»res semitas repererunt, Græci vero ab ea penitus aberra-
»runt. Quam si qui forte jam tenebant, eamdem ipsimet

» corruperunt. At ejus inventæ laudem Ægyptiis, Phœni-
» cibus, et Chaldæis, (hos enim Assyrios vocat) Lydiis
» etiam et Hebræis suopte Deus testimonio vindicavit. »
Hæc græcus iste philosophus, vel ipse potius quem colebat Deus. Quis ergo deinceps nobis jure succenseat, quod aberrantes Græcos reliquerimus, ut Hebræos, a quibus comprehensam esse veritatem ipso deorum testimonio constiterit, sequeremur? Nam quid tandem a philosophis doctum iri nos expectemus? aut quam ab iis deinde opem utilitatemque speremus, si quæ ab iis dicuntur, partem ea maximam fidei faciendæ principia non aliunde, quam ex conjecturarum quadam probabilitate ducant? Fructus porro verbosæ contentionis quinam ostenditur, si quicquid a philosophis rationum affertur, id totum propter argutam quamdam in omnibus repugnandi solertiam, perfacile sit ad refellendum. Hæc enim paulo ante non a nobis, sed ab illis ipsis dici audiebantur. Quæ quidem ejusmodi cum sint, ea profecto non temere, sed maturo admodum prudentique judicio, neglexisse, Hebræis autem hæsisse merito videamur: non quod abs dæmone testimonium habuerint, sed quod in iis divina plane vis ac potestas eluceat. Atque ut verbosas illas egregiorum philosophorum pugnas, deque principiis, de diis, et universi constitutione dissensiones reapse perspicias, eorum tibi paulo post ipsissima verba subjiciam. Primum tamen, quoniam mathematica illa sua tantopere jactare solent, prorsusque necessarium esse dictitant, ut quisquis comprehendendi veri studio tenebitur, astronomiam, arithmeticam, geometriam, musicam, illa nimirum ipsa, quæ ad eos a Barbaris profecta esse jam ostendimus, persequatur: (his enim qui carebit, doctum perfectumque philosophum esse neminem, imo rerum veritatem ne primoribus quidem labris degustare posse, nisi qui harum ante rerum animo cogni-

tionem impresserit :) deinde hanc suarum artium peritiam magnificentius ostentantes, æthere sese medio sublimes propemodum incedere, numerisque suis ipsum quoque deum circumferre arbitrantur : nos vero qui similium disciplinarum amore non flagremus, nihil a pecudibus abesse existimant, deique propterea nunquam, nunquam rei paulo gravioris notitiam percepturos esse pronuntiant : age hoc ipsum quam pravum sit atque distortum, vera luminis loco ratione proposita, sic tanquam ad libellam ac regulam exigamus. Erit ea quidem ejusmodi, quæ Græcos innumerabiles, infinitosque Barbaros complexa; alios tametsi ab his artibus doctrinisque paratos, nec Deum unquam, nec honestæ vitæ rationes, nec omnino præclarum et utile quicquam percepisse; alios, ut ab omnium disciplinarum præsidio destituti essent, religiosissimos tamen ac sapientissimos extitisse demonstret. Enimvero, quænam hoc in genere Socratis illius, qui ab istis omnibus tantopere celebratur, sententia fuerit, e Xenophonte intelliges, si modo ei suis in Memorabilibus hæc scribenti fidem adhibebis.

CAPUT XI.

De geometria, astronomia, et computo, e Xenophontis Memorabilibus.

« Docebat, *inquit* ille[1], præterea, quatenus cujusque » rei peritum esse hominem bene institutum oporteret.

[1] Xenoph. Memor. lib. IV.

» Principio geometriæ dandam eatenus operam esse dicebat,
» ut si quando res posceret, dimensam rite terram vel
» accipere ab alio, vel alii tradere, vel eam dividere, vel
» opus aliquod designare posset. Id porro tam esse ad
» discendum facile, ut qui dimensionem attendere volue-
» rit, idem simul et quanta sit terræ magnitudo assequi
» possit, et quænam ejus metiendæ ratio breviter admodum
» expediteque cognoscere. At ejusdem in geometriæ studio,
» ad illas usque descriptiones intellectu difficiliores quem-
» quam progredi, Socrati non placebat. Cui enim bono fu-
» turæ illæ essent, videre se, tametsi ne illarum quidem
» imperitus esset, negabat. Enimvero, ad exhauriendam
» hominis vitam cum satis illas esse, tum aliarum interim
» et plurium et utiliorum doctrinarum studia impedire.
» Astronomiam similiter eatenus complecti solum jubebat,
» ut noctis, mensis, annique tempora cognosceres, atque
» hujus cognitionis ope, si quando vel iter, vel navigatio
» suscipienda esset, vel agendæ forent excubiæ, vel in aliud
» quidlibet, quod noctis, mensis, annique spatio fieri solet,
» incumbendum, signis ad ea omnia suis quæque temporibus
» obeunda, certioribus uterere. Atqui hæc nihilo difficilius
» tam ex nocturnis venatoribus, quam ex navium guber-
» natoribus, et aliis quamplurimis resciri posse, a quibus
» eorum peritiam suæ cujusque partes officiumque depos-
» cat. At eamdem artem eo usque persequi, dum ea quæ
» non eodem motu circumferantur, stellasque simul erran-
» tes et vagas distinguere noveris, adeoque in earum abs
» terra intervallis, conversionibus, causisque rimandis æta-
» tem viresque consumere; id vero graviter inprimis ac
» serio prohibebat, quod nullum hujus etiam operæ pre-
» tium videret, tametsi ne in istis quidem rebus hospes ipse
» ac peregrinus esset. Addebat, conficiendæ hominis vitæ
» illas quoque satis futuras, quæ interim a pluribus utilio-

»ribusque studiis avocarent. Postremo quibus cœlestia »quæque numen rationibus moderetur, investigari nole- »bat, quod cum eo ab hominibus aspirari non posse, tum »minus eum diis probari existimaret, qui quæ prompta »notaque esse noluissent, inquireret. Nec minus illi, quem »ea vehementius cura distineret, insaniæ periculum immi- »nere dicebat, quam Anaxagoræ, qui explicatas abs se »deorum machinas tantopere gloriabatur. Quippe, dum »ignem atque solem idem esse diceret, nesciebat utique, »ignem homines videre perfacile, solem tamen adversum »intueri non posse : qui in sole apricantur, eos colorem »inde nigriorem contrahere, qui ex igne non sequatur : »eorum quæ nascantur e terra, sine solis splendore augeri »crescereque nihil, nihil contra non ignis ardore langues- »cere. Idem præterea solem ignitum lapidem esse cum »diceret, non videbat, lapidem in ignem conjectum nec »fulgere, nec diu resistere; solem ex omni ævo suum illum »splendorem, quo cuncta superat, constantem perennem- »que retinere. Suis etiam auctor erat, ut in computandi »arte discenda, perinde ut in aliis inanem ac supervaca- »neam operam caverent. Id quod in primis ab eo servabatur, »qui commentationes ac disputationes suas omnes, quas »cum discipulis habebat suis, unius utilitatis finibus in- »cludebat. » Hactenus Xenophon in Memorabilibus. Idem epistola quadam ad Æschinem scripta, de Platone, deque iis, qui suam in explicanda universi natura physiologiam venditabant, hæc habet.

CAPUT XII.

De iis qui rerum se naturam explicare gloriabantur. Ex ejusdem ad Æschinem epistola.

«Captum, inquit, nostrum a rebus divinis superari nemo »non videt. Satis autem nobis fuerit, eas quanta possumus »maxima pietate venerari : cujusmodi vero sint, nec assequi »facile est, nec fas investigare. Nec enim servis licet hero»rum aut ingenium, aut rationes tenere, nisi quatenus ad »obsequium necesse sit. Quodque maximum est, quo ma»jorem ii laudem merentur, qui rerum humanarum tracta»tionem suscipiunt, eo gravius in alios pondus incumbit, »qui ex alienis inutilibusque permultis gloriam aucupan»tur. Quis enim, mi Æschines, Socratem unquam audivit, »aut cœlestibus de rebus disputantem, aut corrigendis »moribus linearum figuras discere suadentem? Nam mu»sicæ quidem, aurium tenus peritum illum fuisse constat. »At vero inter suos perpetuo, de honesto, fortitudine, »justitia, cæterisque virtutibus disserebat. Enimvero bona »hæc proprie humana vocabat; cætera vel ab hominibus »capi non posse, vel proxima fabulis esse dicebat, cujus»modi a sophistis ridicula pleraque cum supercilio trac»tari solerent. Nec aliter faciebat ipse quam loquebatur. »Verum res ab eo gestas ad te, cui notæ satis illæ sunt, »perscribi, ut injucundum tibi non esset, tamen et lon»gioris id temporis fuerit, et jam ipsas alibi præscripsimus. »Convicti ergo isti vel acquiescant penitus, vel æquitatis »in partes aliquando concedant, quibus Socrates ille non

» placet, cui vivo sapientiæ testimonium Deus ipse dedit, » cujus necis auctores nullam pœnitendo sceleris expiandi » rationem invenire potuerunt. Illud vero præclarum, » quod Ægyptum isti, et prodigiosam Pythagoræ sapientiam » adamarunt : quorum sane quam inanis et inconstans erga » Socratem voluntas fuerit, amor ille tyrannidis, et pro » tenui frugalique victu, sicula mensa immoderato abdo- » mini serviens, manifeste palamque convincit. » Hæc Xenophon, Platonem subobscure significans. At ipsemet Plato in Republica, quæ sequuntur de gymnasticæ ac musicæ artibus ab Socrate dicta commemorat.

CAPUT XIII.

—

De Gymnasticæ ac Musicæ artibus. Ex Platone in Republica.

« Ecquod tandem, *inquit,* disciplinæ genus[1], mi Glauco, » animum ab iis, quæ fiunt ad id quod est traducere ac » transferre possit? Mihi quidem illud, dum loquor, in » mentem venit. Numquid nostros illos reipublicæ custo- » des, in bellica exercitatione jam usque ab adolescentia » necessario versatos esse debere jam diximus? Diximus » utique. Ergo præter illud, habeat hoc etiam necesse est » disciplina quam quærimus. Quid tandem? Uti ne belli- » cosis hominibus inutilis ea sit. Necesse id vero, inquit, » si modo fieri potest. Atqui gymnasticæ ac musicæ artibus » illos ante jam erudimus. Sic est, *inquit.* Gymnastica porro » circa id quod oritur quodque interit tota versatur, corpo-

[1] Plat. de Rep. lib. VII.

» rum enim incremento ac diminutioni præest. Certe. Non » est igitur ea disciplina, quam quærimus. Minime vero. » An forte musica illa sit, qua de superius locuti sumus? » At illa, *inquit*, si meministi, usum habet gymnasticæ in » dissimili genere simillimum, ut pote quæ moribus tantum » reipublicæ custodes informet, atque ut in consentu fieri » solet, aptam quamdam cohærentiam, ac persimilem nu- » meris compositionem suppeditet, non veram propriam- » que scientiam; atque in ipso dicendi genere alia quædam » habeat moribus illis affinia, verasque narrationes a fabulosis » distinguat. Cæterum habet ea nihil, cujus nos cognitio ad » aliquid perducat ejusmodi, quod nunc abs te quæritur. » Me vero, inquam, admodum opportune mones: prorsus » enim simile nihil habet. Sed, quid igitur, optime Glauco, » tale esse possit? nam artes quidem omnes sordidæ nobis » et illiberales visæ sunt. Ac merito quidem. Tum pluribus » interjectis ita prosequitur. Dabimus operam, *inquit*, ne » qui a nobis educantur, aliquid ab iis hoc in genere per- » fectum minus maturumque doceantur; quodque non eo » semper, quo tendere omnes debeant, referatur, uti jam- » jam de astronomia dicebamus. Ignoras tu vero, simile » quid aliud in harmonia homines istos agere? Quippe dum » illos vocum sonorumque concentus, qui auribus perci- » piuntur, inter sese metiendo componunt, inutilibus in » rebus, quemadmodum et astronomi, studium operam- » que ponunt. Ita per Deos, *inquit*; ac ridiculi plane sunt, » dum frequentamenta nescio quæ nominant, admotisque » auribus vocem quasi propius aucupantes: alii se in me- » dio sonum aliquem exaudire, ac minimum illud, cujus in » metiendo usus esse debeat, intervallum esse dictitant; » alii vero dubitant, quasi a vocibus illis jam similis qui- » dam sonus existat. In quo utrique menti aures anteponunt. » Tu vero, inquam, alios illos ad modum utiles arbitraris,

» qui fides perpetuo vexant, distindunt, claviculisque » contorquent? Verum ne longius hæc nos imago detineat, » dum plectro pulsatæ fides aut affirmant, aut negant, aut » superbius refragantur, mittam eam modo : tantum dicam » non jam istos, sed alios illos potius, de quibus paulo ante » loquebamur, musicæ præceptores, deligendos esse. Nam » isti quidem in ipsum quod astronomi faciunt, dum ita » concentus ejus qui aure percipitur numeros attendunt, » ut nunquam ad veras illas quæstiones veniant. Quinam » e numeris inter se conveniant, quive secus; et quam» obrem utique tales habeantur. » Hactenus Plato. Atque hæc a nobis etiam præmissa sunto, ex quibus accusatores nostri intelligant, non sine maturo consilio nos inania rerum ejusmodi studia neglexisse. Jam vero pugnantia illa philosophorum, quos physicos vocant, decreta altius repetendo spectemus. Complectitur sane Plutarchus philosophorum simul omnium tam platonicorum, quam pythagoreorum, nec non antiquiorum etiam illorum, qui physici dicti sunt, unaque recentiorum, tam peripateticorum, quam stoicorum, et epicureorum sententias, eo libro quem de philosophorum decretis ad res physicas pertinentibus conscripsit. Ego hæc tantum dabo.

CAPUT XIV.

Philosophorum de principiis sententiæ. Ex Plutarchi libro, quem de philosophorum decretis ad res physicas pertinentibus conscripsit.

« Thales Milesius, *inquit* [1], septem sapientum unus, » rerum principium aquam esse pronuntiavit. Is et philo» sophiæ initium, et ionicæ sectæ nomen dedisse videtur, » a quo plures deinceps successiones propagatæ sunt. Idem » post navatam in Ægypto philosophiæ operam, Miletum » rediit jam senior. Porro, ut ex aqua nata esse omnia, et » in aquam omnia dissolvi statuat, his conjecturis adduci» tur. Primum, semen animantium omnium principium, » humidum est : probabile igitur est ex humore omnia » principium ducere. Deinde, humore stirpes aluntur » omnes : ex eo fœcunditatem hauriunt : eo si careant, » exarescunt. Tertio, ipse quoque solis ac reliquorum astro» rum ignis, mundusque adeo totus aquarum exhalationi» bus atitur. Itaque Homerus etiam hos rerum ortus aquæ » proprios esse ponit, hoc versu,

« Oceanum cunctis præbentem exordia rebus. »

» Hæc Thales. Anaximander itidem Milesius, rerum » principium esse vult infinitum. Quippe cum inde nasci » omnia, tum eodem omnia redire, dum intereunt. Quare » mundos infinitos generari vicissim, ac vicissim in illud » intereundo dissolvi, ex quo primum extiterint. Enimvero

[1] Plutarch., in moral. de Placit. philos.

» infinitum esse propterea docet, ne quid unquam deficiat, » ac rerum ortus aliquid semper habeat quo nitatur. Sed » hoc peccat ille, quod infinitum quid sit non aperiat; » utrum aer, an aqua, vel terra, vel alia quædam corpora. » Peccat præterea, dum materiam ita ponit, ut causam » tollat efficientem. Nam infinitum quidem aliud nihil quam » materia est : materia vero, nisi causa efficiens adfuerit, » re ipsa et actu esse non potest. Anaximenes indidem Mi- » leto, aerem ejusmodi principium esse docuit : ex eo enim » cuncta nasci, in eumque vicissim cuncta dissolvi. Nam » animus, inquit, noster exempli causa, aer est, nosque » fovet ac tuetur ; cunctumque adeo mundum spiritus aer- » que complectitur. Est autem spiritus eadem aerisque si- » gnificatio. At peccat etiam hic, dum ex simplici et formæ » unius aere ac spiritu, ipsas etiam animantes constare vult. » Nec enim fieri potest, ut materia una rerum principium » sit ; accedat necesse est causa efficiens. Argentum exem- » pli gratia, ut existat poculum, satis per sese non est, nisi » faber argentarius effector accesserit : idemque de ære, li- » gnis, cæteraque materia statuendum. Heraclitus et Hippa- » sus Metapontinus, hunc igni principatum attribuunt. Nam » ex igne oriri omnia, et in ignem omnia desinere confirmant. » Quippe dum extinguitur, partes inde mundi omnes exis- » tere. Primum enim quod in eo crassissimum est, compres- » sum et collectum in sese, terram fieri : deinde terram, » cum ignis vi solvitur, in aquam effluere : quod autem ex- » pirat, abire in aerem : rursus vero mundum corporaque » omnia, in conflagratione, ignis ardore consumenda. Ig- » nis igitur et principium est, quod ex eo prodeant omnia, » et finis, quod in eumdem omnia dissolvantur. Democri- » tus, quem Epicurus longo deinceps intervallo secutus » est, rerum principia statuebat corpora quædam indivi- » dua, quæ ratione caperentur, vacui haberent nihil, sine

» ortu, sine interitu, sempiterna, quæ nec frangi nec mul-
» tis e partibus conformari, nec omnino mutari, sed mente
» sola videri possent. Eadem tamen in inani, ac per inane
» ferri, quod ipsum et infinitum sit, et infinita ejusmodi
» corpuscula complectatur. In iis tria hæc inesse, figuram,
» magnitudinem, et pondus, ex quibus priora illa duo,
» magnitudinem et figuram Democritus posuerat; tertium,
» id est pondus, Epicurus adjecit. Corpora enim quæ mo-
» ventur, inquit, suum quæque pondus impellat necesse est,
» alioqui nunquam moverentur. Atomorum porro figuras
» certo numero comprehensas, non infinitas esse; nec enim
» aut hamorum, aut tridentium, aut annulorum similes esse;
» cum eæ figuræ frangi facile, atomi, nec frangi, nec detri-
» menti genus ullum subire possint. Figuras igitur proprias
» habere, quas ratio percipiat. Et vero atomum appellari,
» non quod minimum quiddam sit, sed quod secari, utpote
» nec patibilis, nec ullo modo vacua, non possit. Ita qui
» atomum dicat, rem ab eo dici, quæ nec frangi queat, nec
» perpessionis quiquam aut inanis subire. Esse vero atomos
» vel ex eo liquere, quod elementa perpetua, quod inanes
» animantes, et unitatem esse constet. Empedocles Meto-
» nis filius, Agrigentinus, elementa quatuor, ignem, aerem,
» aquam, et terram, principia duo, amicitiam et conten-
» tionem assignat, et amicitiam quidem uniendi, conten-
» tionem dirimendi vim habere docet, his versibus, »

« Rerum radices in primis quatuor audi.
» Jupiter ætherius, vitalis Juno, profundi
» Pluto pater, Nestis lacrymas mortalibus ultro
» Infundans scatebris. »

« Quippe Jovis nomine ardorem atque ætherem, Junoni
» vitalis, aerem, Plutonis terram, Nestis denique scatebræ
» que mortalis, semen et aquam significat. » Ea primorum

physicorum dissensio fuit, ea de principiis opinio, qui non deum, non effectorem, non molitorem ullum, non aliquem universitatis auctorem, imo, ne deos quidem, nec incorporeas, spiritales, rationisque participes naturas, denique nihil omnino quod sensuum fines captumque superet, in principiis numerarunt. Sane Græcorum omnium principem Anaxagoram, in suis de principiis disputationibus, mentem rerum universarum causam posuisse ferunt. Et vero superiores omnes quantum is physiologiæ studio superarit, vel ex eo intelligi quod agros ipse suos magnitudine pastionis uberrimos ejus amore reliquerit, Græcorumque primus de principiis enucleate disputarit. Nec enim tantum de natura rerum omnium, ut superiores illi, sed etiam de causa quæ illam moveat, pronuntiavit. Erant enim, inquit ille, initio cuncta permixta. Mens autem ea permeans, in ordinem ex illa perturbatione digessit. In quo sane permirum illud est, qui princeps apud Græcos eam theologiæ rationem intulerat, eum Atheniensibus, quod non jam solem, at solis ipsius effectorem Deum statueret, atheum esse visum, ac propterea parum abfuisse, quin ab iis lapidibus necaretur. Verumtamen ne ipse quidem sanum illud suum dogma retinuisse fertur. Mentem enim cunctis ita præfecisse, ut tamen de rerum natura ex mentis rationisque regula minime disputaret. Enimvero audisis, quænam ipsi hoc in genere, in dialogo Platonis de animo, a Socrate vitio tribuantur.

CAPUT XV.

De opinione Anaxagoræ. Ex Socratis disputatione apud Platonem in dialogo de animo.

« At vero, inquit ille[1], quum aliquem aliquando »ex libro quodam, quem Anaxagoræ esse dicebat, le»gentem audiissem, mentem omnium effectricem regere »ac moderari omnia, equidem hoc in causæ genere »summa quum voluptate acquievi, quod ex eo, si »verum modo esset, futurum putarem, uti moderatrix »illa mens cuncta disponeret, ac prout optimum singulis »esset futurum, suo quæque loco et ordine collocaret. »Enimvero si causam nosse quis velit, quamobrem hoc »eove modo singula vel nascantur, vel intereant, vel om»nino sint: de singulis etiam illi statuendum esse, quo »quæque modo vel futura sint optime, vel optime subitura »quidlibet atque factura. Quare, aliud homini aut de se »ipso, aut de cæteris omnibus pervidendum esse nihil, »quam quid præstantissimum sit atque optimum: simul »tamen ei, quod deterrimum quoque sit, necessario co»gnoscendum esse, quod eadem scientia in utroque ver»setur. Hæc mecum ipse reputans, eum me aliquando »præceptorem, qui mihi plane in causa rerum assignanda »satisfaceret, Anaxagoram nactum esse, jucundissime co»gitabam. Ex eo quippe intellecturum me primum esse, »utrum plana sit an rotunda terra; tum hoc ubi statuis»set, futurum, ut causam ac necessitatis vim explicaret,

[1] Plat., in Phœd.

»quodque optimum esset dicendo complexus, terræ quoque, talis ut esset, optimum esse ostenderet. Ita, si quidem eam in medio sitam esse diceret, quamobrem hic ei situs optimus esset, exponeret. Quæ si ex illo perspicue discerem, sic animo plane comparatus eram, nullum ut præterea causæ genus aliud esse statuerem. Similiter ex eodem me postea de sole, luna, cæterisque sideribus quæsiturum esse decreveram, qua velocitatis inter se, qua conversionum proportione moverentur, cæteraque id genus, quæ optima cuique vel efficiendi ratio, vel subeundi esset. Nec enim unquam in animum induxissem, cum mentem illa regere ac moderari dixisset, aliam deinde causam assignaturum eum esse, quam ut quo se modo haberent, eo se quamoptime habere confirmaret. Quin ubi et causam singulis propriam, et quod optimum cuique foret æqualiter statuisset, tum vero quidnam simul omnibus conduceret, universe definiturum. Quam ego spem ut ne maximo quidem pretio permutassem, ita libros illos vehementi quodam arreptos studio, quam celerrime poteram evolvebam, ut quid optimum esset, quidve deterrimum, quam citissime cognoscerem. Hac ego spe tam egregia, mi Cebes, incitatus atque ardens ferebar. At vero, dum legendo progredior, hominem video mente nusquam uti, ornatusque rerum causas afferre nullas, sed tantum ad quædam aeris, vel ætheris, vel aquarum, similiaque genera, tanquam ad originem absurde omnia revocare. In quo perinde mihi accere visus est, ac si quis Socratem quidquid agat, mente agere cum diceret, idem quæ agerem causas exponens singulorum, ita dictitaret : primum hic me propterea sedere, quod corpus habeam ex ossibus nervisque compactum, et ossa quidem solida sint, ac certis discriminibus intervallisque distincta, nervi autem, qui et contendantur facile, et facile remittantur,

» cum ipsa carne simul et cute, quæ illa præcipue continet,
» ossa undique complectantur. Nam dum suis in commis-
» suris attolluntur ossa ; nervi, quorum et laxare proprium
» est et contendere, membra ut inflectere nunc et curvare
» possim efficiunt, eaque de causa incurvus hic sedeo. Tum
» quod vobiscum etiam colloquar, id vocibus, aeri, audi-
» tioni, ac cæteris id genus sexcentis, quasi causis attri-
» buat, veris interim quæ sequuntur omissis : nimirum
» quando Atheniensibus uti me damnarent præstare visum
» est, mihi quoque hic ut sederem, quodque supplicium
» imperarent, eodem in loco subeirem, præstare ac justius
» esse, visum. Enimvero dudum per canem, opinor, hi
» nervi atque hæc ossa, vel Megaris, vel in Bœotia, quo
» illa optimi opinio detulisset, versarentur, nisi quam
» respublica pœnam imposuerit, sustinere, multo quam
» servilem in modum aufugere, justius putarem atque ho-
» nestius futurum. Enimvero similes proferre causas, perab-
» surdum fuerit. Nam si quis objiciet, nisi ossibus, nervis,
» partibusque cæteris instructus essem, fieri abs me quæ
» velim nullo modo posse, vere hoc dicat ille quidem, idem
» tamen, si propter illa ipsa fieri volet, quæ abs me fiunt,
» atque ita me demum mente agere non optimi delectu
» quodam et studio, negligens admodum ac supina futura
» est hæc ejus oratio. Et paucis interjectis. Itaque alius, in-
» quit, terram dum aeris agitatione circumfudit, vi tamen
» cœli firmam et immotam contineri putat : alius quadam
» vel uti latiore mactra, fundamentum ejus aerem fulcire
» mavult. At vero quanam ista vi, quam optime fieri po-
» tuit, sese nunc habeant, suo quæque loco situque col-
» locata, nec illi quærunt, nec omnino Dei cujusquam ea
» numine contineri arbitrantur : sed potius Atlantem ne-
» scio quem et firmiorem viribus, et immortalitate poten-
» tiorem, qui tenacius universa devinciat, excogitant ; at-

» que ita boni prorsus honestique nihil, quo apta illa nexa-
» que teneantur, agnoscunt. » Hæc Socrates de Anaxagoræ sententia. Fuit autem Anaxagoræ tam scholæ, quam opinionis successor Archelaus, quem Socrates audiisse fertur. Cæterum alii quoque physici, Xenophanes et Pythagoras, qui cum Anaxagora florebant, de Dei simul incorruptione, et animi immortalitate philosophati sunt. A quibus postea variæ sunt philosophorum sectæ opinionesque profectæ, cum alios alii sequerentur, nonnulli privatas etiam excogitarent ac proprias. Itaque Plutarchus eorum de diis opiniones his verbis iterum commemorat.

CAPUT XVI.

Philosophorum de Diis opiniones. Ex Plutarcho.

« Fuerunt, inquit, e philosophis nonnulli, ut Diagoras
» Milesius, Theodorus Cyrenæus, et Evemerus Tegeates,
» qui deos funditus omnes sustulerunt. Evemerum sane
» Callimachus Cyrenæus in suis iambis subobscure signifi-
» cat. Tragicus autem Euripides, ut sensum plane suum
» areopagi metu aperire non auderet, hoc modo tamen
» indicavit. Quippe Sisyphum introducit, opinionis hujus
» vindicem, cui suffragatur ipse quoque. Tum Anaxagoram
» contra laudat, quem omnium primum recte de Deo sen-
» sisse testatur, his verbis. Anaxagoras, inquit, principio
» corpora stetisse docet, quæ divina mens postea digesse-
» rit, rerumque omnium ortus effecerit. At Plato prima
» illa corpora non jam stetisse vult, sed confuse potius ac

»perturbate agitata fuisse; Deumque propterea, qui optime nosset, quam sit ordo confusione præstantior, suis »quæque locis magno cum ornatu collocasse. Quibus ita »subdit : Eodem, inquit, ambo errore laborarunt, quod »rerum humanarum curam Deo tribuerent, earumque »causa mundum ab eo conditum et ornatum esse statuerent. Nam beatum illud animal omnis corruptionis expers, »omni bonorum genere plenum, nec ullius omnino mali »capax, quodque totum in sua unius felicitate et immortalite conservanda tuendaque versatur, rerum humanarum sollicitudine vacat. Alioqui miser utique Deus esset, »qui operæ cujusdam fabrique more, comportandis oneribus, orbique moliendo admodum insudaret. Præterea, »Deus ille quem vocant, vel toto illo priori ævo, cum immota essent corpora, nondum erat : vel cum eadem perturbate moverentur, aut dormiebat ipse, aut vigilabat, »aut negandum utrumque. Enimvero nec primum illud probari potest, cum æternus Deus sit : nec secundum. Si »enim æterno Deus somno teneretur, mortuus esset necesse »est : somnus enim æternus mors est. At somnus in Deum »nullo modo cadit : ipsa enim Dei immortalitas ab eo quod »morti proximum est longissime distat. Qui si potius vigilabat, aut re ad suam felicitatem aliqua indigebat, aut »eamdem habebat numeris omnibus absolutam. Si prius »illud concedetur, beatus ergo Deus non erat; cui enim »ad felicitatem aliquid desit, beatum profecto non est : »posterius vere nemo dicat; nunquam enim, si nulla re »indigeret, novarum in rerum molitionem incumberet. »Jam vero si Deus est, ejusque providentia res humanæ »gubernantur, quomodo tandem vile indignumque caput »secunda, præclarum et insigne adversa fortuna utitur? »Nam et Agamemnon ille,

« Rex idem excellens, idemque accerrimus armis, »

» adulteri et adulteræ fraudibus occubuit : et ipsius gentilis » Hercules, postquam ea quæ vitam hominum infestam ha- » bebant, partem maximam sustulisset, Dejaniræ veneficio » ac fraude sublatus est. Thales mundi mentem Deum esse » voluit : Anaximander sidera cœlestes deos constituit : » Democritus Deum in igne collocat, rotundum quemdam » mundi animum : Pythagoras ex principiis unitatem Deum » vocavit et bonum, quod propria unius natura, ipsaque » adeo mens est : infinitum autem binarium, dæmonem, » malumque dixit, ad quem et materiæ copia, et mundus » hic quem videmus revocetur. » Post hos qui secuti sunt ætate juniores attende quid senserint. « Socrates et Plato » unum aliquid statuunt, uniusque naturæ, quod ex sese » ortum sit idemque singulare, ac vere bonum : quæ omnis » appellationum varietas unam ad mentem spectat ac ten- » dit. Mens igitur Deus erit, semota quædam forma, hoc » est ab omni tam materiæ concretione, quam patientis » cujusvis societate disjuncta. Aristoteli placuit summum » quidem illum Deum, semotam ac singularem esse for- » mam, qui universi hujus sphæram insideat, corpus, in- » quam, illud ætherium, quod ab eodem quintum vocatur. » Et quidem universo plures in sphæras distincto, quæ » suapte natura contiguæ, rationis unius vi separentur, ea- » rum quamlibet animal esse putat ex corpore animoque » conflatum : ita quidem, ut corpus ætherium esse, atque » in orbem moveri, animum, rationem immobilem, ac re » ipsa motus efficientem esse velit. Stoici partem fere maxi- » mam, artificiosum illum ignem Deum esse pronuntiant, » qui certo quodam ordine ad mundi hujus procreationem » feratur, qui suo ipse gremio cuncta rationum earum, ex

» quibus singula fato nascuntur, semina comprehendat. Ad» jungunt igni Spiritum, qui mundum universum ita per» meet, ut pro multiplici materiæ quam pervadit mutatione » multiplicem quoque nominum diversitatem accipiat. Pos» tremo, divinitatem illi mundo, sideribus, ac terræ sic » attribuunt, ut mentem omnium altissimam in Æthere » constituant. Epicurus humana quidem specie Deos figu» rabat omnes, eosdem tamen, quod suapte natura simula» crorum haberent exiles nimium tenuesque partes, rationis » unius oculis cerni posse putabat. Alias præterea quatuor » naturas addebat, quarum genus interire non posset, ato» mos, vacuum, infinitum, et partium similitudines, quas » etiam elementa nuncupabat. » Hæ sunt de Deo philosophorum illorum, quos physicos vocabant, tam impiæ, quam diversæ pugnantesque sententiæ. Quorum omnium principes, Pythagoram, Anaxagoram, Platonem et Socratem ex illo Plutarchi testimonio constat, mentem atque Deum mundo præfecisse. Atqui hos omnes pueros admodum fuisse reperiemus, si eorum ætatem cum illa Hebræorum antiquitate conferamus. Ita non Dei sane fuit vel apud Græcos omnes, vel apud Phœnices et Ægyptios, aut si qui alii priscam illam de numinum multitudine superstitionem invexerunt, pervetusta cognitio, quam e Græcis primi Anaxagoras et Anaxagoræ suppares intulerunt. Enimvero gentes quidem omnes superstitiosus ille de pluribus diis error invaserat; ejusmodi tamen prorsus is erat, qui non veram ac propriam, sed eam modo, quam primum ab Ægyptiis atque Phœnicibus conflatam esse tot supra testimoniis ostendimus, theologiam contineret. Ea porro nec ullos omnino deos, nec divinas virtutes ullas, sed homines tantum pridem consepultos loquebatur, ut ipsa veritatis oracula tanto ante prodiderunt. Age ergo, totam hanc disputationem denuo repetamus. Et quoniam e physicis il-

lis philosophis, ad sensus alii cuncta revocabant : alii ut Xenophanes Colophonius, et Parmenides Eleates, alia defendentes omnia, sensus tollebant, eorumque vi comprehendi nihil, atque uni propterea rationi fidem habendam esse dicebant : istorum nunc reprehènsionem videamus.

CAPUT XVII.

—

Adversus Xenophanem et Parmenidem, qui sensus tollerent; ex libro octavo Aristoclis de philosophia.

« Longe alia, inquit, aliorum vox et oratio est. Sensus » enim visaque omnia funditus repudianda, rationi uni fidem habendam opinantur. Ac primum quidem Xenophanes, Parmenides, Zeno, et Melissus, in ea sunt doctrina » versati, quam Stilpo deinde ac Megarenses Philosophi » defendere. Hi quidquid esset, unum duntaxat esse: quod » ab eo diversum esset, id non esse : generari nihil ; nihil corrumpi, moveri omnino nihil statuebant. Adversus » istos alius erit pluribus philosophandi locus ; nunc tamen » locum, hunc quod attinet, ita ratiocinamur. Partem » nostri divinissimam esse rationem fatemur ipsi quoque : » sed tamen sensu præterea, quem admodum et corpore, » indigemus. Et vero sensum etiam ad promendum verum » suapte natura comparatum esse, hoc argumento manifeste conficitur. Qui sentit, idem quin aliquid patiatur, » fieri nullo modo potest. At qui patitur, hoc ipsum quod » patitur, cognoscat necesse est. Sensus igitur cognitio » quædam est. Jam si sentire pati aliquid est, et quidquid

» patitur, ab aliquo patitur; consequens omnino est, quod » efficit, ab eo quod patitur esse diversum. Habemus ergo » primum id esse, quod diversum vocatur, cujusmodi sunt » color atque sonus; deinde quicquid est, non esse quid » unum. Adde ne immobile quidem illud esse, cum ipsa sentiendam ratio motus quidam sit. Quare nemo est, qui non » sensus, quomodo natura postulat, habere velit : credo » quod omnis sanes potius, quam ullo vitio laborantibus » fidem habeant. Et merito sane vehemens quidam illorum » amor nobis altius insidet; nec tam insanus quisquam re» periatur, qui ut nobis omnibus aliis fruatur, sensus vel unius » jacturam facere velit. Qui autem eos criminantur, illos » utique hanc semel in opinionem adductos, qua sensus » inutiles existimant, idipsum de sensibus quod apud Ho» merum Pandarus de arcu suo dicebat, usurpare oporteret,

« Infensus mihi continuo caput auferat hostis,
» Ni fractam hanc manibus pharetram, quando illa per armos
» Pondus iners pendet, mediis injecero flammis [1] : »

» simulque sensus omnes suos extinguere : tum enim de» mum fides ipsis haberetur, cum iis sibi nihil opus esse » re ipsa comprobarent. Nunc vero absurdissime faciunt, » qui cum eos inutiles ore tenus esse dictitent, iisdem ta» men re ipsa constantissime abutantur. Enimvero Melissus, » eorum quæ apparent, quæque ob oculos posita sunt, » nihil re vera esse probare dum vult, ex illis ipsis quæ » apparent argumenta ducit. Quippe, si enim terra, *inquit*, » si aqua et aer, si ignis, ferrum, aurum; si vivens aliquid, » aliud mortuum, si nigrum atque album, si alia sunt om» nia, quæ ab hominibus vere esse dicuntur : postremo si » videmus ipsi audimusque recte; illud etiam profecto

[1] Hom., Il. lib. v, v. 214.

»quod est tale semper manere debeat, quale primo nobis »est visum, nec mutari subinde atque alterum fieri, sed »potius idem constanter esse quidlibet quod semel est. At- »qui recte cum videre nos, tum audire etiam et intelligere »dicimus; et tamen frigidum id nobis quod calidum erat »fieri videtur, calidumque vicissim quod erat frigidum, »similiterque durum in molle, et molle rursus in durum »mutari. Hæc igitur aliaque id genus quamplurima cum a »Melisso dicantur, jure profecto quæsierit ex eo quispiam, »num hoc ipsum, quod modo calidum est, frigidum id »post modum fieri, sentiendo cognoverit. Nam cæterorum »omnium eadem plane ratio est. Ita constabit omnino »quam vere dictum abs me fuerit, eo tantum a Melisso »tolli carpique sensus, quod fidem sensibus maximam ha- »beat. Sed enim abunde opinor castigatum a nobis est »totum hoc ratiocinandi genus, imo perinde jam exolevit, »ac si nunquam penitus usurpatum fuisset. Hoc ergo nunc »secure dicamus, recte illos philosophari, qui rerum in »cognitione haurienda, sensus etiam cum ratione conjun- »gunt.» Hactenus ille. Tales igitur Xenophanis sectatores fuere, quem Pythagoræ et Anaxagoræ temporibus floruisse aiunt. Nam Xenophanis quidem auditor fuit Parmenides : hunc verò Melissus audivit, Melissumque Zeno : Zenoni Leucippus, Leucippo Democritus, Democrito Protagoras atque Nessas operam dedere. Jam Metrodorum Nessas, Diogenem Metrodorus, Anaxarchum Diogenes, Pyrrhonem Anaxarchus discipulum habuit. Scepticorum Pyrrho sectam instituit; quositidem, quod nihil omnino vel sensu, vel ratione comprehendi posse statuerent, assensionemque propterea rebus in omnibus inhiberent, quemadmodum contrariæ sententiæ vindices arguerint, ex eodem Aristoclis opere cognosci potest. Sic enim ad verbum ipse loquitur.

CAPUT XVIII.

—

Adversus eorum philosophorum sectam, qui quod Pyrrhonem secuti nihil comprehendi posse statuerint, Sceptici, et assensum inhibentes vocati sunt. Ex eodem Aristocle.

« Necesse est, *inquit* ille cognitionis nostræ rationem » ante omnia videamus. Nam si cognoscendi vim a natura » nullam accepimus, omittamus licet de aliis quærere. Non- » nullorum certe olim vox ea fuit, quos refellit Aristoteles. » Et Pyrrho quidem Eleus opinionis hujus defensor erat » acer inprimis ac vehemens, nihil tamen scriptum reliquit. » At Timo ejus discipulus, tria ei spectanda docet, qui ad » felicitatem aspirat : primum, cujus modi rerum natura » sit : deinde, quem in iis modum tenere debeamus : pos- » tremo, quid iis eventurum sit, qui hoc fecerint. Res ergo » quod attinet, promiscuas ipsi omnium habendas esse » tradit, ac nutantes, dubiasque rationes : proinde nec in » sensibus, nec in opinionibus verum aut falsum inesse » posse : ex quo demum id sequatur, fidem iis haberi nul- » lam oportere, agendumque nobis propter ea, nihil ut » opinemur, nullam inclinemus in partem, inconcussi de- » nique semper immotique maneamus : atque ita, quic- » quid propositum nobis fuerit, id non potius esse, quam » non esse, aut esse idem et non esse dicamus, imo ne non » esse quidem. Cæterum qui hunc in modum comparati fue- » rint, id consecuturos illos esse confirmat, primum ut » asseverent nihil, deinde nulla ut unquam perturbatione » moveantur, cui utrique voluptatem Ænesidemus adjungit.

» Cum igitur isti promiscuas rerum omnium rationes esse
» velint, proindeque; aut ulli hærendum, aut opinandum
» quidquam esse negent : ex iis utique merito quærat ali-
» quis, errentne qui discriminis aliquid inter eas consti-
» tuant, an non? Si enim errant, utique non recte sen-
» tiunt. Ita nonnullos esse dicant ipsi quoque necesse est,
» qui falso de rebus opinentur, se porro unos esse, qui vere
» pronuntient : ex quo profecto sequitur veri aliquid falsi-
» que reperiri. Quod si non, erramus, quotquot res ab
» aliis alias vulgo distinguimus, quænam illos intemperiæ
» tenent, qui nos tam vehementer incessant, cum eosdem
» errare necesse sit, dum nullum ab iis non discrimen ex-
» cludunt? Verum, esto, demus tamen illis nulla res pror-
» sus omnes diversitate secerni : ab hominum vulgo nihil
» ergo differunt ipsi quoque. Sapientiam igitur isti quam
» nobis tandem ostendunt ? aut cur omnes Timonis ore
» proscinduntur, Pyrrho celebratur unus? Præterea, si
» nihil in rebus discriminis est, ne differre quidem aut non
» differre, opinari aut non opinari discriminis quicquam
» subibunt. Cur enim sint potius ista quoque, quam non
» sint? vel, ut Timon ipse loqui solet, Cur ita? cur non?
» Imo, quorsum tandem vel ipsum Cur? omnem enim
» quæstionem funditus proinde tollendam esse constat. De-
» sinant igitur molestiam nobis ultra facessere. Nam insa-
» niunt illi profecto, dum suæ ipsorum artis obliti, nos
» opinari quidquam jubent simul atque vetant, iidemque
» pronuntiant aliquid de rebus, qui tamen nihil pronun-
» tiandum, esse statuunt. Nolunt te nimirum sentire, cum
» ullo, sibi tamen omnes fidem habere, volunt : dumque
» se nihil scire profitentur, omnes tamen, quasi res ap-
» prime norint, passim reprehendunt. At incerta omnia esse
» qui dicant, hos e duobus alterum, aut silere necesse est,
» aut aliquid pronuntiare. Si quiescent, nulla cum iis fu-

» tura disputatio est : sin dicent aliquid, vel esse quiddam, » vel non esse omnino dicturi sunt : quemadmodum utique » obscura esse cunctis universa, nunc dicunt, atque in » sola opinione posita, notum esse nihil. Porro qui sumit » aliquid aut rem illam sic aperit, ut intelligi dum expli- » catur ea possit, aut obscuram potius et ignotam relin- » quit. Si non aperiet, ne tum quidem ulla cum eo futura » disputatio est. Sin explicabit aliquid, prorsus aut infinita » dicet, aut suis quibusdam finibus circumscripta. Quod » si infinita, rursus omnem secum agendi facultatem eri- » piet, quod infiniti cognitio nulla esse possit. At si finita » quædam, aut etiam unum aliquid aperiet; qui hoc faciat » definiat idem aliquid, judicetque necesse est. Quinam » igitur obscura omnia et promiscua esse possint? Jam » vero, si eadem esse simul ac non esse dicet : primum » quidem verum simul idem ac falsum erit : deinde ali- » quid ipse dicet, dicetque nihil, atque ita orationem, » oratione dum utetur, extinguet. Præterea, qui se falsum » dicere fateatur, idem sibi fidem haberi vult. Jam vero, » quæri etiam ex illis poterit, unde tandem incerta esse » universa didicerint? Prius enim quid illud sit quod certum » vocatur, nosse debent; tumque demum, ejusmodi non » esse omnia statuere poterunt : affirmationis quippe notitia » negationis cognitionem antecedit. Qui si minus quid » certum sit noverint, ne incertum quidem illi quid sit » nosse poterunt. Enimvero cum Ænesidemus in sua illa, » quam informabat hypotyposi, novem omnino modos ex- » poneret (totidem enim quam incerta sint omnia declarare » conabatur :) utrum eosdem norat ipse qui diceret, an » ignorabat? Nam is quidem in animantibus, imo etiam et » in nobis ipsis, urbibus, institutis, moribus ac legibus dis- » crimen agnoscit : idem vero et infirmos ait sensus esse » nostros, et plurima quæ cognitioni extrinsecus officiant,

» impedimenta commemorat, intervalla, magnitudines, » motus, juvenum atque senum, vigilantium et dormien- » tium, valentium et ægrotantium dissimiles aliosque sen- » sus; rerum dum eas percipimus, quod permixtæ sint » omnes, et cum aliquo semper ad aliud quid ordine profe- » rantur, sincerum nunquam simplicemque vultum. Hæc, » inquam, ille cæteraque id genus dum magnifice loquitur, » quærat ex eo jure quispiam, sit ne hæc hominis varias » illas rerum conditiones probe scientis, an potius ignoran- » tis oratio. Si enim illas ignorat, qui tandem ipsi fidem » habebimus? Sin eas probe norit, næ stolidus admodum » est, qui cum obscura esse omnia statuat, tam multa se » tamen scire confirmet. Utique dum talia oratione per- » censent, inductionem aliquam modo texunt, et cujus- » modi quæque sint quæ appareant, sigillatim ostendunt : » quod quidem orationis genus est vocaturque fides. Hanc » igitur illi si sequuntur, eosdem proinde opinari nemo non » videt : si vero non credunt, ne ipsi quidem illos audie- » mus. Jam vero quod in Pythone longam adeo Timon ipse » narrationem instituit, quemadmodum in Pyrrhonem » circa templum Amphiarai, dum Pythiam peteret, inci- » derit, et quosnam cum eo sermones miscuerit : quis non » ea scribentem his verbis jure conveniat. Quid ipse tibi, » homo nequam, molestus es, dum ista scribis, eaque » commemoras, quæ tu nescis. Cur enim in eum incidisti, » aut cur sermones cum eo miscuisti potius, quam non » miscuisti? Pyrrho autem ille tuus tam excellens, tamque » divinus, satis-ne quorsum ad Pythia spectanda pergeret » ipse norat? an vero, quod furiosi solent, in via temere » vagabatur? Idem vero cum et homines et hominum ig- » norantiam accusare cœpit, num ille nobis verum dicere » videatur, an non? Quid Timon? an ejus est oratione com- » motus? fidem illi habuit, an negavit? Si negavit, qui

»tandem evasit e saltatore philosophus? aut cur Pyrrho-»nem tam vehementer postea constanterque suspexit? Qui »si ejus verbis fidem habuit, inepte profecto facit, qui »nos dum philosophatur, philosophari vetet. Atque ut uni-»verse loquamur, quid sannæ illæ Timonis omnes, et irro-»gatæ generi hominum universo contumeliæ: quid perni-»ciosa Ænesidemi rudimenta, quid verborum tota illa »congeries sibi velit, mirum jure cuipiam videatur. Si »enim id hoc in scribendi genere sequebantur, uti nos »meliores efficerent, eoque sibi carpendos omnes et in-»cessendos putarunt, ut nugas tandem agere desinamus; »id agunt videlicet ut perspectam habeamus veritatem, »atque ita sese res, quomodo statuebat Pyrrho, habere »credamus. Itaque si eorum in sententiam adducemur, »dum et melius de rebus ipsi judicabimus, et saniora lo-»quentes audiemus, ex deterioribus profecto meliores »efficiemur. Quod si ita est, qui tandem promiscuæ adeo »rerum omnium esse queant implicitæque rationes, aut »ipsi nos hærere nemini, ac nihil existimare qui possimus? »At vero si disputationis suæ fructus est nullus, quid mo-»lesti porro nobis esse pergunt? aut quorsum versus iste »Timonis,

« Cum Pyrrhone hominum possit contendere nemo? »

»Nec enim causæ quicquam fuerit, quamobrem Pyrrhonem »suum miremur potius, quam aut Corybum illum aut »Melitidem, qui tamen stultitiæ principes haberi solent. »Jam ne pretereundum illud quidem leviter est quod se-»quitur. Quem enim, obsecro, aut civem illum aut judi-»cem, cujusmodi vel consiliarium, vel amicum, vel deni-»que hominem habituri sumus? aut quid ille flagitii non »audebit, qui honestum vere nihil aut turpe, qui justum

» esse nihil aut injustum opinabitur? Apage enim, qui aut » legum sententiam genus hoc hominum dixerit, aut pœnarum acerbitatem extimescere? Quomodo enim in eos metus iste cadat, qui ab omni se perturbatione vacuos prædicant? Nam de Pyrrhone quidem canit ista Timon.

« Unum illum novi, quem nulla superbia tollat. »

« Non fanda atque infanda doment quibus omnis ubique
» Succumbit populus, vario dum turbidus æstus,
» Atque animi dubius, cæcaque cupidine præceps
» Huc illuc rapitur. »

» Præterea dum egregium illud sapiensque dictum pronuntiant, in vita instituenda naturæ consuetudinisque ductum sequi oportere, simulque nulla penitus in re hærendum esse docent, faciunt ineptissime. Nam ut fides cæteris omnibus detrahatur, huic saltem habenda necessario sit, planeque statuendum ita rem habere. Sed enim cur naturæ consuetudinisque ductum sequi potius nos oporteat, quam ab eo discedere, qui nec sciamus omnino quicquam, nec cujus vi judicium ferri possit quicquam habeamus? Quod enim addunt, extremæ cujusdam stultitiæ est: quemadmodum pharmaca, in quibus purgandi vis est, sese cum excrementis ipsis pariter ac simul excernunt; ita quæ ratio incerta esse omnia conficiat, eam se quoque perinde ut reliqua funditus convellere. Nam si refutat ipsa sese insulse faciat ea qui utetur. Quiescant igitur isti, ac ne hiscant quidem. Tametsi nec pharmaco illi quo purgamur istorum ratio simile quicquam habet. Nam ita pharmacum excernitur, ut in corpore minime resideat: hæc ratio et eadem hæreat in mente semper, et fidem a nobis perpetuam impetret, necesse est, quod ea nos sola ne cuiquam assentiamur efficiat. Porro quam ne

» isti quidem opinandi vim homini eripiant, vel ex eo intel-
» ligas. Qui sentit, idem ut ne sentiat fieri nullo modo po-
» test; sentire autem cognoscere est. At eos sensui fidem
» habere nemo non videt. Nam ut certius aliquid intueri
» possint, cum purgare oculos, tum etiam accedere pro-
» pius, ac subinde nictando intueri solent. Quid quod nos-
» trum ipsi tam lætitiæ quam doloris sensum novimus? Nec
» enim fieri possit, ut sese uri quis aut secari nesciat. Me-
» moriam similiter ac recordationem quis non existimatione
» conjunctam esse dixerit. Quid de communi omnium sensu,
» qui ejusmodi hominem esse clamat; quid de artibus
» doctrinisque dicetur? Istorum quippe nihil haberemus,
» nisi a natura existimandi vim haberemus. At mitto cætera,
» dum hoc unum maneat, fidem ut iis sive habeamus, sive
» negemus, opinandi facultatem necessario nobis esse relin-
» quendam. Hactenus igitur nullam ejusmodi philosophandi
» rationem esse posse ostendimus. Quam eadem rationi ac
» legibus adversetur, hinc accipe. Nam si vere ita res ha-
» beant, quid aliud superest, nisi ut sic tanquam in som-
» no, temere stolideque vivamus? Nugentur enim vero legis-
» latores, duces, præceptoresque nugentur. Equidem alios
» omnes ex naturæ præscripto vitam instituere sentio; ratio-
» nem hanc philosophorum unam quæ tam absurda loqua-
» tur, delirare, aut potius vehementer furere statuo. Quod ip-
» sum ex sequenti Pyrrhonis facto maxime intelliges. Antigo-
» nus enim Carystius, qui sub eadem vivebat tempora, quique
» illorum vitam conscripsit, Pyrrhonem commemorat, ut
» sese insequenti cani eriperet, quamdam ad arborem con-
» fugisse: qua de causa cum ab iis qui aderant, rideretur,
» ægre admodum hominem exui respondisse. Præterea,
» cum Philista ejus soror sacrificium adornaret, quemdam
» ex amicis, qui res ad illud necessarias pollicitus fuerat,
» promissis non stetisse, Pyrrhonem igitur eos sumptus

» facere coactum, graviter id acerbeque cum ferret, ex suo » illo amico audiisse, parum se omnino suorum ex decre- » torum præscripto facere, atque ab omni perturbatione » vacuum ostendere. Tum enimvero Pyrrhonem homini » reposuisse, hujus rei fidem in mulierculæ causa fieri non » debere. Cui sane amicus ille suus merito responderet, in » muliere, in cane, in reliquis omnibus inane totum hoc » disputandi genus futurum. Quod si nonnullum tibi operæ » pretium ex hac oratione futurum videtur, haud abs re » fuerit, tum quos habuerit iste sectatores, tum quos æmu- » latus ipse fuerit, cognoscere. Fuit igitur Pyrrho cujus- » dam Anaxarchi discipulus : ac primum quidem picturæ » operam dedit, at successu parum læto : postmodum vero » in Democriti libros cum incidisset, nihil aut in iis boni » reperit, aut ipse conscripsit, sed Deos tantum homines- » que omnes contumeliis ac probris oneravit. Idem postea » cum hoc fastus genere laboraret, ac sese tamen ab omni » fastu vacuum diceret, scripto reliquit nihil. Is discipu- » lum habuit Timonem Phliasium, qui cum antea saltato- » rem ageret in scenis, ubi deinde hominem audiisset, » mordaces et aculeatos versus edidit, quibus totam supe- » riorum Philosophorum nationem proscindebat. Fuit enim » is Sillorum auctor, quorum e numero sunt qui sequuntur,

« Vos genus infelix, nostræque infamia vitæ,
» Nec nisi venter iners, dubio ex certamine ficti.
» Quippe isti sensis pleni mendacibus utres. »

» At cum jam isti perinde ab omnibus neglecti jacerent, » ut si fuissent ipsi nunquam, extitit nudius tertius Alexan- » driæ Ægypti Ænesidemus quidam, qui antiquum illud » nugarum genus revocare conaretur. Atque hi fere sunt » communi opinione principes, qui hanc philosophandi viam » instituere. Et quidem hujus vel sectæ, vel disciplinæ, vel

» quocumque alio nomine hanc appellare libeat, qui lau-
» dator esse velit, neminem futurum satis constat. Ego vero,
» ne philosophiam quidem eam vocarim, cum ipsa philoso-
» phandi principia funditus convellat. » Hæc igitur adversus philosophos Pyrrhonis sectatores dicta sunto. Quibus affinia sane ac gemina esse possint, quibus ii redarguantur, qui ex Aristippi Cyrenæi sententia, præter id quod patiendo subeatur, comprehendi nihil posse docuerunt. Socratis autem sodalis Aristippus fuit, qui cyrenaicam sectam instituit, ex qua quidem Epicurus finis illius sui constituendi ansam arripuit. Erat enim Aristippus mollis admodum ac voluptatis amans : qui tametsi nihil unquam ipse palam de fine disseruit, virtute tamen (ut loquuntur) beatitudinis fundamentum in voluptatibus positum esse docuit. Nam quum de voluptate perpetuo loqueretur, hanc suis auditoribus suspicionem movit, ut in vitæ deliciis collocatum ab eo finem putarent. Is Synallum quemdam, ejusque filiam Areten nomine discipulos habuit. Ea filium suscepit Aristippum, qui ab eadem ad philosophiæ studia pellectus, matris discipulus vulgo dicebatur. Hic aperte docuit, finem esse cum voluptate vivere, voluptatem eam intelligens, quæ in aliqua commotione versetur. Tria quippe temperationis nostræ genera statuebat : unum quo doleamus, ei quæ in mari excitatur tempestati persimile : alterum quo lætemur, et æquato fluctui similes simus : æquatam enim commotionem esse voluptatem, secundi venti simillimam. Tertium denique medium genus, quo nec doleamus ipsi, nec lætemur, malaciæ ac tranquillitati propius. Horum ille duntaxat mortuum aliquem a nobis sensum haberi docuit. At sequentibus refelli possit.

CAPUT XIX.

Adversus Aristippi sectatores, qui ea modo quæ patimur, comprehendi posse statuerunt, præterea nihil. Ex eodem.

« Deinceps, *inquit*, eos videamus, qui ea modo quæ patimur, comprehendi posse defendunt. Ea in hæresi fuere » Cyrenæi quidam. Ii sic tanquam alto quodam sopore de- » pressi, nihil penitus esse dicebant, nisi si quis propius » subiens illos verberaret ac foderet. Quippe, dum ureren- » tur ac secarentur, pati se aliquid, hoc vero se nosse, » utrum ignis esset quod ureret, aut ferrum quod secaret, » sibi non liquere. Ex hoc hominum genere quæramus in- » primis, num id saltem probe norint, pati se ac sentire ali- » quid. Hoc illi si nesciunt, perperam utique dicunt, quod » patiantur sibi notum esse. Sin autem hoc intelligunt, non » ea modo quæ patimur comprehendi possunt. Nam istuc » quidem, Uror, loquentis est, non patientis. Præterea si- » mul hæc tria ponantur necesse est, malum quod quis pa- » titur, quod illud affert, quod illud ipsum patitur. Enim- » vero qui malum subeat, is plane sentiat oportet. Nec » enim profecto, uri se, si forte uratur intelliget; idem ta- » men, ipse ne an vicinus uratur intelliget; idem tamen, » ipsene an vicinus uratur, ignorabit : adeoque nunc, an » superiore anno; Athenis an in Ægypto; vivens ne an » mortuus; homo ne an lapis. Quare simul etiam noverit, » a quo patiatur. Illi enimvero quum sese mutuo, tum vias » etiam, urbes, cibosque norunt. Sua quoque artifici nota in- » strumenta sunt. Medici ac rei nauticæ periti futura præsen-

» tiunt. Imo, e bestiis etiam, vias certis pressas vestigiis canes » reperiunt. Porro, qui aliquid patitur, is quasi proprium » aliquid, aut tanquam alienum id subeat necesse est. Qui- » nam ergo dixerit, voluptatem alteram, alterum laborem » esse? quinam aut gustu, aut visu, aut auditu aliquid » sese pati? quinam gustare se lingua, videre oculis, auri- » bus exaudire? Aut, qui tandem optandum alterum, al- » terum fugiendum esse cognoscunt? Quorum si nihil ipsi » norunt, ne impetum quidem ullum aut appetitum habent, » ac proinde nec animantia sunt. Nam ridicule profecto » loquuntur, dum aiunt, ea quidem sibi evenire, qui ta- » men aut quemadmodum eveniant, se nescire. Qui enim » ejusmodi sunt, ii nec utrum homines sint, nec utrum » vivant, affirmare possint, adeoque nec utrum aliquid lo- » quantur ac statuant. Cum hoc igitur hominum genere, » commercii quid omnino esse possit? Et quidem mirum » jure videatur, eos in cœlo ne, an in terra versentur, » ignorare: at longe mirabilius est, cum philosophari se » defendant, non intelligere tamen, sint ne quatuor plura » quam tria: unum atque duo quot sint. Nam quot in ma- » nibus digitos habeant, aut sit ne horum quilibet unus an » plures, definire certe non possunt. Ita ne nomen qui- » dem ipsi suum noverint, nec patriam, nec Aristippum; » nec ullosne ament, an oderint, an concupiscant: ri- » deant, an lacrymentur; adeoque sit ne jucundum hoc, » molestum illud, pronuntiare non possint. Constat igitur » ipsos, utrum etiam aliquid hoc tempore loquamur, igno- » rare: atque ita hos inter, et culices atque muscas, inter- » est omnino nihil; tametsi quæ naturæ saltem conveniant » suæ, culices muscæque norunt. » Verum hæc, ex infini- tis quæ urgeri possint, adversus istos dicta sufficiant. Se- quitur, ut eorum etiam, qui contrariam insistunt viam, at- que in omnibus fidem sensibus habendam esse defendunt,

sententiam exploremus. Horum e numero sunt Metrodorus Chius, et Protagoras Abderita. Et Metrodorus quidem, ut aiunt, Democriti auditor fuit, ac principia duo, plenum et vacuum posuit : e quibus alterum illud esse, alterum non esse dicebat. Is de natura scripturus cum esset, hoc orationis est usus ingressu : « Nemo nostrum quic-
» quam novit; ne hoc ipsum quidem, utrum aliquid nove-
» rimus, nec ne. » Quo ex ejus ingressu pessimam deinde recentior ille Pyrrho dubitandi ansam arripuit. At progressus idem ulterius, id esse omnia statuit, quod quisque intelligat. Protagoram quod attinet, atheum illum dictum esse tradunt. Sane his ille verbis suam de diis disputationem auspicatur, « Sint ne dii, nec ne, aut quam ii
» speciem habeant, nescio; multa sunt enim, quæ me,
» quominus trium horum quidlibet noverim, impediant. »
Hujus Athenienses exilio jam damnati libros publice medio in foro combusserunt. Sed quoniam solis isti sensibus credendum esse dixerunt, quibus refellantur argumentis, videamus.

CAPUT XX.

Adversus Metrodorum, et Protagoram, qui solis sensibus credendum esse dicebant. Ex eodem.

« Fuere, inquit, nonnulli præterea, qui sensibus tantum
» atque visis fidem adhibendam esse dicerent. Nec desunt,
» qui simile quid ab Homero insinuatum esse velint, cum
» oceanum rerum omnium principium vocavit, quod res

» in perpetuo quodam fluxu versentur. Hoc ipsum Metro-
» dorus Chius asseverat; planeque ac diserte Protagoras
» Abderita. Hominem enim rerum omnium mensuram esse
» vult; ut earum quæ sunt, quemadmodum illæ sint, ita
» earum quæ non sunt, quemadmodum ipsæ non sint. Cu-
» jusmodi enim quidlibet appareat, ejusmodi etiam illud
» esse. De cæteris, affirmari a nobis certo nihil posse. Qui
» bus merito eadem objicias, quæ a Platone in Theæteto
» disputantur. Primum, si res ita se habeant, quomodo
» tandem hominem veritatis mensuram esse voluerunt,
» quod hoc in genere caput est, non viderunt? Deinde, qui
» se ipsos sapientes vocarunt, si quilibet sibi ipsi veritatis
» mensura est? quorsum alios reprehendunt, si quod cui-
» que apparet, id continuo verum est? quomodo non-
» nulla, etiam ubi sæpius ea sensu percipimus, adhuc tamen
» ignoramus, ut cum Barbaros loquentes audimus? Præterea,
» qui ejus rei, quam ante spectavit, postea recordatur, cog-
» noscit illam profecto, nec amplius tamen sentit. Qui si ex
» oculis alterum clauserit, altero aspiciat, idem simul noverit
» ignoretque necesse est. Ad hæc, si quod cuique videtur, id
» etiam verum est nobisque vera non videntur, quæ ab illis di-
» cuntur, verum simul erit hominem rerum omnium non esse
» mensuram. Jam qui vel in artis, vel in alterius cujuscunque
» rei tractatione versati sunt, ejusdem imperitis cognitione
» præstant: eamque ob causam gubernator, medicus, et
» imperator, quid futurum sit clarius multo certiusque pros-
» piciunt. Et isti vero quicquid in quoque genere aut ma-
» gis, aut minus est, necessarii pariter et contingentis
» naturalis ac præter naturam evenientis discrimen omnino
» tollunt. Ita, quod est, quodque non est, unum idemque
» fuerit. Nihil enim vetat, quo minus idem esse alteri, al-
» teri non esse videatur. Ergo idem erunt homo, atque lig-
» num: idem quippe alteri nonnunquam homo, alteri

» lignum videtur. Vera quoque omnis oratio futura est, eoque
» falsa etiam omnis futura. Similiter qui aliqua de re aut
» deliberant, aut judices sedent, quod agant habebunt
» nihil. Quodque longe gravissimum est, iidem probi simul
» erunt et improbi, idem vitium ac virtus erit. Cujusmodi
» pleraque alia proferri queant; sed pluribus adversum
» istos rationibus uti supervacaneum sit, qui se nec mentis
» nec rationis quicquam habere arbitrantur. Hæc ille, qui-
» bus deinceps quæ sequuntur, adjungit. Et quoniam, *inquit*,
» nonnulli sunt etiamnum, qui omnem sensum ac visum
» omnem verum esse velint; de his etiam pauca dicamus.
» Vereri enim videntur, ne forte, si sensum aliquem falsum
» esse dixerint, certam proinde nullam ac fide dignam in
» judicando regulam habituri sint: nec interea vident, hoc
» plane sequi, ut opiniones omnes veras esse defendant,
» cum earum in plerisque judicium sequi soleamus: neque
» tamen veras alias, alias contra falsas pronuntiare desinunt.
» Deinde qui attentius cogitare volet, is aliud ex iis nihil,
» quibus tanquam judicii regulis utimur, omne omnino
» falsum ac semper excludere comperiet: verbi causa
» lancem, tornum, cæteraque id genus. Quodlibet enim
» dum certo se modo habet, sanum est: dum secusque
» pravum: eo dum sic uteris, verum est: dum aliter, fal-
» sum. Quod si sensus omnis verus esset, tantum inter eos
» discriminis esse non deberet. Atqui cominus certe alii
» sunt, eminus alii, ægrotantium ac valentium, perito-
» rum et imperitorum, prudentium stultorumque dissimiles.
» Nam furiosorum certe quidem, aut eorum qui perperam
» aliquid vident audiuntve sensus, veros appellare, longe
» ineptissimum fuerit. Quippe simplex nimium is esset,
» qui secus videntem aut videre diceret, aut non videre.
» Quivis enim respondeat, videre illum quidem, at perpe-
» ram. Dum autem addunt, sensum a ratione dissidentem,


» nihil addere, auferre nihil quæ maxime obvia sunt, ea se » non videre palam ostendunt. Nam in remo, quem in aqua » cernimus, in picturis, aliisque sexcentis, sensus ipse » nos fallit. Itaque hoc rerum in genere, non mentem, sed » visum ipsi nostrum arguere consuevimus. Et vero quæ » cogitationem omnem veram esse pronunciat, ea secum » ipsa pugnat oratio. Nostram certe quidem, quæ non ejus- » modi quamlibet esse arbitratur, falsam penitus esse con- » cludit. Sequitur itaque, ut visum omne verum simul ac » falsum esse defendant. Cæterum quod ejus modi res esse » velint cujusmodi nobis videntur, toto cœlo errant : contra » enim, cujusmodi suapte natura sunt, ejusmodi videri so- » lent : nec in causa sumus, quamobrem ita se habeant, sed » ab iis potius certo quodam modo afficimur. Ridiculi enim- » vero simus, si dum, uti pictores fictoresque solent, catulos » aut chimæras cogitamus, ea velimus esse continuo, ani- » moque proinde rationem informemus, qua eadem suis ab- » soluta numeris habeamus. » Atque ex his omnino constat, quam male philosophentur, qui omnem sensum ac visum omne verum esse docent, nec desiit tamen Epicurus, ex Aristippi doctrina occasionem arripiens, ex voluptate omnia sensuque suspendere, dum et ea modo quæ patimur, comprehendi posse, et finem bonorum voluptatem esse statueret. Hunc nonnulli volunt præceptorem habuisse neminem, sed in antiquorum scriptorum lectione versatum esse. Alii Xenocratis primum, inde Nausiphanis, qui Pyrrhonis discipulus fuerat, auditorem fuisse tradunt. Nunc ergo quibus iste quoque rationibus urgeatur, attendamus.

CAPUT XXI.

Adversus Epicureos, qui voluptatem finem esse vellent. Ex eodem.

« Quoniam, inquit ille, duplex cognitionis genus est, » alterum quo exteriora, percipimus alterum quo expetenda nobis ac fugienda sentimus; extitere nonnulli, qui » electionis fugæque principium ac regulam in nobis, voluptatem esse laboremque statuerent. Quod ipsum Epicurei » hodieque docent. Quare necessarium fuerit, hac etiam » nos in quæstione versari. Equidem, tantum abest, ut bo- » norum malorumve principium ac regulam affectionem » esse dicam, ut illam ipsam altera quadam judicii regula » indigere existimem. Nam quod ea sit, ostendit ipsa per » sese : cujusmodi sit, qui judicet; alium requirit. Enim- » vero domestica ne illa sit, an aliena, sensus pronuntiat; » utrum expetenda sit, an fugienda, ratio statuit. Sane qui- » dem isti, nec omnem se complecti voluptatem, nec la- » borem omnem fugere dictitant. Neque id sine magna ra- » tione fieri solet. Judicandi enim instrumenta, quum » ostendunt ipsa sese, tum ea simul de quibus judicatur, » aperiunt : affectio se solam indicat. Cui veritati vel isti » quoque suffragantur. Nam ut omnem voluptatem bonum, » dolorem omnem malum esse velint; alteram tamen sem- » per expetendam, fugiendum semper alterum esse negant, » dum utrumque, si minus qualitate, quantitate quidem » metiendum existimant. Hujus vero quantitatis judicem » alium constat esse non posse, præter rationem. Hæc enim,

» quæ ab illis vulgo jactantur, præstare certos quosdam » eosdem labores interdum subire, ut acriores inde voluptates sentiamus : certis nonnunquam voluptatibus abstinendum, ne gravioribus postea doloribus urgeamur : » cæteraque id genus omnia, rationis unius judicio decernuntur. Atque ut universe loquamur, sensus atque visa, quædam quasi rerum specula et imagines videntur : affectiones » autem, voluptates, et labores, nostrum ipsorum mutationes. Itaque, dum sensu aliquid aut cogitatione informamus, exteriora respicimus : dum voluptatem percipimus, » aut dolorem, in nos tantum ipsos convertimur. Res enim » extrinsecus oblatæ, visa nostra efficiunt, quarum illa sunt » proinde similia. At vero affectiones vultum ex nobis speciemque sumunt : quo fit ut jucundæ modo, modo injucundæ, idque magis minusve videantur. Quod quum ita » sit, eos utique, si boni ratiocinatores esse volumus, optime de cognoscendi principiis statuere reperiemus, qui » mentis ac sensuum vim operamque conjungunt. Et quidem sensus plagis et retibus, ac cæteris id genus venatorum instrumentis; mens autem et ratio indagantibus et » insequentibus canibus similes sunt. Maneat igitur, eos » melius philosophari, qui nec temere sensibus abutantur, » nec ad veri perspicientiam atque judicium perturbationes adhibeant. Prorsus enim indignum fuerit, hominem, » relicto mentis diviniore judicio, voluptatibus sese ac laboribus ab omni ratione vacuis permittere. » Atque hactenus ex Aristocle.



CAPUT XXII.

—

Iterum adversus eos, qui voluptatem bonum esse definiunt. Ex Philebo Platonis.

« Horum igitur, *inquit*, trium quod libet cum voluptate ac mente sigillatim conferamus. Videndum quippe nobis est, utrius porro unumquodque affine magis et cognatum esse statuamus. Pulchritudinem, opinor, veritatem, ac mediocritatem intelligis. Sic est. Tu vero, mi Protarche, veritatem primum accipe, diuque ac diligenter in hæc tria mentem, veritatem, atque voluptatem intuitus, responde sis ipse tibi, sit ne voluptas, an mens, veritati propinquior. Quid vero tempore hic opus est? Nam meo quidem judicio plurimum interest. Voluptas enim omnium superbissima est; ac de venereis, quæ omnium habentur acerrimæ, vulgo circumfertur, quod in iis perjurium admiseris, veniam facile a superis impetrare : quod illæ, non secus ac pusiones quidam, omni prorsus mente careant. At vero Mens, aut idem ipsum quod Veritas, aut ei sane omnium longe simillima est, atque verissima. Age ergo, et mediocritatem similiter considera; plus-ne hujus voluptas habeat, an prudentia. Expedita quoque admodum quæstionis hujus ratio est. Nam ut voluptate ac delectatione immoderatius nihil est, ita mente nihil scientiaque moderatius. Et hoc præclare. Quid autem de tertio? Utra tibi pulchrior, mens, an voluptas videtur? Atqui nemo unquam, Socrates, aut vigilans, aut somnians, prudentiam atque Mentem vel mini-

» mum turpitudinis aut habuisse, aut habere, aut habitu-
» ram esse vidit, aut cogitavit. Recte. At vero si quem ali-
» quando voluptatibus, ac fere maximis, indulgentem vi-
» deamus, quod eas palam aut risus aut turpitudo maxima
» comitetur, ipsimet erubescimus; ac propterea, ne quod
» earum vestigium appareat, nocturnis fere tenebris oc-
» cultanda hæc atque involvenda mandamus, quasi lucis
» oculum reformident. Hoc igitur, ut video, mi Protarche,
» omnino prædicaturus es, et ab sentibus nuntiorum opera;
» et voce coram præsentibus, voluptatem nec primam pos-
» sessionem esse, nec secundam: at hoc primæ nomine,
» quæ ad modum pertinent, comprehendi, ut mediocre,
» opportunum, cæteraque omnia, quæ naturam existimanda
» sunt habere sempiternam. Id quidem ex supra dictis se-
» quitur. Deinde ad secundam revocanda, quæ in propor-
» tione versantur, ut pulchrum, perfectum, idoneum, et
» quæcunque hujus sunt generis. Utique. Tertiam denique,
» (ut quidem conjicio) si mentem prudentiamque posueris,
» haud a vero procul aberrabis. Et hoc verisimile. Tribus
» autem illis, num merito quartum addatur genus, ex iis
» quæ animo proprie tribuimus, doctrinis, artibus, et opi-
» nionibus quæ rectæ dicuntur? si quidem ista quoque bono
» conjunctiora sunt, quam voluptas. Fortassis et istuc. Quin-
» tum inde locum voluptatibus illis dabimus, quas ab omni
» molestia vacuas, imo et puras animi cognitiones esse sta-
» tuimus illas quidem, sed tamen ortas ex sensibus. For-
» tean.

« At genere in sexto (inquit Orpheus) gratum concludite carmen. »

» Equidem hoc in sexto judicio, nostra quoque disputatio
» non male fortassis concludatur. Ita reliquum id modo sit,
» ut suam ei coronidem imponamus. Imponamus vero. Age

»igitur, ac Servatori nostro, eumdem rursus obtestati,
»sermonem hunc nostrum tertio jam instauratum pertexa-
»mus. Ecquem vero? Philebus scilicet genus omne volup-
»tatis bonum esse statuebat. At jam jam, Socratis, dis-
»putationem hanc, tertio, ni fallor, a capite repetendam
»esse dicebas. Ita est. Quod autem sequitur attendamus.
»Equidem ea cum viderem, quæ modo persequebar; ac
»propterea non Philebi modo, sed infinitorum etiam alio-
»rum vocem permoleste ferrem: humanæ vitæ, mentem
»voluptate longe meliorem ac potiorem esse defendi. Sic
»est. Deinde cum alia quoque permulta esse conjicerem;
»addidi, si quid fortassis utroque melius occurreret, me
»pro mente rursus contra voluptatem pugnaturum, ut hac
»ejecta, secundus menti locus tribueretur. Hoc etiam ad-
»didisti. Præterea, quam neutra satis per sese foret, satis
»admodum probavimus. Verissima loqueris. Ita per hanc
»disputationem effectum est, ut neque mentem neque vo-
»luptatem ipsum per sese bonum esse statueremus, quod
»ex sese neutra sufficeret, neutra perfecti ac numeris om-
»nibus absoluti vim et facultatem haberet. Optime. Porro
»cum tertium nobis aliud occurrisset hac utraque præs-
»tantius, tum vero infinitis gradibus, mentem victoris illius
»formæ propinquiorem et conjunctiorem esse perspeximus,
»quam voluptatem. Nam qui aliter fieri potuisset? Maneat
»igitur, voluptatis vim, eo judicio quod, paulo ante exer-
»cuimus, quinto in gradu consistere. Per me licet. At in
»primo nunquam: tametsi omnis contra boum, equorum,
»ac cæterarum omnium ferarum multitudo vociferetur,
»quod delectationem unam persequatur, quibus plerique
»fidem, non secus ac volucribus augures, dum habent,
»voluptates nobis ad bene vivendum potissimas esse pro-
»nuntiant, ejusque rei certiores esse testes ferarum ipsa-
»rum, quam eorum quæ passim erudita musa fundit ora-

» culorum amores opinantur. Nos vero, Socrates, hæc abs » te omnia verissime dicta esse fatemur universi. » Hactenus Plato. Nunc juvat etiam ex Dionysii episcopi, hominis christianam philosophiam professi opere, quod de natura conscripsit, pauca quædam e multis, quæ adversus Epicurum disputat, subjungere. Tu verba ejus ipsissima perlege.

CAPUT XXIII.

—

Adversus Epicureos, qui et Providentiam tollebant, et individuis corporibus universa tribuebant. Ex Dionysii alexandrini episcopi libris de natura.

« Utrum, *inquit*, unum est, atque aptum ex sese universum, uti nobis Græcorumque sapientissimis Platoni » et Pythagoræ, Stoicis, et Haraclito videtur: an duo, quemadmodum forte non nemo cogitarit: an multa potius » adeoque infinita? ut aliis quibusdam placuit, qui pluribus » mentis erroribus, ac variis appellationum formis, uni» versi naturam distrahere ac lacerare conati, infinitum » illud esse, ortu carere, nec ullo Providentiæ consilio regi » voluerunt. Hi enim atomos, incorrupta quædam exigua» que corpuscula, numeroque infinita nominantes, unaque » spatium aliquod vacuum, nec ullis finibus circumscrip» tum invehentes, atomos illas dictitant, hoc in vacuo » temere dum feruntur, dum casu propter impetus pertur» bationem, aliæ cum aliis concurrunt, ac propter multi» plicem figuram inter sese commiscentur, cum apprehen» dere mutuo sese, tum hunc quoque mundum, quæque » ipso continentur omnia; imo vero mundos etiam infinitos

» efficere. Hac in sententia Epicurus Democritusque versati sunt : hoc uno discrimine, quod Epicurus minimas » omnes atomos, quasque propterea sensus non attingeret, » Democritus nonnullas saltem maximas esse vellet. Cæte» rum individuas illas et dici et esse, propter indissolubilem » earum firmitatem, uterque docet. Sunt tamen, qui ato» morum nomine corpora quædam intelligunt, quæ par» tibus careant ipsa quidem, sint tamen universi partes, » ex quibus, individuæ cum sint, conflata primum omnia, » in easdem quoque dissolvantur. Harum, pro ut partibus » carent, nominis auctorem faciunt Diodorum : Eas enim » ὄγκους, hoc est moles, seu pondera Heracildes vocabat, » unde etiam Asclepiades medicus nomen invenit. » Hæc præfatus multis deinceps hoc dogma confutat, interque cætera, verbis quæ sequuntur.

CAPUT XXIV.

Rerum inter homines vulgarium exemplis, Epicureorum dogma refellitur. Ex eodem.

« Qui tandem homines istos feramus, dum opera sa» pientiæ plena, eoque ipso bona, casu facta esse dicunt? » quæ et singula seorsim, et simul universa, ei cujus om» nia jussu extiterant, bona sint visa. Vidit enim, inquit, » Deus cuncta quæ fecerat : et ecce bona valde[1]. Quanquam » ne pusilla quidem illa cogitant vulgarium exempla rerum » quorum ipsi monitu doceri possint, quicquid ejusmodi » est, ut fructus aliquid et utilitatis afferat, id non temere

[1] Gen. I, 31.

»ac sine studio fieri, sed potius solerti manuum opera »suum ac proprium in usum elaborari : at idem simulatque fructuosum et commodum esse desinit, solvi continuo, et confuse admodum ac perturbate dissipari utpote »quod ea non amplius sapientia, cujus ipsum ante cura »conservabat, tractetur ac regatur. Ita vestimentum nec »stamine, absque textoris manu, se ipso consistente, nec »sub tegmine se ipsum ultro eidem implicante pertexitur: »cujus tamen, ubi disrumpitur, lacera hinc inde frusta »disjici videas. Ita cum domus aut urbs ædificatur, non »lapides excipit, alios in fundamenta sponte subsidentes, alios superius in structuræ corium ultro subvolantes: »sed architectus in suum quosque locum delatos apte concinneque disponit. At postquam subruta est, ubi ubi casus tulerit, singuli disjecti passim temereque jacent. Ita »dum navis compingitur, non se ipsam carina summittit; »non malus in medio rectum sese tollit, non ligna cætera »situm ex sese fortuitum accipiunt : nec centum illa, quæ »vulgo in plaustro ligna numerantur, quem vacuum quæque locum repererint, in eo sponte coagmentantur. Faber lignarius suis apta quæque locis in utrumque comportat. Quod si aut navis medio jactata mari, aut plaustrum in terra dum agitur, dissolvatur, utriusque ligna »vel fluctibus, vel incitato impetu dissipantur. Ita plane dicendum iis fuerit, suas illas atomos, quod otiosæ, quod »nulla manu perpolitæ, quod inutiles maneant, temere »circumferri. Spectent enimvero, quæ spectari, cogitent »quæ cogitari non possunt, nec jam ut ille, qui hoc abs Deo »sibi patefactum Deo ipsi confitetur, his verbis, imperfectum tuum viderunt oculi mei[1]. Nunc vero, pulcherrima illa »et elegantissima, quæ suis ex atomis contexta esse dicunt, »dum ab iisdem sine consilio ac sine sensu perfecta esse

[1] Ps. CXXXVIII, 16.

» addunt, quis tandem eos ferat, indigestas ac rudes ato-
» mos obtrudentes, quos araneus sapientia longe superet,
» quum suum illud opus suapte industria conficiat?

CAPUT XXV.

Idem ex universi molitione conficitur. Ex eodem.

» Quis æquis porro auribus audiat, ingentem hanc do-
» mum, ex cœlo terraque constantem, qui propter maxi-
» mam illam et multiplicem, quæ huic insidet, sapientiæ
» vim, mundus vocatur, ab atomis quæ nullo ferantur or-
» dine, ordinem atque ornatum omnem accepisse, ac per-
» turbationem ipsam in mundum esse mutatam? Quis
» statos illos motus atque conversiones, ex inconstanti quo-
» dam impetu proficisci? Quis absolutam rerum cœlestium
» harmoniam, ex inconditis et inconcinnis instrumentis
» temperari? Quomodo autem, una cum omnium essentia
» sit incorruptibilisque natura, solo, ut aiunt, magnitudi-
» num figurarumque discrimine; corporum tamen, alia
» quædam, ut ipsi vocant, divina sunt, satis superiora, et
» sempiterna, vel ævi saltem ut nonnemo loqui maluit, lon-
» gioris: eaque partim visu percipiuntur, ut sol, luna, stellæ
» terra et aqua; partim sensum fugiunt, ut dii, dæmones,
» et animi? Hæc enim esse, ut maxime velint, negare non pos-
» sunt. Alia diuturnæ admodum vitæ, sive animantium,
» sive plantarum ex genere: animantium, ut aves inter
» (quod ipsi dictitant) aquilæ, corvi atque phœnices: e
» terrestribus cervi, elephantes, ac dracones; e piscibus,
» quæ cete dicuntur: plantarum vero, ut palmæ, quercus,
» et perseæ. Quarum etiam nonnullæ perpetuam retinent

» viriditatem, cujusmodi quatuordecim a quopiam numerantur : aliæ certo florent tempore, certo quoque frondibus exuuntur. Alia denique, ac multo sane plurima, sive nascantur e terra, sive gignantur, iniquissimis fati vitæque brevissimæ angustiis includuntur : e quibus homo etiam ipse est, ut alicubi divina de illo Scriptura loquitur, dum ait, mortalis autem, natus de muliere, brevi vivens tempore[1]. Diversos, opinor, atomorum nexus, tantæ hujus in persistendo differentiæ causas esse respondebunt. Alia enim videlicet, pressius ab iis arctiusque constringi, quæ proinde uti densiora, sic ad dissolvendum longe difficillima sint : alia vero, quod laxiori ac solutiori atomorum colligatione devincta sint, atque id etiam cum aliquo discrimine ; celerius propterea vel tardius ab earum ornatu complexuque removeri. Postremo ex certis quibusdam alia, certoque modo figuratis, alia ex aliis ac sese aliter habentibus esse commixta. Sed quis ille porro, diversarum quasi tribuum judex, alias cogit, dissipat alias ? quis eas sic inter se committit, ut inde modo sol, modo luna oriatur ? quis denique singularum stellarum naturis, quæ quibusque propria sunt nativaque contribuit ? Nec enim profecto, aut solares illæ tot atque tales, eoque conjunctæ modo, ad lunæ procreationem concurrerent, aut lunarium atomorum nexus solem unquam efficerent. Ita nec arcturus, tametsi perillustris, ex auroræ, nec orionis ex atomis conflatas se pleiades unquam glorientur. Præclare enim Paulus ista distinxit ; Alia, *inquit*, claritas solis, et alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in gloria[2]. Profecto, si earum tanquam inanimatarum coagmentatio sensu omni caruit, industrio ac perito artifice opus habuere : si tanquam rationis expertium, vacua consilii, necessitatem est secuta

[1] Job. XIV, 1. — [2] I. Cor. XV, 41.

» conjunctio sapientis omnino pastoris manu locum in unum
» compelli debuere : si denique suapte sponte voluntarium
» ad opus convenere, admirabilis plane architectus, ope-
» rumque præses, suum cuique munus pensumque de
» scripsit : aut quemadmodum ordinis amans imperator,
» non perturbatum reliquit exercitum, non permisceri om-
» nia passus est, at loco suo equitem, peditemque suo dis-
» posuit, jaculatores item seorsim, seorsimque sagittarios,
» atque ubi par erat fundibularios collocavit, ut similis ar-
» maturæ milites simul etiam omnes dimicarent. Qui si ridi-
» culum hoc exempli genus esse dicent, quod magnorum
» corporum cum minimis contentionem instituam; ad mi-
» nima veniemus. Hæc ille. Quibus deinde quæ sequuntur
» adjungit. Quod si ducis, inquit, neque nomen, neque
» delectus, neque collocatio in earum sese moderationem
» ingessit : at ipsæmet suopte arbitrio ex multa sese conti-
» nui fluxus turba colligentes, magnoque variarum commis-
» sionum tumultu declinato, similes cum similibus ita
» convenerint, ut tamen non divini numinis ductum,
» quemadmodum poeta fingit, secutæ sint : sed potius,
» cum sese affines mutuo cognatæque nossent, in unum
» quasi gregem confluxerint : næ admirabilis hæc atomo-
» rum democratia est; ubi amicæ amicas excipiant, atque
» complectantur, itaque unum in domicilium convolent
» universæ. Tum certæ quædam ultro, in solem magnum
» illud sidus, quodam quasi torno rotundentur, ut diem
» efficiant : aliæ, quo cœlum integrum coronent, in pluri-
» mas fortassis ardentium stellarum pyramides figurentur :
» aliæ in orbem digestæ, firmitatis aliquid ætheri afferant,
» eoque testudinis in morem concamerato, subeuntibus
» cœli luminibus, quosdam quasi gradus præstruant : adeo-
» que vulgarium atomorum factiones domicilia sibi deligant,
» ac cœlum ipsum proprias in domos atque stationes in-

»ter sese partiantur. Rursus aliis quibusdam interjectis.
»Imo, inquit, ne obvia quidem vident homines impro-
»vidi, tantum abest ut occulta provideant. Utique ratos
»illos atque constantes ortus obitusque siderum, non cæte-
»rorum modo, verum etiam solis omnium nobilissimos,
»ne suspicando quidem videntur attingere : nec iis uti
»commoditatibus, quas hominum generi suppeditant, aut
»collucente ad obeundum opus die, aut nocte quietis ca-
»piendæ causa terras opacante. « Exibit enim homo, *in-*
»*quit*, ad opus suum, et operationem suam usque ad
»vesperum [1]. Nec vero alteram ejus circuitionem atten-
»dunt, qua distinctas tempestates, opportunaque tempora,
»nec usquam detortas conversiones efficiat, earum videli-
»cet, ex quibus ipse consistit, atomorum ductum se-
»cutus. At enimvero, velint nolint homines reapse mi-
»seri, quomodo tamen sibi persuadent, æquissimi : magnus
»ille dominus, qui solem creavit, verborum quoque suorum
» vi ejusdem cursum incitavit. Atomi quippe, hyemem vo-
»bis, o cæci, ac pluvias afferunt, ut alimenta vobis ac
»cæteris animantibus terra producat. Earumdem æstas be-
»neficium est, ut arborum etiam ad delicias fructus colli-
»gatis. Quidni porro atomis frugum præsidibus solenni
»cultu sacra facitis? Homines ingrati, qui tot donorum,
»quæ ab iis accipitis, ne primitias quidem pauculas con-
»secretis. Iterumque post pauca, multiplex autem, inquit,
»illa stellarum natio, quam erraticæ ac semper huc illuc-
»que disjectæ atomi conflaverunt, sedes ipsa sibi, coloniæ
»cujusdam aut sodalitatis more, communi ex pacto, dis-
»tribuit, nullius aut conditoris, aut familiæ præsidis auc-
»toritatem secuta. Atque ita deinceps, mutua cum fini-
»timis, religiose altaque cum pace, omnes viciniæ jura
»custodiunt, nec eos unquam fines, quos ab initio acce-

[1] Ps CIII, 23.

» pere, transiliunt, prorsus ac si regiarum quarumdam
» atomorum legibus regerentur. At non imperant illæ
» profecto. Qui enim imperent, quæ nullæ sunt? Audite
» vero divinorum oraculorum vocem, « in judicio domini
» opera ejus. Ab initio, et a creatione ipsorum, distinxit
» partes illorum. Ornavit in æternum opera sua, et prin-
» cipia eorum in generationes eorum[1] ». Additque paulo
» post; aut quæ unquam acies, inquit, tam composito
» agmine campum transmisit, præcurrente nemine, ne-
» mine deerrante, nemine aut impedimentum offerente
» cæteris, aut cæteros minus consequente : quam æquatis
» semper ordinibus, et pressis veluti clypeis, perpetuus
» ille, nec usquam aut interruptus, aut perturbatus, aut
» obice ullo retardatus astrorum exercitus progreditur?
» Atqui transversis quibusdam inclinationibus ac nutibus,
» obscuræ nonnunquam eorum mutationes fiunt. Esto.
» Semper tamen et justum observant tempus, et loca illa,
» unde singula oriuntur, prospiciunt, qui hoc in studii
» genere occupantur. Dicant ergo nobis atomorum sectores
» egregii, qui et dividunt individua, et dissita sejunctaque
» consociant, et infinita mente definiunt; unde tandem
» circularis ille rerum cœlestium conjunctusque cursus at-
» que conversio : cum non una quædam atomorum strues
» sic tanquam funda temere circumrotetur; sed chorus
» ille tantus composito æqualique gressu procedat, et in
» orbem una volvatur : aut quo pacto fiat, ut tam multi
» ejusdem viæ socii, a nemine ordinati, nullo præditi con-
» silio, sibique mutuo ignoti omnes, tanta simul concordia
» susceptum iter conficiant? Merito enim propheta, hoc
» tanquam ex iis unum quæ nec fieri nec ostendi queant,
» protulit, ut duo simul peregrini concurrant, dum ait,
» convenient ne duo in idem diversorium, si non se mutuo

[1] Eccles. XVI, 26.

»noverint? » Hæc ille. Qui sexcenta alia persecutus, susceptum deinceps argumentum pluribus confirmat, partim ex singulis universi elementis, partim ex omnis generis animantium, quæ complectuntur, multitudine : partim ex ipsa quoque hominis natura depromptis. Equibus ubi pauca quædam superioribus addidero, tum demum huic libro finem imponam.

CAPUT XXVI.

Idem ex hominis natura concluditur. Ex eodem.

« Ac ne se quidem ipsos, inquit, nec quæ naturæ suæ »propria sunt, isti vident. Si quis enim ex illis impiæ doc»trinæ principibus, qui tandem, aut unde sit, cum animo »reputaret suo, is profecto velut in suimet sensum ad»ductus, saperet illico, acque hac voce, non jam atomos, »sed patrem ipse creatoremque suum appellaret, « Manus »tuæ formaverunt me, et fecerunt me [1]. Et quemadmo»dum alter ille, admirabilem molitionis suæ rationem »pertexeret, « Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut ca»seum me coagulasti? Pelle et carne vestisti me, ossi»bus et nervis compegisti me. Vitam et misericodiam »tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum [2] ». »Quot enim, amabo, et cujusmodi atomos Epicuri pa»ter ex se profudit, cum Epicurum proseminaret? »Quomodo in matris ejus alvum inclusæ coaluerunt, figu»ram ac formam acceperunt, commotæ sunt, auctæ sunt? »Quomodo ros ille perexiguus, plurimas Epicuri atomos »cum advocasset, alias in cutem carnemque mutatas con-

[1] Ps. CXVIII, 73. — [2] Job. X, 10.

» vestivit, aliis in ossa conversis erectior ac solidior con-» stitit, aliis nervorum complexu illigatus est? Quo deni-» que modo vim tantam membrorum aliorum, viscerum, » intestinorum, sensus instrumentorum, intrinsecus ex-» trinsecusve conflavit, quæ vivum ac spirans corpus effi-» ceret? Nam ex illis quidem omnibus otiosum nihil est, » nihil inutile, non pili, non ungues, non cætera quæ ab-» jectissima videri possint : omnia vel ad constituendam » ejus integritatem, vel ad speciem dignitatemque condu-» cunt. Nec enim usui duntaxat uni providentia, sed etiam » pulchritudini ac formæ prospicit. Itaque totius capitis » propugnaculum quoddam ad tegumentum coma est: » barba philosophi decus et ornamentum. Illa igitur inte-» gri corporis humani naturam ex partibus necessariis om-» nibus coagmentavit, membrisque omnibus cum mutuam » inter se communionem indidit, tum ex totius etiam opi-» bus prolixe ad modum ac liberaliter admensa est. Et » membra quidem potissima, quam vim et facultatem ha-» beant, usu et experientia ipsi etiam idiotæ norunt. Ca-» pitis principatus, circa cerebrum tanquam imperatorem, » sensuum in acropoli excubiæ atque præsidia, progre-» dientes oculi, aures nuncios perferentes, gustatus velut » commeatum annonamque convehens, olfactus indagans » quodammodo atque vestigans, tactus subdita omnia di-» gerens et ordinans. (Nunc enim ex sapientissimæ provi-» dentiæ operibus summatim pauca tantum aliqua percur-» rimus, iidem paulo post, cum adversus illum, cujus » major est eruditionis opinio, disputabimus, uberius Deo » duce, ac plenius omnia persequemur.) Manuum ergo » deinceps ministerium, quæ omnis generis functiones » obeunt, artesque moliuntur singularis ingenii, propriis » quibusque facultatibus ad unam functionum societatem » instructæ, humeri gestandis oneribus idonei, digitorum

» prehensiones, flexiones cubitorum, quæ uti res vel attra-
» here possint vel depellere, intrinsecus extrinsecusque ver-
» santur: Pedum obsequium, per quos creata circa terram
» omnia nobis obsecundant, quibus terræ peragrantur, na-
» vigantur maria, fluvii trajiciuntur, omnium commercia
» cum omnibus ineuntur. Venter ciborum ærarium, mem-
» bris omnibus suo quibusque loco et ordine collocatis,
» justam per sese annonam distribuens, et quidquid super-
» fluum est, ejiciens. Ac cætera, quorum vi humanæ fir-
» mitatis et conservationis ratio continetur. Horum usus in
» stultis æque sapientibusque similis est, cognitio dissimilis.
» Alii quippe quam animo divinitatem informarint, ad eam,
» ut quæ rerum omnium scientissima sit, atque in se ipsos
» beneficentissima, totam referunt hujus œconomiæ ratio-
» nem, quod eam superioris cujusdam prorsusque divinæ
» cum sapientiæ tum potestatis opus existiment: alii contra
» insulse ad modum, fortunæ et casui administrationem
» summa dignissimam admiratione defendunt. At vero effi-
» caciorem adhuc rerum istarum considerationem, et par-
» tium interiorum rationem, medici quidem altius diligen-
» tiusque rimati, ac vehementius admirati, divinitatem
» naturæ tribuerunt: nos eam postea, jejune fortassis et
» exiliter, at pro facultate nostra persequemur. Nunc ut
» universe hoc summatimque dicamus, ecquis obsecro,
» totum hoc tabernaculum fabricatus est, sublime, altum,
» erectum, elegans, ad sensum, motum, actionem, et omne
» quidem actionis genus, tam egregie comparatum? Ista
» videlicet atomorum multitudo rationis expers. At illæ, ut
» maxime conveniant, ne luteam quidem imaginem for-
» mare, aut lapideum simulacrum perpolire, aut argenteum
» vel aureum idolum conflare possint: quorum omnium pro-
» prias manuum artes, fingendis aptas corporibus, homi-
» num excogitavit industria. Quorum igitur sine sapientia

» vel adumbrari species informarique non possit, horum » vera ipsa exemplaria, qui tandem existere per sese temereque potuerunt? Jam animum ipsum, mentem, atque rationem philosophus unde habet? Ea ne ab inanimis, » et mentis ac rationis expertibus atomis emendicavit, quæ » sibi aliquam singulæ notionem dogmaque propriam infuderint? et quemadmodum Pandoram a diis Hesodius » fabulatur, sic ab atomis absoluta hominis sapientia fuerit? ita poesin deinceps omnem, omnemque musicam, » astronomiam, geometriam, cæterasque doctrinas, deorum » inventa Græci atque instituta vocare desinant: solæ omnium peritæ, ac sapientes atomi, Musæ celebrentur. » Nam illa quidem ex atomis Epicuri Theogonia, ex infinitis etiam mundis exulavit, in infinitam perturbationis » vastitatem ejecta. »

CAPUT XXVII.

—

Operum suorum molitionem Deo laboriosam ac molestam non esse. Ex eodem.

« Moliri aliquid, administrare, benefacere, providere, » aliaque similia, inertibus quidem ac stultis, debilibus ac » nequam, molesta forte sint, quorum se numero, dum » talia de diis sentit, Epicurus adjungit. At vero studiosis, » valentibus, industriis, atque solertibus, cujusmodi philosophos (quanto magis Deos?) esse oporteat; non modo » non injucunda hæc atque aspera, verum etiam jucundissima sunt, omniumque suavissima: quibus negligentia rerumque bonarum procrastinatio dedecori vertitur;

» ad quos illud commonentis poetæ consilium pertinet,

« Cras ne expectato [1]: »

Cui mox comminationem hanc adjungit,

« Cunctator damnis semper luctatur acerbis. »

» At nos gravius instituit propheta, dum et actiones cum » virtute conjunctas Deo vere dignas esse pronunciat, et » nefarium illum, a quo negligantur, appellat : Maledictus » enim, qui facit opera Domini negligenter. Deinde ut in » quavis arte rudes et inchoati, propter experientiæ no- » vitatem, atque operum insolentiam, dum ad rem sese pri- » mum accingunt, molestiam patiuntur : ita qui aliquid » profecere, multoque magis qui perfecti jam sunt, ii quæ » susceperint dum facile feliciterque conficiunt, exultant ani- » mis, ac solemnium operum absolutionem, bonis homi- » num omnibus anteponunt. Et vero Democritus ipse, » causam unam aliquam, ut ferunt, invenire, quam sibi » Persarum imperium obvenire maluisset : atque id homo » qui causas frustra causisque sublatis inquireret, cum » inane principium, ac plenam erroris hypotesin secutus, » atque in radice communique naturæ rerum necessitate » cæcutiens, eorum quæ imprudenter stolideque continge- » rent notitiam, summæ sapientiæ genus putaret, fortunam- » que rerum universalium atque divinarum dominam regi- » namque constituens, cæteraque omnia ejus arbitrio fieri » pronuntians, eamdem tamen ab humanæ vitæ commercio » procul ablegaret, quique illam colerent, insulsos esse » convinceret. Sane quidem ipsomet institutionum suarum » exordio, sic loquitur : Homines, *inquit*, dum stultitiæ » suæ velum quærerent, vanum fortunæ simulacrum fin- » xerunt : (pugnat enim suapte natura cum fortuna consi-

[1] Hesiod. in ἔργ. v. 408.

» lium,) inimicissimamque prudentiæ dominari voluerunt; » tametsi potius ac etiam exterminata funditusque sublata, » ejus in locum alteram illam sufficiunt; nec enim fortuna- » tam isti prudentiam, sed prudentissimam canunt cele- » brantque fortunam. Porro utilium vitæ operum modera- » tores omnes, navanda suis opera maxime delectantur, » laudemque simul et gloriam cum laboribus suis pro com- » muni salute susceptis compensari volunt : alii quidem » alendo, regendo alii, alii medendo, alii rempublicam ge- » rendo: ipsique adeo philosophi suo illo instituendorum » hominum conatu ac studio majorem in modum efferun- » tur. Audebunt ne vero Epicurus et Democritus dicere, » molestum sibi atque invisum esse philosophandi munus? » Imo non aliam profecto huic animi voluptatem antepo- » nant : Etsi enim bonum voluptatem omnem esse statuunt, » hoc tamen dicere verebuntur, philosophari sibi non esse » vulgari voluptate jucundius. Deos porro, quos poetæ » quidem bonorum auctores prædicant, philosophi vero » isti, nullius omnino boni vel auctores esse, vel participes » ridendo jactant; Deos, inquam, illos, quibus tandem » rationibus ut deos esse putent adducuntur; quos nec præ- » sentes videant, nec rerum quicquam molientes : (quod » secuti saltem videntur, qui solem, lunam, ac stellas » admirati, Θεοὺς hoc est deos, διὰ τὸ θεῖν id est, a currendo- » vocatos esse dixerunt) nec ullo prorsus in operum aut » functionum genere versati credant, ut eos ἐκ τοῦ θεῖναι, » hoc est ab efficiendo θεοποιήσωσιν deos efficiant : (prop- » terea quippe omnium effector atque molitor unus vere » Deus est,) nullo denique vel gubernationis, vel judicii, » vel beneficii vinculo cum hominibus teneri velint, ut cul- » tum iis aliquem vel metu, vel honoris causa debeamus? » Nunc Epicurus forte, cum ultra mundum hunc prospiciens, » ac cœlestem illum ambitum prætergressus, aut per oc-

» cultum quoddam posticum, sibique soli notum egres-
» sus, Deos in vacuo degentes vidit, ac summam eorum
» tantis in deliciis felicitatem admiratus, voluptatem
» inde concupiscit, atque illam quæ in vacuo ducitur vi-
» tam æmulatus, omnes continuo tanquam deorum il-
» lorum similes futuros, ejus ad felicitatis communionem
» ac societatem invitat. Quibus ille cœnaculum, non
» jam cœlum aut Olympum, ut poetæ, sed vacuum in-
» struit, confectam ex atomis apponens ambrosiam, in-
» didemque haustum nectar propinans. Cæterum iis de
» rebus, quæ nihil ad nos pertineant, mille juramenta sacras-
» que obtestationes suis passim libris inferciens, per Jovem
» assidue vel negat aliquid vel affirmat, lectoresque suos,
» et eos quibuscum ipse disputat, deorum obstringit reli-
» gione, non quod illos ipse vereatur, aut perjurium ullo
» modo reformidet; sed inanem hanc atque mendacem,
» vanamque ac nihil omnino significantem disputationum
» suarum appendicem effutiens, non aliter ac si excreet
» aut expuat, aut convertat vultum, aut manum commo-
» veat. Ejusmodi quippe omnis ista deorum appellatio est,
» superflua quædam ac sensus expers studiique simulatio.
» At illud quidem longe certissimum, cum Athenienses a
» Socratis interitu metueret, ne qualis erat atheos esse vi-
» deretur, vacuas iis leviculorum deorum umbras novum
» circulatorem informasse. Nec enim profecto aut spiritali-
» bus unquam oculis suspexit in cœlum, ut clarissimam il-
» lam superioribus e locis vocem exaudiret, qua intentus ille
» contemplator afflatus cum esset, exclamavit, « cœli enar-
» rant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat Firma-
» mentum [1]. » Aut vero solum ipsum mente despexit; hoc
» enim si fecisset, didicisset utique, quod « misericordia
» Domini plena est terra, » quodque [2], « Domini est terra, et

[1] Psal. XVIII, 8. — [2] Psal. XXXII, 51.

» plenitudo ejus. Et illud, post hæc enim, *inquit*, Dominus in » terram respexit, et implevit illam bonis suis. Anima omnis » animantis operuit faciem ejus [1]. » Qui si nimia cæcitate non » laborant, tantam illam ac tam variam animantium multitu- » dinem contemplentur, terrenarum, volatilium, aquatilium, » ac demum intelligant quam verum hoc in omnium procrea- » tione testimonium fuerit, « Et omnia secundum ejus man- » datum extiterunt bona. » Hæc mihi e pluribus libata sunt atque decerpta, quæ Dionysius episcopus æqualis noster adversus Epicurum disputavit. Jam vero tempus est, ut ad Aristotelem transeamus, simulque stoicorum philosophorum sectam, ac cætera egregiorum physiologorum genera videamus, ut nostri ab iis quoque dissidii rationem atque defensionem, hominibus reprehendendi cupidis probare conemur.

[1] Eccl. XVI, 30.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

CAPUT I.

Procemium, quo totius operis argumentum explicatur.

Cum ingens operæ pretium me facturum putarem, si quam deorum multitudinem communis ille populorum omnium error invexerat, in ipso evangelicæ Præparationis limine coarguerem : quo facilius postea discessus ab illis nostri plenum æquitatis ac sapientiæ consilium probaretur : non eas modo fabulas, quas ipsimet eorum theologi ac poëtæ, suis de numinibus, comico prorsus more docuerunt; verum etiam honestiores illas planeque reconditas, quæ ex natura ducuntur, explicandi rationes, quasque sursum in cœlum, ac cæteras mundi partes egregiæ philosophiæ vis facultasque traducit, ante omnia primis tribus libris diligenter excussi. Quanquam in iis speciosum hoc totum philosophandi genus repudiandum esse, vel ipsi eorum theologi confitentur. Atque id sane diligenter in primis observandum, quos illi vetustissimos omnium theologos habuerunt, eos præter nudam rerum historiam agnovisse nihil, solis inhæsisse fabulis, pluribus testimoniis constitisse. Quo factum proinde sit, ut in omnibus passim urbibus atque pagis, uti a veteribus concepta fuerant omnia, deorum religiones atque mysteria, jactatis pridem fabulis,

consentanea traderentur. Imo etiamnum deorum vulgo nuptiæ, liberorum procreationes, luxus, temulentæ perpotationes, aliorum errores, amores aliorum, iræ, ac cæteræ omnis generis calamitates, et casus, prout ab antiquissimis illis traditum atque præscriptum est, tam in sacris, quam in hymnis, ac deorum in honorem editis carminibus, solenni ritu celebrantur. Sed tamen liberalius agere placuit, ac totam illam naturalium etiam accommodationum pompam ac speciem, tanta verborum ambitione jactatam, et inventas a sophistis atque philosophis enarrationes ob oculos ponere. Deinde quæ ad decantata ipsorum oracula pertinebant, simulque celebratam a plurimis illam quidem, sed tamen vanam fati opinionem, perspicuis aliorum trium librorum argumentis confutatam nudavi : non domesticis modo rationibus, sed etiam ipsissimis græcorum maxime philosophorum testimoniis eum in finem usus. Tum ad Hebræorum inde literas ac monimenta progressus, quo tandem consilio et comprehensam ipsis dogmaticam eorum theologiam, et quæ græcorum etiam hominum vocibus confirmatur universam gentis historiam, complexi fuerimus, totidem quoque libris aperui. Deinceps, cum patefactis Græcorum moribus, eos a Barbaris hominibus omnia mutuatos esse, nullumque domo promere gravioris disciplinæ genus, collatis etiam atque commissis eorum, quos maxime Græci prædicare solent, hebræorumque prophetarum temporibus, ostendissem : tribus inde libris sequentibus, græcanicæ philosophiæ principum cum Hebræorum doctrina consensionem, testibus similiter gentilium suorum vocibus comprobavi. Quinetiam quotquot apud Græcos philosophi diversam a nostra opinionem secuti sint, eos vero non a nobis tantum, sed etiam a suis dissidere, ac discipulorum quoque suorum disputationibus refelli, superiore libro clarissime

demonstravi. Quibus ex omnibus mentis nostræ sinceritatem atque integritatem lectores intelligant, ac rerum ipsarum, ut ita loquar, perspicua certaque fide constet, quam non inconsiderate, sed prudenti maturoque judicio, Hebræorum priscam simul veram philosophiam atque pietatem græcanicæ prætulerimus. Quod ipsum a nobis expressa græcorum testimoniorum auctoritate confectum est. Hujus porro supremam tractationem, qui decimus quintus suscepti operis liber est, huc usque distulimus, in quo sic ea, quæ superioribus ex disputationibus reliqua sunt, pertexemus, ut speciosa illa egregiæ Græcorum philosophiæ mysteria in lucem etiamnum proferamus, quamque nihil solidæ veræque eruditionis habeant, omnium in oculis defigamus. Quo in genere primum ac præcipuum hoc futurum est, ut quivis agnoscat, non ulla rerum quas tantopere demirantur ignoratione, sed inanis earum studii contemptu, omnem prope nos illarum curam exuisse, animis ad meliorum usum exercitationemque traductis. Huic igitur ubi Deo duce impressum fuerit veritatis sigillum, extremam Præparationi nostræ coronidem imponemus. Unde ad perfectius evangelicæ Demonstrationis argumentum progressi, posterioris hujus disputationis initium, quod ab altero accusationis nostræ capite ducetur, cum prioris illius fine contexam. Nobis autem crimini dabatur, quod cum patriis legibus Hebræorum oracula prætulerimus, minime tamen Judæis simile vitæ genus institutumque teneamus. Cui ego criminationi, favente Deo, post exactum hunc librum respondere conabor. Sic enim demum futurum existimo, ut posteriora cum prioribus uno quasi complexa nexu, unam universe totius operis sententiam efficiant. Jam ut in eo quod agimus, hæreamus; quandoquidem superioribus libris evidenter ostendimus, Platonis philosophiam, modo cum Hebræorum doctrina

consentire, modo dissidere ab eadem; imo interdum etiam sua ipsammet decreta refellere: cæterorum præterea philosophorum, quos vulgo physicos nominant, tum eorum qui Platoni successere, tum etiam Xenophanis, Parmenidis, Pyrrhonis, et eorum, qui assensus retentionem invexere, tum aliorum deinceps omnium sententias præcedenti libro vidimus, cum Hebræorum simul Platonisque doctrina, adeoque cum ipsa veritate palam rectaque pugnare, ac sese mutuo suis quasi telis confodere. Jam, inquam, tempus est, ut alium illum Aristotelis Stoicorumque fastum e superiore loco, sic tanquam e scena contemplemur, unaque reliquam superciliosorum hominum physiologiam videamus, quo simul ac semel cum ea, quæ tam speciose graviterque jactant, tum etiam illa, quibus a suis ac domesticis refelluntur, eadem opera cognoscamus. Sic enim futurum etiam est, ut discessus ab illis nostri consilium, omnem justæ accusationis petitionem effugiat: quo non graviorum apud illos dogmatum ignorantia, sed considerato admodum exploratoque judicio, quam apud eos, qui barbari dicuntur, veritatem ac pietatem reperimus, græcanicis omnibus potiorem habuerimus. Atque ut ab Aristotele ordiar, fuere quidem nonnulli, nec obscuri alioquin philosophi, a quibus ipsa quoque hominis vita calumniis proscissa est. At ego ne auditione quidem suorum in eum maledicta sustinere possim. Quamobrem editas potius ab Aristocle peripatetico defensionis ejus rationes exponam, qui libro de philosophia septimo ita de illo scribit.

CAPUT II.

De Aristotele, ac de iis quæ de illo prodita sunt. Ex Aristoclis peripatetici libro de philosophia septimo.

« Qui tandem fieri potuit, *inquit ille*, ut, quod epistola » de vitæ institutis Epicurus scribit, Aristoteles, juvenis » adhuc cum esset, patrimonium exhauserit, indeque com- » pulsus ad militiam fuerit? ubi quod res ei minus com- » mode cederet, egerit deinceps pharmacopolam; donec » tandem cum pateret omnibus Platonis ambulatio, eam » sibi ultro deposceret? Quis Timæum Tauromenitanum au- » diat, dum suis in historiis illum ait, affecta jam ætate, » neglectis obscuri cujusdam medici officinæ claudendis » foribus præfuisse? Quis de illo propterea secus existimet, » quod Aristoxenus musicus in Platonis vita referat, dum » peregrinaretur, abessetque longius, quem vocant peri- » patum, adversus eum peregrinos homines excitasse? Hæc » enim verba nonnulli de Aristotele accipiunt, cujus tamen » nunquam Aristoxenus, nisi perhonorifice meminit. Quin- » etiam ridiculos jure putaveris Alexini Eristici commen- » tarios. Alexandrum enim inducit, puer adhuc cum esset, » cum Philippo patre colloquentem, qui Aristotelis doctri- » nam despueret, Nicagoram cognomento Mercurium ve- » hementer probaret. Nudum item ac perspicuum Eubuli- » dis in suo adversus Aristotelem libro mendacium est, in » primis, dum frigida quædam poemata producit, quæ alii » de ipsius conjugio et cum Hermia consuetudine scripse- » rint : deinde, cum eumdem ait in Philippi offensionem » incurrisse, nec adfuisse morienti Platoni, ejusque libros

» depravasse. Nam Democharis quidem adversus philoso-
» phos criminationem quid moremur, qui non tantum in
» Aristotelem, sed etiam in alios suam hanc maledictio-
» nem effuderit? Quas tamen hominis calumnias qui atten-
» det, eum delirare merito dixerit. Aristotelis enim depre-
» hensas esse adversus Atheniensium urbem epistolas,
» eumque Stagira suam ipsius patriam, Macedonibus prodi-
» disse refert : itemque Olyntho jam eversa, quo in loco
» præda vendebatur, opulentissimos quosque Olynthiorum
» Philippo indicasse. Insulsus etiam ac futilis calumniator
» est Cephisodorus, Isocratis discipulus, qui voluptarium
» ipsum et catillonem, similibusque nominibus appellavit.
» At hæc omnia longe dementia superant, quæ a Lycone
» pythagoreo, ut se ipse vocat, objecta sunt. Scribit enim
» Aristotelem idem sacrificii genus, quod Cereri ab Athe-
» niensibus fiebat, demortuæ uxori facere solitum, atque
» illud ipsum oleum postea vendere, in quo calido jam
» ante lavisset. Quippe dum Chalcidem peteret, ollulas in
» navi æreas quinque et septuaginta repertas a publicanis
» fuisse. Atque hi fere principes Aristotelis calumniatores
» fuere : quorum nonnulli ejus ætate vivebant, alii paulo
» post : sophistæ omnes, contentiosi, ac rhetores, quorum
» nomina simul atque libri magis etiam periere quam cor-
» pora. Nam qui post illos extitere, aut qui jam ab iisdem
» objecta refricant, ii vero mittendi prorsus ac negligendi
» sunt, illique præsertim, qui cum ne superiorum quidem
» libros attigerint, maledicta per se ipsos temereque finxe-
» runt, cujusmodi sunt, qui ollas ejus trecentas numerant:
» nihil enim apud eorum ullum, qui tum vivebant, de
» philosopho tale reperias, si Lyconem illum excipies,
» qui tamen, ut jam ante dixi, ollulas tantum quinque
» ac septuaginta repertas esse commemorat. Porro non
» ex temporum modo, aut criminatorum ipsorum ra-

» tione, falsa illa esse crimina colligas, sed etiam ex eo, » quod non idem ab omnibus, sed a singulis proprium ac » singulare aliquid objiciatur : cujusmodi si vel unum » aliquod verum esset, millies eum, non modo semel, » ab iis qui tunc viverent, sublatum oporteret. Liquet » igitur, quod aliis plerisque, idipsum Aristoteli conti- » gisse, ut propter regum amicitias, ac summam erudi- » tionis excellentiam, æqualium sophistarum invidia labora- » ret. At æqui rerum æstimatoris fuerit, non solos hominis » calumniatores, sed laudatores etiam et æmulos cogitare : » qui sane haud paulo plures ac meliores esse reperien- » tur. Et quidem cætera vanitatem per sese ostendunt suam. » Duo modo sunt, a nonnullis in eo reprehendi, solita quæ » fidem aliquam impetrare videantur : Alterum, quod Py- » tiadem Hermiæ natura sororem, filiam adoptione, uxo- » rem duxerit, hominis gratiam hoc facto eblandiens. Ex- » tat quidem illud Theocriti chii epigramma,

« Eunuchi Hermiæ, Eubuli qui servus, inanem
» Hunc tumulum posuit vanus Aristoteles :
» Quem pro academia, voluit qua borborus undas,
» Dirus amor ventris jussit habere larem. »

» Alterum quod ingratus in Platonem fuerit. At Hermiam » quod attinet, atque Aristotelis cum eo consuetudinem, » cum alii ac de re multi scripsere, tum Apellico potissi- » mum, cujus sane libros qui legerit, eos continuo calum- » niari desinet. De inito cum Pythiade matrimonio, ipse- » met in iis, quas ad Antipatrum scribit epistolis, abunde » purgat. Hermia quippe jam vita functo, pro sua in eum » benevolentia, uxorem illam accepit, modestam sane ac » probam alioqui fœminam, sed quæ iniquiori tum fortuna » propter infestos fratris sui casus uteretur. » Hæc Aristocles, » quibus ista subdit. Post ejusdem Pythiadis Hermiæ filiæ

» obitum, Herpyllidem Aristoteles duxit, patria Stagiriti-
» dem ex qua Nicomachum filium suscepit. Orphanum hunc
» a Theophrasto educatum aiunt, atque admodum adoles-
» centem in bello periisse. » Verum ex illo Aristoclis opere hactenus. Jam vero tempus est, ut ad ipsamet Aristotelicæ philosophiæ decreta veniamus.

CAPUT III.

—

Aristotelis dogmata quæ fuerint. Ac primum quam ob Hebræis et Platone, in constituendo boni fine dissentiat.

Moses hebræique prophetæ, beate vivendi finem in præpotentis Dei cognitione et amicitia, quam religio perficiat, constituunt; veram porro religionem illam esse docent, qua Deo virtutum omnium complexione placeamus: Hanc enim bonorum causam esse, cum et unius in Dei potestate versentur omnia, et ab eo suis amatoribus omnia suppeditentur. His gemina Plato statuens, beatitudinis finem in virtute ponit. At Aristoteles aliam insistit viam, nec aliter beatum quemquam futurum esse defendit, quam si et bona corporis utatur valetudine, et externis opibus abundabit, quibus ipsa si virtus careat, juvet nihil. Eum vero quam acriter petant, quemadmodum hanc ejus opinionem falsi coarguant Platonis discipuli, ex sequentibus intelliges.

CAPUT IV.

Attici platonici disputatio, adversus Aristotelem, a Mose et Platone in constituenda finis ratione dissidentem.

« Cum philosophorum, *inquit*, omnium communi sen-
» su, humanam beatitudinem philosophia polliceatur uni-
» versa, eademque trifariam pro illa rerum omnium
» effectrice distributione dividatur: tantum abest, ut hoc in
» rerum genere platonicum aliquid peripaeticus iste doceat,
» ut ex pluribus qui a Platone dissentiunt, longius ab eo-
» dem nemo discesserit. Principio, quod omnium uti com-
» munissimum est, ita maximum idem, atque princeps, in
» eo Platonem reliquit, ac beatitudinis fines modumque
» prætergressus, satis ad eam per sese virtutem futuram
» negavit. Fugit eum quippe vis potestasque virtutis, eam-
» que fortunæ bonorum opera indigere ad felicitatem conse-
» quendam putavit: qua una si quis uteretur, ejus nunquam
» viribus ad illius possessionem pervenire posset. At ho-
» minis opinio cum hoc in genere, tum in aliis, quam
» ignava sit, erroris que plena, etsi hujus loci demonstrare
» non est; hoc quidem certe perspicuum existimo, cum in
» fine et felicitate constituenda, Platonis et Aristotelis non
» una sit eademque ratio; sed ille felicissimum eum, qui
» justissimus fuerit, prædicare passim et usurpare soleat;
» hic contra virtuti felicitatem comitari non sinat, nisi
» ad eam generis etiam formæque dignitas, ac cæterorum
» cumulus accesserit:

« Silicet ab bellum sese quasi virgo ferebat,
» Aureus. »

» quam diversus utriusque finis est, tam diversum utrum- » que necessario, quæ suum ad finem perducat, philoso- » phiæ genus profiteri. Nam qui viam unam quamdam, quæ » ad pusillum aliquid humileque tendat, semper insistit, is » ad majora profecto et altiora nunquam aspiret.

« Viden' ut hic alto collis assurgat jugo?
» Salebrosus, asper, cujus in summo sedens
» Pennas volucris allevat. »

» Ad excelsum illum montem evadere acris hæc et versi- » pellis bestia nullo modo potest : ut enim eumdem in lo- » cum aquilæ pulli vulpesque conveniant; aut illi disjecto » ac dissipato nido, in terram funesta quadam sorte deci- » dant, necesse est; aut vulpes ipsa, quas profundere » suopte natura non solet, præpetibus sese alis induat, » quibus ea demum sublata summum ad jugum evolare » possit. Quamdiu certe utrumque genus suo in loco gra- » duque consistet, nullum terrestribus animantibus cum » cœlestibus illis commercium esse poterit. » Hæc ille. Tum aliis quibusdam interjectis, ita prosequitur. « Quæ cum ita » sint, cumque Plato juvenum animos divinum ad numen » trahere conetur, itaque simul ad virtutem et honestatem » adjungere, ut cæterorum illis omnium despicientiam et » contemptionem injiciat : dic nobis, obsecro, bone peri- » patetice, quemadmodum hæc ipsa traditurus sis, quam » ad illa, Platonis amatoribus viam præiturus? Ecquam » doctrinæ vim excellentiamque tantam secta tibi tua repo- » sitam habet, ut aloadum illorum sensu fiduciaque plenus » viam ad cœlum moliri audeas? Hanc illi montes, monti- » bus imponendo, promptam sibi fore et expeditam puta- » bant : At id enimvero, quemadmodum Plato docuit, su- » blatis demum humanis cupiditatibus obtinetur. Ad hæc » igitur consequenda, quam tu junioribus opem ostendis?

» unde vel unum aliquod orationis genus, quod virtuti suf-
» fragetur? quibus ex Aristotelis operibus? aut cujusquam
» alterius, qui ejus e schola profectus sit? age, quibus tan-
» dem ex scriptis? Quin tu mentire, si vis, per me licet :
» tantum generosi ex te aliquid audiamus. At nec omnino
» quicquam habes ipse quod dicas : nec ut habeas, quis-
» quam tamen ex hujus sectæ principibus id te loqui pa-
» tiatur. Sane Aristotelis hac de re libri, seu qui ad Eude-
» mum, seu qui ad Nicomachum, seu qui magnorum
» moralium nomine inscribuntur, nil nisi pusillum quiddam,
» humileque prorsus ac vulgare sapiunt, atque ejusmodi,
» quod homines idiotæ, ac rudes, quod adolescentuli ac
» mulierculæ cogitare possint. Enimvero quod virtuti dia-
» dema, ut ita loquar, regiumque sceptrum abs Jove do-
» natum est, nec auferri a quoquam potest : (Quippe

« ..... Manet irrevocabile, quidquid
» Annuerit capite : »

» eo tamen illam spoliare conantur. Negant enim virtutem
» per sese beatos homines efficere, eamque divitiis, gloriæ,
» nobilitati, sanitati, formæ, ac cæteris quæ cum improbi-
» tate sunt communia, similem esse volunt. Nam ut istorum
» nihil, quantumvis adsit, dum virtus abest, possessorem
» suum felicem reddere per sese potest : ita ne suum qui-
» dem virtus, si hæc omnia deerunt, felicitate cumulabit.
» Hoc ergo quid aliud est, quam virtutis dignitatem abjicere
» funditus, atque pessundare? Esto, inquit : At virtutem
» longe bonis aliis omnibus anteponunt. Quid tum? Nam
» et sanitatem quoque divitiis præstare volunt : cæterum,
» quod sine mutua quadam opera satis ad beatitudinem esse
» non possint, id vero cum omnibus omnino commune est.
» Ita qui semel hujus doctrinæ sectæque regulas secutus,
» docuerit, quisquis ipsomet in animo humani boni univer-

» sitatem quærat, eum ad illam beatitudinis, ut aiunt, » rotam aspirare non posse : hic profecto felix nunquam et » beatus esse poterit, quem Priami casus exercitum habue» rint. Atqui nihil vetat, quominus illi etiam virtutis pos» sessores similem in calamitatem incidant. Ex quo plane » sequitur, nec iis qui virtute præditi sint continuo felici» tatem comitari, nec, ut comitetur interdum, perpetuam » hanc societatem esse posse.

« Volvit humi ventus frondes, aliasque subinde
» Sylva comans aperit :
» Altera sic hominum exoritur, simul occidit ætas
» Altera. »

» Exilis adhuc nimium ac timida, mi Poëta, tua hæc simi» litudo est :

« Succedunt tempora veris. »

» At plurimum tamen effluit temporis, cum interea succe» dit nihil. Si fragilem et caducam humanæ vitæ conditio» nem accuratius repræsentare vis, ex Aristotelica potius » beatitudine similitudinem mutuare. Facilius ea quam » frondes ullæ, nascitur atque interit. Non anni conversio» nem expectat, non eodem tantum vel anno, vel mense, at » eodem die, eademque hora, simul oritur et occidit. Enimve» ro quæ interimant, cum plurima sunt, tum ex casu pendent » omnia corporis fatales quidam morbi, et ii sane infiniti, » paupertas, infamia, cæteraque id genus, quibus vel singulis » par nullum in bona illa virtute præsidium est; quæ nec » arcere miseriam, nec felicitatem conservare per sese » possit. Quisquis igitur hanc imbiberit probaveritque doc» trinam, qui tandem, amabo, vel ad mentem Platonis » accedet, vel in eadem ut alii constanter acquiescant, » efficiet? Nunquam profecto, nunquam, qui e schola ista

»prodierit, hæc plane herculea divinaque dogmata susci-
»piet : robustum et eximium quid esse virtutem : nullo
»ad felicitatem indigere subsidio : ea spoliari posse nun-
»quam : ut paupertas, morbus, infamia, pix, crux; ut
»illa ex tragœdiis in unum confluant omnia; felicem usque
»tamen ac beatum hominem justum futurum. Quin et ipsa
»justi, sic tanquam victoris athletæ, nomen vocali hoc
»et ingenti præconio celebrat, hunc demum esse felicis-
»simum, qui ex ipsamet justitia fructum colligat felicitatis.
»Age ergo, bona partire sis quantum voles, eaque distin-
»gue trifariam, quadrifariam, multifariam. Prorsus ad rem
»nihil. Nunquam hac tu via nos ad Platonem adduces.
»Quid enim juverit, e bonis, quod ais, alia veneranda
»esse, ut deos; alia laude digna, ut virtutes; alia potestate
»quadam, ut divitias atque robur; alia, ut curationes,
»utilitate contineri? Quid porro, cum minutiori ac sub-
»tiliori divisione, e bonis alia fines esse dixeris, alia
»negaveris? finium ea nomine comprehendens, quorum
»gratia sunt alia, non fines autem appellans, quæ aliorum
»in gratiam adhibeantur. Quid item, ubi alia simpliciter
»bona esse didiceris, alia non omnibus? aut alia quidem
»animi bona esse, alia corporis, alia extrinsecus evenire?
»aut etiam alia potentias, alia dispositiones et habitus, alia
»denique actus esse? Postremo alia fines, alia materias,
»alia instrumenta? Quin, ut noverit quis decem in cate-
»gorias denario discrimine bonum distribuere : quid tan-
»dem omnia hæc Platonis ad mentem dogmata pertinebunt?
»Profecto, virtutem aut æquivoce, aut quomodocunque
»libuerit, bonum appelles licet; quamdiu satis ei per sese
»virium negabis, alia quædam, uti ad felicitatem necessa-
»ria postulabis : Plato contra non nisi dicis causa de aliis
»obiterque quærens, satis superque virtutem sibi ad feli-
»citatem esse ducet : nunquam vobis hoc quidem in ge-

» nere commune quicquam erit : alia quam Plato loquare » omnia doceasque necesse est.

« Nulla fides homines inter sævosque leones :
» Nunquam agni atque lupi sensu ducuntur eodem[1]. »

» Sic in maximo hoc et principe felicitatis dogmate, Platoni » cum Aristotele communio nulla esse potest. Prorsus » enim, si minus alter de altero male cogitet, in iis saltem » quæ ad illud summopere pertinent tota palam disputa- » tione pugnant. »

CAPUT V.

Idem Aristotelem a Mose simul et Platone in quæstione de Providentia dissidentem insectatur.

Moses præterea hebræique prophetæ, quibus etiam Plato suffragatur, Providentiam universa complecti distincte clareque posuerunt. Aristoteles in lunari orbe metam numini terminumque constituens, partes mundi reliquas ejus curæ gubernationique subduxit. Quam ob causam his ab eodem Attico verbis reprehenditur. « Cum inter ea, » quæ ad felicitatem conducunt, inquit, maximum etiam » illud sit atque potissimum, ut certam de Providentia » fiduciam habeamus; quippe quod dirigentis humanæ vitæ » rationibus summo sit usui futurum, si nos minime latue- » rit, recto ne ac plano ingressu, an per obliquos errorum » flexus terrestrium hominum genus incedat : Plato ad » Deum omnia revocat, ex eoque nectit omnia. Docet enim

[1] Hom., Iliad., lib. x, v. 262.

»illum ita rerum omnium principium, media, finemque »complecti, ut recta semper easdem obeundo perficiat. »Tradit insuper bonum illum esse, nec bono ulla unquam »in re bonum alterum invidere : proinde quæ extra se »sint, quam optima illum cuncta efficere, in ordinem ex »perturbatione digesta : postremo qui omnium curam ge-»rat, eaque pro summa potestate ornet, humano etiam »generi prospicere. Et paucis interjectis. Ac Plato quidem, »inquit, ita statuit. At vero Aristoteli, dum excellentem »illam divinamque naturam abigens, spem simul futuri »omnem animo resecat, simul etiam hic omnem erga su-»peros observantiam ac pietatem aufert; quæ tandem cum »Platone communio esse possit? Quomodo Platonis ad »mentem sensumque complectendum idem adhortetur, »illiusque doctrinam ulla ex parte confirmet? Contra sane, »improbis adjutorem se palam ac sceleris administrum »profitetur. Homo enim quisquis est, atque humanis cu-»piditatibus involutus, is si deos semel contempserit, nec »eos ad se quicquam pertinere putaverit, propterea quod »et procul ab iis sejunctus hic vivat, nec post mortem »ullus sit futurus : utique genio fidenter indulgeat. Nam »si homines tantum fallendi erunt, nihil erit omnino, »quamobrem eos, cum improbe faciet, latere se posse »desperet : imo nec latebram sceleri admodum quæren-»dam putabit, si ex iis qui deprehenderint, tenere ac co-»hibere nemo poterit. Ita facilis admodum ac proclivis ad »improbitatem ei lapsus est, qui de Providentia spem om-»nem abjecerit. Prorsus enim videlicet, vir bonus ille sit »necesse est, qui postquam nobis voluptatem hinc tanquam »bonum aliquod porrexerit, Deum inde metum omnem »sustulerit ; prohibendi tamen sceleris viam sibi adhuc »et rationem aliquam repræsentare videatur. Perinde om-»nino ac si medicus aliquis, postquam ægroto nullam dum

» adhuc viveret opem attulisset; extincto demum novis » artibus salutem pararet. Persimilis utique Peripatetici » nostri ratio est. Nec enim tantum unquam ex voluptatis » appetitione, quantum ex divinæ Providentiæ negatione » roboris improbitati ac virium accesserit. Quid ergo, dicat » aliquis, tu eodem in loco Aristotelem, quo Epicurum » habiturus es? Enimvero eodem, hoc quidem in genere. » Nam obsecro, nostra quid interest, utrum ex mundo » numen extermines, nobisque cum eo communionis re- » linquas nihil : an quos eodem mundo deos incluseris, » eos ab omni terrarum commercio curaqùe summoveas? » Æqualis videlicet ex utraque doctrina, cum in diis ho- » minum neglectio, tum divini metus in improbis vacuitas » consequetur. Nam quod ex iis, dum in cœlo versantur, » fructus aliquid nos etiam capiamus : primo, totum hoc » nobis cum rebus non ratione tantum, sed etiam vita ca- » rentibus commune est; deinde, similem quoque a diis » opem hominibus Epicurus ostendit. Quæ enim ex illis » optima defluunt, quibus ipsa contigerint, ingentium bo- » norum causas esse docet. At neutrum profecto ulla in » Providentiæ parte reponendum est. Nam si ex Epicuri » mente, ut in bonorum suorum conservatione omnem a » diis sollicitudinem adhiberi velit, funditus tamen Provi- » dentia tollitur; tollatur eadem Aristotelis ex sententia » necesse est, tametsi rerum in cœlestium gubernatione » ordinis aliquid ornatusque videatur. At nos eam, quæ » nostra intersit, Providentiam quærimus, qua sane careat » oportet, qui nec dæmones aut heroes, nec animos pror- » sus ullos sempiternos esse concedat. Et vero, me judice, » verecundius fecit Epicurus, qui quod fieri posse despe- » raret, uti se ab hominum cura, si semel cum iis versa- » rentur, superi abstinerent, eos sic tanquam in peregri- » num aliquod solum ablegatos, extra mundum alicubi

» collocavit; omnem ab iis inhumanitatis suspicionem, hoc
» eorum dissidio, atque hac ab universo disjunctione de-
» pellens. At vero noster hic naturæ summus indagtor
» rerumque divinarum explorator tam accuratus ac diligens
» ubi res humanas in ipso Deorum conspectu posuit,
» easdem ab omni eorum cura et provisione destitutas re-
» liquit, ac suapte quadam natura potius, quam divina
» ulla ratione consilioque gubernatas. Quare ne criminis
» quidem illius suspicionem effugiat, quod de Epicuro
» nonnulli cogitarunt; eum non quod ita sentiret, sed quod
» hominum de se judicia formidaret, hoc in universos, diis
» sic tanquam in theatro, locum spectandi aliquem tribuisse.
» Quem ad hominis sensum hac conjectura ducuntur, quod
» omnem iis erga nos operationem ademerit, ex qua tamen
» una, deos esse colligi merito credique debuisset. Hoc
» enim idem facit Aristoteles. Nam qui simul et deos
» procul hinc ableget, et uni tamen oculorum sensui fidem
» relinquat, qui sensus de rebus tam disjunctis ac dissitis
» judicandi vim habet sane quam exiguam : is, opinor,
» pudore adductus uno, deos istic collocare videri possit.
» Quippe cum nec extra mundum quicquam esse velit, et
» ab omni terrarum commercio deos summoveat, necesse
» omnino fuit, uti aut se palam atheum fateretur, aut
» agnitorum abs se deorum opinionem, eos istuc aman-
» dando, utcunque retineret. At vero alter ille, qui supe-
» ros ob suum illud a rebus nostris dissidium, tam dili-
» genti cura liberavit; quam deos esse nullos putet, decore
» saltem honesteque dissimulat. » Hæc Atticus adversus
Aristotelem divinæ Providentiæ vim succidentem. Quibus
in eumdem sequentia deinde subjungit, quod mundum
ortum esse nollet.

CAPUT VI.

Ejusdem adversus Aristotelem, cum Mose ac Platone, de mundi, quem negabat, ortu pugnantem disputatio.

Mundum insuper Moses cum aliquo generatum ortu posuit, tum parentem ejus molitoremque Deum huic rerum universitati præfecit : quo in genere Mosi quoque affinia Plato philosophatur. Contrariam utrique Aristoteles hac etiam in quæstione viam insistens, ab eodem Attico sic ad verbum scribente revincitur. « Principio, *inquit* ille, » cum in hac de mundi ortu cogitatione Plato versaretur, » idemque magnum illud et cum primis fructuosum pro- » videntiæ dogma scrutandum cuivis diligentius putaret ; ac » simul ita philosopharetur, qui ortus aliquando non sit, » eidem ut præclare sit nullo vel effectore, vel curatore » opus esse : continuo, ne mundum providentia spoliaret, » negavit ortum esse nunquam. Hic vero admodum exora- » tos velim, uti ne molestiam nobis ullam facessant, qui » ejusdem ac nos familiæ cum sint, mundum tamen ex » Platonis quoque sententia generatum esse negant. Verum » enim profecto est hanc eos nobis veniam dare, si Platonis » doctrinam mentemque quod attinet, iis ipsis fidem habe- » amus, quæ clara disertaque voce apud nos, hoc est græ- » cos homines, græcus homo disputavit. Deus enim, *inquit* » ille, quidquid videri poterat universum complexus, cum » id non quiesceret, sed vitioso et incondito motu agere- » tur, in ordinem ex illa perturbatione digessit, statum » hunc ratus omni ex parte altero illo meliorem futurum.

» Quem ille mundi ortum, quam non aut ænigmatis cujus-
» dam specie, aut illustrandæ tantum rei gratia probaverit,
» ex verbis illis longe adhuc clarius certiusque constat,
» quibus rerum, ut vocat, omnium parentem, hanc ipsam
» in rem post universi molitionem usum esse scribit : Quo-
» niam, inquiebat, orti estis, (deos autem alloquebatur)
» immortales vos quidem esse et indissolubiles non potes-
» tis; neutiquam tamen dissolvemini quod voluntatis meæ
» vinculo colligati sitis, verum, uti jam dixi, cum iis, qui
» nos intus domique nostræ alloquuntur, utpote cum ami-
» cis, amice quoque ac placide controversiam hanc mitio-
» ribus argumentis disceptare liceat. Nam hos etiam Aris-
» toteles eas in partes traduxisse videri jure possit, qui nec
» dogmatis hujus accusationi repugnare possent, nec ullam
» tamen, quam falsi damnarent opinionem, Platoni tri-
» buisse convinci vellent. Nunc vero, cum Plato, uti nos-
» tris ipsimet auribus docentem audivimus, et mundum
» idem operum omnium præstantissimum, ab artificum
» præstantissimo factum esse velit; et eam universitatis
» molitori vim ac potestatem attribuat, qua et eum qui
» ante nullus erat mundum effecerit, et jam abs se fac-
» tum, perpetuo si velit, salvum et incolumem conserva-
» bit : atque ita mundus, Platonis ex mente, et ortus idem
» sit, et tamen ab interitu liberatus; quis tandem ex Peri-
» pateticis suo nobis ista calculo suffragioque confirmet?
» Enimvero commonendus amice nobis est dogmatum isto-
» rum defensor, neque ortum si quid erit, id necessario
» corruptioni obnoxium esse debere, neque si quid vicissim
» corrumpetur nunquam, id ortum continuo nullum ha-
» buisse. Nec enim aut quod interitu careat, id aliam nul-
» lam, quam quod etiam ortu careat, perpetuitatis suæ
» causam habere concedendum est; aut quod semel ortum
» habuerit, eidem inexorabilis quædam intereundi neces-

»sitas imponenda. His ergo stabiliendis quid tandem ex »Aristotelis doctrina præsidii mutuemur? ejus inquam »hominis, qui non jam dicis causa, imo nec per sese hoc »in genus disputationis incumbat, sed recta feratur in »Platonem, eique quod ortum est pereundi necessitatem »afferat; quod vero non pereat, id ea solum causa, quod »ortum nunquam fuerit, perpetuum manere defendat: »postremo ne Deo quidem ipsi boni ullius, si velit, effi»ciendi vim ac potestatem relinquat? Nam quod prius »nullum erat, *inquit*, id esse postea nullo modo potest. »Atque hoc orationis genere a stabilienda Platonis doc»trina tantum abest, ut eo potius absterritos ex iis non»nullos, qui studiose Platonem sequebantur, ab eadem »sententia dimoverit. At ii scilicet videre non potuerunt; »si quidem rerum ipsarum natura per sese, atque a dei »voluntate ac numine sejuncta spectetur, neque quod »ortum semel est, id ab interitu liberum futurum, neque »vicissim quod interibit nunquam, idem ortum aliquando »esse: sin autem præcipua divinæ causæ ratio habeatur, »verum esse profecto, ut ea semel omnium dux princeps»que constituta, nihilo saltem infirmior quam cæteræ de»teriorque censeatur. Etenim ridiculum utique fuerit, »quod ortum aliquid sit, propterea id corrumpi; idem si »corrumpi Deus voluerit, non corrumpi: similiter, quod »aliquid ortu careat, propterea interitus abs se propul»sandi vim habere; divinam contra voluntatem minus »habere virium, quam ut quidquam eorum, quæ generata »sunt, ab interitu liberare possit. An vero domum, quæ »nulla erat, architectus exstruere poterit, signum alius »efficere, quod ante non esset, alius ex rudi materia na»vim iis quibus opus illa sit, ædificare: postremo quicun»que in effectricium artium tractatione versantur, aliquid »ut sit, quod prius non erat, efficiendi vim habebunt:

»Regem illum universi, artificemque præstantissimum, »potestatis ne tantum quidem, quantum mortalem opifi»cem habere concedemus, omnique eum generandi facul»tate privabimus? Nunquam profecto, si de causa illa »divina vel minimum quid animo informare poterimus. »Quid igitur? An forte (quoniam ipse bonus est, bonum »autem nullius rei copiam invidet:) bona efficere cum »possit, tum etiam velit; quæ tamen effecta sint, conser»vare idem tuerique non possit? At cæteri artifices utrum»que possunt. Architecti quidem et navium ædificatores, »non tantum novas seu domos, seu naves moliuntur, sed »iis etiam tempore vitiatis, partes alias corruptarum in »locum sufficiendo, mederi possunt. Quare tantundem »omnino saltem Deo concedendum est. Quod enim totum »efficere quis potuerit, quomodo ex parte id ipsum effi»cere non possit? Itaque, si quis vere ac proprie effector »erit, cum ejus novum aliquod opus extare, tum illud si »bonum fuerit, ab eodem adversus omnem injuriam con»servari oportebit. Bonum enim jam effectum velle dissol»vere, mali utique fuerit. Porro ad ea quæ facta sunt »conservanda, non aliud divina voluntate fortius vincu»lum esse possit. Quid enim? an populi, urbes, operaque »quamplurima, cum semel hominum studium ac voluntas »accesserit, infinito quodam tempore, (ut pridem esse »desierit, qui primum ita voluerat,) constituta manent: »Quæ vero Dei orta consilio, quæ propter ipsum, at»que ab ipso perfecta sint, ea præsente licet effectore, »dilapsa interibunt? Quæ causa tantam vim afferet divinæ »voluntati? An ex rebus ipsis, quæ factæ sint, profecta »necessitas? At illa vel hoc ipso, quod fingi eas disponi»que permisit, victam se a Deo ac superatam confessa est. »An Deo causa quædam extrinsecus adversatur? At nec »ulla talis est; nec si esset, verum tamen foret, Deum,

»quibus in rebus etiam ordinandis superior jam fuerit, in »his ipsis aliqua demum inferiorem ducere : nisi forte no- »bis de maximo maximeque divino numine sermonem esse »penitus ignoremus. Sed enim in hanc pro veritate dispu- »tationem vehementiore quodam studio videmur esse de- »lati. Planum quidem illud fecimus, quod propositum »nobis erat, de mundi conditu doctores illos nunquam »futuros, qui ne primum quidem ullum ipsi ortum relin- »quant. » Cæterum de quinta etiam corporum essentia, quam induxit Aristoteles, quæ sequuntur addenda sunt.

CAPUT VII.

Ejusdem adversus eumdem, quintam corporum essentiam inducentem, quam neque Moses, neque Plato novit.

« Quæ vulgo dicuntur elementa, quibus ex primis cor- »pora conflata sunt, ea Plato perspectam ipsorum eviden- »tiam, et superiorum philosophorum auctoritatem se- »cutus, quatuor posuit, illa ipsa omnium confessione »probata, ignem, terram, aerem, et aquam, ex quibus »inter sese temperatis atque mutatis, cætera omnia gene- »rentur, At vero Aristoteles, cum excellentioris, ut vide- »tur, sapientiæ laudem speraret, si novum aliquod insuper »corpus inveheret, notis illis quatuor quintam adjunxit »essentiam. In quo splendide prorsus ac magnifice natu- »ram habuit ille quidem : sed videlicet non intellexit, »ejus non esse qui se physiologum profitetur, leges con- »dere, sed tantum quæ naturæ propria sunt diligenter

» explicare. Quare ad ejus demonstrationis vim, quæ primas quatuor esse corporum naturas efficiat, qua sane » Platonici opus habent, non modo Peripateticus affert » nihil, sed etiam huic pene solus adversatur. Cum enim » corpus omne, calidum aut frigidum, humidum aut sic- » cum, molle aut durum, leve aut grave, rarum aut den- » sum esse dicamus; videamusque aliud nullum præter illa » quatuor esse posse, quod his e conditionibus aliquam » sortiatur : (nam si calidum sit, aut ignis erit, aut aer; si » frigidum, vel aqua, vel terra : sin autem siccum fuerit, aut » ignis, aut terra; si humidum, vel aqua, vel aer : si vero » molle sit, aut aer, aut ignis; si durum, vel aqua, vel terra : » Denique si leve sit atque rarum, aut ignis erit, aut aer, » si grave atque densum, aqua vel terra,) nullum item » aliud ex cæteris omnibus simplicibus facultatibus, præter » illa quatuor, existere posse sentiamus : repugnat unus » ille nobis, corpus aliquod his omnibus vacuum esse de- » fendens : corpus, inquam, non grave aut leve, non molle » aut durum, non humidum aut siccum, adeoque tantum » non dicens, corpus idem idemque non corpus, nam cor- » poris ei nomen reliquit, facultates ex quibus suapte natura » conflatur corpus, ademit universas. Aut igitur, quæ docet » nobis persuadendo, simul nos a Platonis sententia revo- » cabit, aut si Platonis doctrinam stabiliet, a decretis aver- » tet suis. Ita Platonis ad mentem explicandam nihil om- » nino conferre potest. Præterea, quod unam eamdemque » corporum omnium materiam esse videamus, eo Plato » in sese mutuo converti mutarique voluit : Aristoteles vero
» . . . .
» . . . .
» videlicet, ne contemnendi dogmatis inventor haberetur. » In quo tamen eximium affert ac singulare nihil, ea modo » quæ præclaræ aliis in rebus Plato animadverterat,

» transfert ad alienas. Id quod nonnullis e recentioribus » statuariis usu venit. Illi enim hominis unius caput, alterius » pectus, alterius cingulum imitati, partesque alias cum » aliis minus sæpe cohærentes inter sese complexi, hoc » sibi tanquam proprium aliquod gratulantur opus. Et vero » totum illud, quod jure velut inconcinum et inconditum » reprehenditur, ipsorum est; quibus ex partibus est, col- » lata quasi stipe conflatum, eæ cum elegantes per sese ac » politæ sint, ad illos nihil pertinent. Sic Aristoteles, cum » ex Platone audiret essentiam aliquam esse, quæ suapte » natura spiritalis, incorporea, coloris expers, tactumque » fugiens, nec oriatur, nec intereat unquam, aut mutetur, » sed eodem semper in statu permaneat : simulque cœles- » tibus de rebus audiret, divina quædam esse animantia, » quæ nec plane corrumpi, nec infesti quidquam subire » possent; utroque ex genere conjunxit et conglutinavit ea, » quæ inter se minime convenirent. Cum enim ab aliis cor- » pus esse aliquod, ab aliis non patibile quid esse sumeret, » corpus ipse non patibile fabricatus est. Et in statuis quidem, » ut pulchrum id elegansque non sit, dissimilibus tamen ex » partibus fieri aliquid potest, ut ipsemet Homerus cecinit,

« Ille oculosque caputque Jovis, qui fulmine gaudet,
» Cingula Mavortis, Neptuni pectora gessit. »

» At corpus non patibile nullum esse potest. Quod enim » cum patibili mutabilique natura consociatum est, id cum » suo illo consorte patiatur necesse est. Quod vero patibile » non sit, id a patibili sejunctum ac liberum oportet esse, » proptereaque secretum a materia, cujus expers si fue- » rit, corporis idem expers necessario fuerit. » Hactenus ille. Sed alia porro videamus, in quibus idem ipse Aristotelem a Platone dissentire demonstrat.

CAPUT VIII.

Ejusdem adversus eumdem, a Platone rerum in cœlestium tractatione dissidentem; quæ parum ad modum curavit Moses.

« Sequuntur, *inquit*, alia deinde, in quibus ambo dis- » sident, sane quamplurima. Cœlestium quippe rerum » speciem maxime Plato facit ex igne: Aristoteles ullum » prorsus illis esse negat cum igne commercium. Ille Deum » ait ad secundum supra terram ambitum lumen accendisse, » ut cœlum passim omne quam maxime collustraret, atque » id de sole pronunciat. Hic, quod et solem ignem esse » nolit, et lumen aut puriorem ignem, aut aliquid ab igne » profectum esse intelligat, lumen ideo circa solem accen- » sum esse non probat. Ille forma tenus immortalitatem cœ- » lestibus cunctis attribuens, decessiones in iis accessiones- » que mutuas proportione quadam evenire docet. Quam ab » eo philosophandi rationem expressit necessitas: ut decessio- » nes quidem poneret, quod abs sole radii et calores per » effluentiam exiliant; accessiones vero, quod æqualis ejus » magnitudo semper appareat. Nec enim æqualem visum iri » statuebat, nisi aliquid, ejus quod profundebat in locum ac- » ciperet. Aristoteles vero, in eadem semper illas subtantia » permanere vult, nec iis aut decedere quicquam, aut omnino » accedere. Præterea ad communem illum motum, quo suis » in orbibus illigata sidera moveantur, tam fixa quam errantia, » suum quibusque Plato ac proprium alterum adjungit: qui » etiam uti et præstantissimus idem sit, et cum illorum cor-

»porum natura conjunctissimus, aliunde habet. Globosa »enim illa cum sint, jure volubili quodam et in orbem in»citato motu singula moveantur. At Aristoteles hunc illis »quoque motum eripit, quo tanquam animata cieantur; »eum relinquit modo, qui ab aliis ambientibus et continen»tibus, tanquam inanimis inferatur. Addit insuper, quod »moveri nobis stellæ videantur, id infirmioris et quasi tre»pidantis oculi vitio fieri, nec ita se rem habere. Perinde »ac si Plato visi hujus occasione talem sibi motum persua»deret, ac non potius rationis momentum vimque seque»retur, quæ necessarium decerct esse, ut quælibet ani»mans cum sit, animoque simul et corpore prædita, suo »quodam motu proinde moveatur: (Corpus enim id omne, »quod movetur extrinsecus, inanimum est; quod vero in»trinsecus ac seipso, animatum.) Eadem porro, si move»tur, divina cum sit, nobilissimo quoque cieatur motu, qui »cum alius non sit, quam hic in orbem volubilis, hunc »etiam omnino sortiatur. Sensus autem, verum hac in »parte renuntians, ut illam rationis vocem testimonio con»firmet suo; motionis tamen illius fidem per sese non facit. »At universi motum quod attinet, evidentia rei convictus »Aristoteles, cum adversus Platonem in orbem eum fieri »negare non posset, ex præclaro tamen novi corporis »invento dissidii occasionem arripuit. Plato enim, qui cor»pora tantum quatuor agnosceret, quæ suapte natura sim»plici rectoque motu cierentur, ita ut ignis extra, in me»dium terra ferretur, cætera inter utrumque motus suos »continerent: animo volubilitatem attribuerat. Aristoteles »vero, uti motum aliis corporibus alium, ita quinto cor»pori volubilem, quasi corporeum aliquem assignavit. In »quo pueriliter omnino hallucinatus est. Nam quæ recto »cientur motu, ea motionis suæ principium gravitatem »quæque suam aut levitatem habent: At quintum illud

»corpus. cum et gravitatis sit et levitatis expers, quietis »habet in se potius, quam motus in orbem incitati princi»pium. Si enim quæ recto feruntur motu, in iis non jam »figura, sed proprium cujusque momentum, genus illud »efficit motionis : profecto corpus sui simile, similis alte»rius in medio collocatum, partem in ullam inclinationis »causam non habebit, qua vel in dextram, auroram ver»sus atque solem, vel in sinistram, vel antrorsum, vel re»trorsum ferantur. Præterea cæteris quidem corporibus, »quæ suis expulsa locis fuerint, reditus in eadem justam »alterius per sese motus occasionem præbeat : Quinto au»tem illi, quod e suis nunquam regionibus exeat, satius »utique foret conquiescere. Porro de cæteris etiam corpo»ribus, quinto illo jam exempto, id palam agit Aristoteles, »ne eadem quæ Plato dicat. Cum enim Plato quæsiisset, »num suapte natura, aut grave corpus esset aut leve : tum, »quod utraque, denominatio ex quodam sursum versus aut »deorsum respectu ducta videretur, esset-ne aliquid natu»ra sua deorsum ac sursum, an secus expendisset : adeo»que demonstrasset accurate, pro corporum ipsorum cum »suis quibusque locis cohærentia, deorsum id in singulis »vocari, ad quod ipsa tendant; sursum contra, peregrinum »et alienum illud unde revertantur; itaque pro ejusmodi »respectu grave simul ac leve partitus esset : cumque osten»disset præterea, nec medium, nec circumstans spatium, »aut sursum in illis, aut deorsum vocari posse. Aristoteles, »ut sententias Platonis omnes quovis modo abjicere statuit, »hic etiam adversatur, quodque ad medium tendat, grave, »quod ad circumstans spatium feratur, leve appellare co»git; adeoque locum illum qui in medio est, deorsum, qui »vero circa, sursum esse docet. » Hæc Atticus. At de mundo, mundique partibus, ac rerum cœlestium natura, quantum ambo dissideant, hactenus. Et illorum quidem

tota hæc disputatio est. Nam Moses et Hebræorum oracula, nihil admodum ista curavere : Nec immerito : cum eorum studiosos nihil ad vitæ emendationem inde juvari posse judicarint.

CAPUT IX.

Ejusdem adversus eumdem, cum Platone simul Hebræorumque doctrina, in quæstione de animorum immortalitate pugnantem.

« Jam, *inquit*, de animo quid attinet dicere? Constat » enim id certe, non apud eos modo, qui philosophiæ dant » operam, sed etiam apud idiotas ferme omnes, immortalem » animum a Platone constitui, disputationes ab illo eam in rem » institui quam plurimas, omnique rationum genere probatam hanc et confirmatam immortalitatem relinqui. Et vero » cum in defendendo Platone, tum præsertim hoc in ejus » dogmate propugnando, sectatorum ejus permagna fuit » vehemensque contentio. Quippe hoc prope unum est, » quo ejus instituti vis omnis et ratio maxime continetur. » Nam et seges illa complexioque moralium præceptionum, » animi est immortalitatem secuta, quod excellentiam dignitatemque suam, adeoque generosum illum ardorem » impetumque suum tueri ac retinere virtus, propter hanc » animi divinitatem posset : et naturæ res omnes pro animorum administratione præclare ordinantur. Animus » enim omnis, inquit, omnis inanimati curam suscipit : » idemque cœlum omne versat ac regit, speciem in aliis » aliam atque aliam induens. Quinetiam quicquid scientiæ » ac sapientiæ proprium est, id totum cum animi immor-

»talitate Plato connexuit. Omnis enim doctrinæ perceptio, »recordatio quædam est : nec aliter inquisitionis ac disci»plinæ, qua ex utraque scientia nascitur, rationem defendi »posse arbitratur. Atqui si non est animus immortalis, »recordatio quoque nulla est : quam si sustuleris, disci»plinam proinde nullam relinquis. Cum igitur dogmata »Platonis universa, ex animi divinitate et immortalitate »apta vere ac suspensa sint, qui hanc utramque repudiet, »is philosophiam Platonis omnem funditus evertat necesse »est. Quis ergo primus omnium platonicis demonstrationi»bus repugnare aggressus est, atque animum immortali»tate simul ac facultate omni spoliare? Quis autem alius »præter Aristotelem? Nam ex aliis quidem, partim eum »aliquandiu permanere concedunt : partim, si minus hoc »probant, vim certe aliquam et motionem in corpore cum »propriis quibusdam functionibus animo relinquunt. Aris»toteles autem, quo magnificentius animum Plato celebra»verat, cum illum et ortus principium, Deique institutio»nem appellaret; hoc egit contra vehementius, ut eumdem »abjiceret, ac dedecoraret, imo vero nihil propemodum »esse ostenderet. Enimvero neque spiritum illum esse, »neque ignem, neque omnino corpus, imo nec etiam in »corporeum, sic quidem ut ipse sic ac moveatur ex sese : »quod ipsum nec ei concedit, ut est in corpore : prorsus »ut immobilis ille sit, atque ut ita dicam, inanimus. Cu»jusmodi enim illud est, ut primarios etiam in agendo mo»tus animo vel audeat, vel cogatur adimere, deliberatio»nem, cogitationem, opinationem, recordationem, ratio»cinationem! Animi quippe motus isti non sunt, inquit »noster hic naturæ scriba. Dignus videlicet, quem exter»nis de rebus aliquid percepisse credamus, qui tantum ab »animo ipse suo aberravit, ut ne propriam quidem ejus »esse cogitationem assequi potuerit. Nec enim animus,

» inquit, sed homo potius efficit hæc omnia : animus vero » manet immobilis. Itaque hunc secutus postea Dicæar- » chus, id quod ex ea doctrina consequens erat optime » cum videret, totam animi naturam funditus sustulit. Nam » constat illud quidem, esse aliquid animum, quod cerni » per sese non possit : quo fit, ut saltem propter nullam » sensuum operationem, animum esse dare debeamus. At » vero delitescentis animi motiones, eo compellere nos vi- » dentur, uti aliquid ipsum esse fateamur. Nemo enim fere » est, qui hæc animi propria non esse intelligat, deliberare, » considerare, et quocunque modo cogitare. Nam dum et » corpus, et corporis facultates videmus, simulque genus » illud functionum corporis esse non posse concludimus; » aliud continuo quippiam, quod per sese deliberet, in no- » bis esse, atque illud ipsum animum esse concedimus. » Unde enim, si non inde, aliquid unquam de animo cre- » dimus. Si quis igitur ista, quibus maxime proditur animus, » eidem eripiens, alii cuidam rei tribuerit : is profecto, nec » ullum, unde animus esse deprehendatur, vestigium, nec » ubi usus animi aliquis esse possit, omnino quidquam re- » linquet. Quid igitur opis, qui animum immortalem esse » defendet, ab eo, qui animum ipsum interimat, expectare » possit? aut qui modi ejus, quo per sese illum moveri di- » cimus, ab iis doctrina ulla speretur, qui nullum prorsus » ei motum concedant? Esto, dicat aliquis : at certe men- » tis immortalitatem quod attinet, Aristoteles cum Pla- » tone consentit. Is enim, ut non omnem animum im- » mortalem esse velit, mentem quidem et divinam esse, » et corruptionis expertem fatetur. Ergo, quæ mentis hujus » essentia sit, quæ natura, unde vel ducat originem, vel » hominibus inseratur, quo denique rursus avolet, idem » ipse noverit : si tamen eorum omnino, quæ de mente dis- » putat, quidquam intelligit, ac non potius orationis ob-

» scuritate suam hac in re dubitationem dissimulans, ansam » reprehensionis evitat, ac Sepiarum more, tenebris sese, » quo difficilius capiatur, involvit. Quanquam hic etiam pe» nitus a Platone dissentit. Is enim mentem negat seorsum » ab animo posse consistere : Aristoteles contra mentem ab » animo sejungit ac separat. Deinde, immortalitatem Plato, » quod aliter fieri non posse videat, conjunctæ cum animo » menti attribuit, qua solam hanc Aristoteles ab animoque » disjunctam frui arbitratur. Postremo, migrare animum » ex corpore, quod ita Platoni visum esset, probare non » potuit : mentem idem ab animo, quoniam id Plato fieri » non posse sentiebat, vel invitam abstraxit. » Hæc Atticus. Quibus libenter quæ sequuntur totidem verbis ex Plotino subjungam.

CAPUT X.

Ex secundo Plotini de animorum immortalite libro, adversus Aristotelem, qui animum Entelechiam esse defendit.

« Entelechia, *inquit*, de animo quemadmodum usurpe» tur, sic habeto. Animum aiunt, cum animato corpore, » veluti cum materia comparatum, in composito formæ ra» tionem habere. Corpus autem accipiunt, non quodlibet, » aut quatenus corpus ipsum est, sed naturale, organicum, » et potestate vivens. Si ejus ergo similis est, quo cum ipse » confertur; eoque se modo habet, quo statuæ forma cum » ære comparata : sequitur omnino, ubi corpus dividitur, » animi simul divisionem fieri; ac resecta parte corporis,

» cum ea pariter animi partem esse aliquam : adeoque nec » in somnis secessionem ipsius ullam contingere : cum Entelechiam illam cum eo cujus propria est, ab ortu complexam esse oporteat : imo vero somnum re ipsa nullum » existere concluditur. Deinde si Entelechiæ ratio probabitur, nulla jam rationis cum cupiditatibus luctatio relinquetur : sed uno prorsus eodemque sensu totum ipsum » afficietur, ne a semetipso dissideat. Præterea, sensus fortasse tantum, non item intelligentiæ functiones obiri poterunt. Quocirca, alium insuper animum, hoc est mentem, introducunt, quam immortalem esse confirmant. » Alius ergo modus, quam qui ab istis explicatur, necessario afferendus erit, quo animus ratiocinandi facultate » præditus, Entelechia dicatur, si hoc vocabulum retineri » placet. Quinetiam anima illa, quæ sentiendi principium » est, quæque rerum sensibus perceptarum easdem, licet » absentium, formas conservat ipsa quoque, eas sine corpore conservare non poterit. Hoc autem si dabitur, eæ » proinde figurarum imaginumque more in anima residebunt : Atqui si hoc inessent modo, non aliter utique recipi ab ea possent. Ut ergo sit Entelechia, non ejusmodi » tamen est, quæ separari non possit. Ex quo etiam efficitur, ut vel ipsa, non jam esculentorum ac poculentorum, » sed eorum etiam quæ sunt extra corpus, appetentia, id » genus entelechia esse non possit. Ea superest anima, » quæ crescendi vim tribuit, qua de fortassis jure dubitetur, » num hæc ipsi entelechiæ ratio convenire possit. Verum, » ne illi quidem. Nam si plantæ omnis principium in radice » versatur, parteque duntaxat inferiori, quæ a radice propius absit, ut multis in plantis evenire solet, crescente, » anima relictis cæteris unam in aliquam sese collegit; talis » ergo tota in planta non erat, qualis entelechia, quæ separari non possit. Adde hanc animam in planta, priusquam

» augeatur, mole jam tum per exigua contineri. Si ergo et » majori ex planta, in angustum aliquid contrahitur, et an» gustiori ex spatio, totum in corpus diffunditur; quid vetat, » quo minus eadem omnino separetur? Jam, quomodo tan» dem, quæ partibus careat, corporis ejus, quod divisio» nem subire potest, eidem obnoxia divisioni entelechia » esse queat? Atque eadem anima, aliud fit animal ex alio. » Quemadmodum igitur, quæ prioris fuerat, alterius anima » esse potest, si unius entelechia est? Hoc autem ex iis » animantibus, quarum in alias mutatio fit, manifeste con» vincitur. Essentiam igitur in eo positam anima non habet, » quod alicujus forma sit : sed ipsamet substantia est, quæ » non ex eo, quod in corpore collocata sit, ut esset accepit; » sed jam tum erat, priusquam certi hujus anima fieret, » quatenus animalis, cujus corpus animam illam generaret. » At quænam igitur illius essentia est? Nam si neque cor» pus est, neque corporis affectio; et tamen functiones, » actiones, multaque id genus et insunt in ea, et ab ea » proficiscuntur : cum illa proinde extra corporum ordinem » substantia quædam sit, cujusmodi tandem est? Num vero » satis per sese liquet, quid vere ac proprie substantiam » esse dicamus? Generatio quippe, non substantia, corpo» reum omne vocari debet; cum generetur, intereatque » modo, nec vere sit unquam, sed ejus quod est nonnulla » communione servetur, quatenus particeps ejus est. » Hæc Plotinus. Quæ hoc loco persecuti, nihil abs re fecerimus, si ex Porphyrio, quæ ad Boethum de animo scribit, deinceps attexemus.

CAPUT XI.

De eodem, ex Porphyrii ad Boethum opere de Animo.

« Jam, *inquit*, adversus eum, qui Entelechiam animum » vocat, itaque immobilem esse vult, ut tamen alia mo- » veat; disputandum in primis, unde afflatus ille animantis, » cum ipse quidem eorum, quæ videt, quæque loquitur, » nihil intelligit, et tamen animus non id, quod adest, » quodque præsens est, sed quod futurum intuetur, et pro » illius ratione ac natura commovetur. Deinde in ipsa con- » stitutione animantis, unde tandem ejusdem animi consi- » lia, disquisitiones, voluntates, quæ profecto momenta » quædam animi sunt, non corporis. Quibus deinceps ita » subjungit. Animum autem vel gravitati, vel corporeis » quibusdam et immobilibus, uniusque formæ qualitatibus » similem facere, pro quibus aut movetur, quod iis subjec- » tum est, aut tale quid efficitur; hominis esset, aut sponte » aut præter voluntatem ab animi dignitate prorsus aber- » rantis, nec videntis ullo modo, animi præsentia vivum » fieri corpus animantis, ut ignis præsentia, vicina in aqua » per se ipsam frigida calor excitatur, et aer qui absque » solis lumine obscurus maneat, ejusdem ortu collustratur. » Atqui nec aquæ calor, ignis calor est, aut ipsemet ignis; » nec aeris lux, ingenitum soli lumen. Ita corporis anima- » tio, quæ cum gravitate quadam et corporea qualitate con- » fertur, animus ille non est, qui collocatus in corpore, » vitalem ei quemdam suapte vi spiritum infundit. Idemque » postea. Quæ de animo dicuntur ab aliis, ea nos certe

»quidem pudore suffundunt. Quem enim definitionis ejus »non pudeat, per quam animus corporis naturalis et or»ganici Entelechia constituitur? Cui non ejus indignitatis »plena videatur oratio, qui eo vel spiritum, vel spiritalem »ignem contineri doceat, qui circumstantis aeris refrigera»tione, et asperso quasi humore, vel succendatur, vel »etiam roboretur? Quis de eo non idem sentiat, qui aut ex »atomorum conjunctione conflatum, aut omnino ex cor»pore procreatum animum arbitretur? Quam sane doctri»nam ipsemet in legibus, et impiorum hominum, et impiam esse declaravit. Flagitiosa igitur et indigna est ejusmodi omnis oratio. At qui animum, naturam per sese mobilem esse statuerit, hujus, inquit, neminem jure pudeat.

CAPUT XII.

Adversus eumdem, in illa etiam de Universi animo disputatione a Platone dissidentem. Ex Attico.

«Præterea, cum Plato, *inquit*, Animum cuncta per»meantem rebus omnibus ornatum afferre dicat, atque »ejusmodi esse, quem sua vi singula moderari ac regere »cæteri quoque libenter concedant: naturam porro, aliud »esse nihil, quam animum, cumque certe non rationis »expertem; indeque concludat, omnia quæ naturæ vis effi»ciat, Providentiæ consilio fieri: nihil eorum est, in quo »nobiscum Aristoteli conveniat. Is enim et naturam ani»mum esse, et unius tantum naturæ vi, quæ ad terram »pertinent, gubernari negat. Causas enim alias atque alias »rerum esse singularum. Ac cœlestium quidem, utpote

» quæ similes usque sui, et eodem semper in statu permaneant, causam vult esse fatum; earum vero quæ luna » inferiores sunt, naturam; humanarum denique, pruden» tiam, providentiam, et animum. Quo in rerum causa» rumque discrimine statuendo, venustatem aliquam se» cutus est, quod necessitatis erat non vidit. Nam si vis » una quædam animata non esset, quæ universa pervadens, » colligaret eadem atque contineret, nunquam hujus in » universi dispositione tantum vel sapientiæ vel pulchritu» dinis cerneretur. Et ejusdem profecto cæcitatis est, uti » civitatem aliquam egregie sine conjunctione habituram » sperare; ita huic universo, eximiam illam ac singularem » quam cernimus partium omnium speciem, defendere te » raciocinando posse arbitrari, nisi ea similis alicujus com» munione consocies atque devincias. Cæterum, quod res » singulas moderetur, id quidem motus principium esse » ait, idem tamen animum esse fateri non vult, tametsi » rebus in omnibus quæ moventur, principium fontem» que motus animum esse Plato demonstrarit. Quod au» tem animi ratione præditi atque sapientis proprium sit, » nihil ut agat frustra, id naturæ totum attribuit, ei tamen » animi nomen non tribuit : quasi ex nominibus, non autem » ex facultatibus rerum initia viresque sumantur. »

CAPUT XIII.

—

Adversus eumdem Platonicas ideas illudentem, quas ne ipsis quidem Hebræis ignotas fuisse, superioribus eorum testimoniis jam vidimus. Ex eodem.

« Postremo, quod caput est, *inquit*, ac platonicæ philo- » sophiæ cardo, rerum sola mente perceptarum doctrina, » quantum in Aristotele fuit, illusa, conculcata, probrisque » omnibus jactata est. Cum enim intelligere non posset, » res maximas atque divinas, quæ longe cæteris antecel- » lant, simili aliqua facultate ad sui cognitionem indigere; » minuta quadam sua et humili subtilitate confisus (quæ » ut terrestrium in rerum naturam penetrare posset, ea- » rumque veritatem perspicere, purissimam tamen illam ac » sincerissimam propriæ veritatis lucem intueri non pote- » rat), adeoque se ipso, quodam quasi rerum illarum captu » suo longe superiorum canone arbitroque usus, peculiares » illas, cujusmodi Plato agnoverat. Naturas valere jussit, » illaque omnium altissima, nugas, insulsasque cantilelas, » et circulatorum fabulas appellare ausus est. Quippe » summum illud atque ultimum est platonicorum dogma- » tum, quod in spiritali hac et sempiterna idearum natura » versatur. Ubi proinde supremus animo labor certamenque » proponitur. Nam qui ad illam aspirare eaque frui potue- » rit, is beatus omnino, cui eamdem intueri ac pervidere » non licuerit, omni felicitate vacuus spoliatusque relin- » quitur. Itaque hoc ubique Plato et omni ratione conten- » dit, ut harum naturarum vim potestatemque demonstret.

» Negat enim aut ullius omnino rei causam commode » reddi posse, nisi quæ harum communione nitatur, aut » veri ullius haberi notitiam, nisi quæ ad easdem revocetur. » Imo nec rationis ullum iis in omnibus pilum esse defendit, » qui non earum substantiam fateantur. Et vero qui plato- » nicæ doctrinæ auctoritatem ac pondus addere statuerunt, » hac præsertim in disputatione multi esse solent. Quod » quidem necessario faciunt, nec enim Platonicum amplius » quicquam tueri possunt, nisi eis primarias illas principes- » que naturas Platonis in gratiam concesseris. Hæc enim » illa sunt, quibus cæteris omnibus maxime antecellit. » Deum enim ipse cum universorum parentem ac molito- » rem, adeoque dominum et moderatorem agnosceret: » cum idem ex nostris hisce operibus intelligeret, artificem » id ante quod effecturus sit animo comprehensum tenere, » ac tum demum quas illius speciem cogitando informarit, » eam ipsis in rebus similitudine quadam exprimere. Divinas » similiter notiones, quæ rebus antiquiores, et eorum quæ » fiunt exempla sint, eædemque incorporeæ ac mente sola » perceptæ, similesque sui semper, et eodem in statu per- » manentes; denique cum præcipua quadam ratione primum » existentes, tum cæteris deinde causæ quamobrem eo » modo sint, quo singula sunt, pro sua cujusque cum » principibus illis similitudine; notiones, inquam, illas nec » videri facile, nec oratione satis explicari posse cum ani- » madverteret; is quantum vel dicendo vel cogitando mens » humana consequi, ac cæteris qui ad eam postea cogni- » tionem aspiraturi essent, commonstrare viam poterat, » ipsarum in tractationem incumbens, et cunctas eo revo- » cans philosophiæ suæ rationes, in iis demum earumque » notitia sapientiam ac scientiam positas esse defendit; quæ » nos in humani finis et beatæ vitæ possessionem immit- » tant. » Hactenus Atticus. Quo quidem illius ex opere,


plura superioribus addere poteramus : nunc tamen ea protulisse contenti, Stoicorum deinceps ad sectam disciplinamque transeamus. Socrates igitur Antisthenem quemdam, virum sensu animisque tenus Heracleoticum, auditorem habuit, qui cum lætitiæ furorem anteponeret, tum discipulis quoque suis auctor erat uti voluptatis causa ne digitum quidem tollerent. Huic Diogenes Cynicus operam dedit, qui ferino plane ritu philosophari statuens ipse quoque, adjunxit sibi quamplurimos. Successit ei Crates, qui discipulum habuit Zenonem Citticum, stoicæ philosophiæ principem. Hujus successor fuit Cleanthes, Cleanthis Chrysippus, Chrysippi alter Zeno, cæterique deinceps. Qui quidem omnes et vitæ constantiam, et differendi artem singulari studio coluisse dicuntur. Horum ergo decreta philosophica ex sequentibus fere intelliges.

CAPUT XIV.

De Stoicorum philosophia : et quemadmodum Zeno de principiorum ratione statuerit. Ex Aristoclis de Philosophia septimo.

« Rerum, *inquit*, elementum, uti Heraclitus, ignem » esse volunt ; ejus vero principia, materiam atque Deum, » ut Plato. Vepum hoc discrimine, quod Stoici ambo illa, » tam efficiens quam patiens, corpora esse dicant; Plato con- » tra primum illum effectorem, incorporeum auctorem esse » statuat. Deinde certis quibusdam fatoque constitutis tem- » poribus, mundum universum conflagrare docent, indeque » suam denuo speciem ornatumque recipere. Ac primum

» quidem illum ignem, quasi semen aliquod esse, quod rerum » omnium rationes, ac præteritorum simul, præsentium, » futurorumque causas contineat, quarum complexio quæ- » dam et consequentia, eorum quæ sunt omnium fatum, » scientia, veritas, et lex ejusmodi sit, quæ nullo pacto » effugi aut declinari queat. Sic porro quæ in mundo sunt » universa, quam optime gubernari, tanquam in republica » æquissimis legibus constituta. »



CAPUT XV.

Quam de Deo Stoici, deque hujus Universi molitione sententiam introducant. Ex Arii Didymi Epitoma.

« Mundum, *inquit*, universum, cum partibus ejus sin- » gulis, Deum appellant. Hunc quippe unum duntaxat esse » aiunt, absolutum, animantem, sempiternum, ac Deum : » Illo enim corpora omnia contineri, et vacuum in eo su- » peresse nihil. Enimvero quod ex omni substantia confla- » tum sit, id ipsum tale quid nominari, quatenus ornatum » ejusmodi aliquem partiumque dispositionem complecti- » tur. Itaque si prioris illius ratio habeatur, sempiternum » ipsi mundum esse aiunt : sin ornatus iste spectatur, ge- » nitum, ac pro infinitarum, seu quæ jam præterierint, seu » quæ futuræ postea sint, periodorum conversione muta- » bilem. Atque ita, quod ex omni substantia tale quid » existit, mundum esse sempiternum ac Deum; at mundum » appellari, machinam hanc e cœlo, aere, terra, mari, ac » propriis singulorum naturis constitutam. Mundum præ- » terea, deorum simul et hominum, imo et omnium

»omnino, quæ ipsorum causa facta sint, domicilium »vocari. Quemadmodum enim civitatis notio quædam »et ratio duplex est altera quatenus domicilium aliquod, »altera quatenus multitudinem ex incolarum et civium »societate conflatam significat : Ita mundus quædam »quasi civitas est, ex diis hominibusque constans, sic »quidem ut principatum dii teneant, homines eorum im-»perio subditi teneantur. Cæterum mutuam eorum inter »se conjunctionem esse, quam illa, quæ naturæ lex quæ-»dam est, communio rationis efficiat. Alia prorsus omnia »propter eosdem facta esse. Quibus consentanee ponen-»dum illud est, hominum curam gerere universi modera-»torem Deum, quippe qui prolixa benignitate præditus, »hominum amans, justusque sit, et virtutum omnium »complexione perfectus. Quocirca mundus quoque Ζεὺς, »hoc est Jupiter, vocatur, quod nobis τοῦ ζῆν, hoc est vivendi »sit auctor. Eumdem, prout εἱρομένῳ λογῳ, id est connexa »quadam ratione, quam prætergredi ac violare nihil possit, »ex omni æternitate cuncta moderatur, εἱμαρμένην, hoc est »fatum, insuper appellari : Ἀδράστειαν vero, quasi dicas vim »quandam indeclinabilem, quod ipsum nihil effugiat : Pro-»videntiam denique, quod singula, prout cujusque usus »exigit, proinde administret. Ducem porro principemque »mundi, solem Cleanthes esse voluit, quod et siderum »esset, omnium maximus, et cunctarum ad rerum admi-»nistrationem operæ plurimum et commoditatis afferret, »cum et diem et annum, cæterasque tempestates efficeret. »Alii ejusdem sectæ philosophi, terram mundi principa-»tum habere maluerunt. Chrysippus eum purissimo ac »desecatissimoætheri tribuit, quippe qui et omnium sit »maxime mobilis, et totam mundi conversionem circuma-»gat. » Hactenus ex Arii Didymi Epitoma. Jam adversus eorumdem Stoicorum de Deo sententiam pauca hæc

afferre satis erit, quæ Porphyrius in iis, quæ ad Boethum de animo rescripsit, totidem verbis opposuit.

CAPUT XVI.

Contra Stoicorum de Deo sententiam. Ex Porphyrii ad Boethum opere de Animo.

« Deum, *inquit*, spiritalem quemdam ignem sic appel- » lant, nihil ut eumdem sempiternum facere vereantur, imo » etiam ejusmodi, qui omnia depascatur et perimat, quasi » nostri hujus ac vulgaris ignis simillimus sit. Adeoque » Aristoteli repugnare non dubitant, qui hoc abs sese im- » petrari non patitur, ut æthercam regionem simili ex igne » constituat. Ex quibus si forte quæsieris, qui possit ignis » ejusmodi tamdiu permanere, diversum quidem illum esse » negant, sed talem ei naturam dum tribuunt, nudæ ora- » tioni fidem haberi volunt; nisi quod insuper tam absurdæ » opinioni hoc addunt, ut sempiternum ignem illum esse » defendant, cum tamen ætherium extingui partim, par- » tim accendi velint. Sed eorum aut stuporem, aut veterum » hac in disputatione contemptum pluribus exagerare quid » attinet? »

CAPUT XVII.

Id quod vere est, corpus non esse, ut Stoici opinantur. Ex Numenii primo, de Bono.

»Verumtamen, *inquit ille*, quidnam igitur vere esse di-»cemus? Num hæc elementa quatuor, terram, ignem, »mediasque duas inter utrumque naturas? Utrum ergo illa »sunt, universa simul, an seorsim ac per sese singula? »Qui tandem alterutrum dici possit, cum et genita illa sint, »et extincta rursus oriantur? passim enim ea videmus cum »fieri ex sese mutuo, tum ita prorsus interire, ut nec ele-»menta maneant, nec elementorum ulla complexio. Ita-»que corpus, illud quod vere sit, in elementis reperiri non »potest. Esto, elementis hoc minime conveniat, materiæ »certe quidem optime conveniet. Atqui ab eo longissime »abest materia, quod infirmior ea sit, quam ut constanter »permanere queat. Est enim fluvius quidam vehemens et »incitatus, cujus neque fundus, neque latitudo, neque »longitudo certis ullis finibus comprehendi possit. Tum »paucis quibusdam interjectis. Quamobrem, inquit, præ-»clare dictum illud est, materiam si sit immensa, definiri »proinde non posse; quod si verum est eamdem rationis »expertem esse; si denique rationis expers, cognitionem »omnem fugere. Quod si cognosci non possit, confusam »illam ac perturbatam esse necesse est, cum ordinata om-»nia sint ad cognoscendum longe facillima. Quod vero »perturbatum est, id permanere profecto non potest; quod »autem non permaneat, id utique vere non fuerit. Atque

» id ipsum est, quo de jam inter nos ante convenit, hæc » omnia non posse cum ejus quod vere sit ratione consis- » tere. Id quod maxime quidem omnibus placere velim; sin » minus, placeat certe mihi. Materiam igitur, aut corpus » ullum vere esse nego. De illis ergo quid dicimus? Num » aliud quid præter ista nobis in tota rerum natura superest? » Superest vero: neque id explicare difficilis admodum » operæ fuerit, si modo primum illud in nobis ipsis pervi- » dere mutua ratiocinatione conabimur. Et quoniam cor- » pora vitæ nihil per sese habent, atque huc illucque jac- » tantur, nec eodem semper vultuque persistunt, nonne » aliquo proinde, cujusvi contineantur, opus habent? » Maxime id quidem : id vero si nancisci non potuerint, » num manebunt illa per sese? Minime vero. Quid igitur » illud erit, quod ipsa contineat? Enimvero si corpus id » etiam fuerit, cum suapte natura dissolvatur atque dissipe- » tur, Jove quodam servatore opus ei futurum existimo. » Quod si ab omni corporum vitio liberum illud esse opor- » teat, ut eadem, ubi concepta jam sunt, vindicare ab in- » teritu, et continere possit : mihi sane, præter id unum » quod expers corporis sit, ejusmodi esse nihil videtur. Ex » omnibus quippe naturis una hæc est, quæ cum ipsa con- » sistat, tum etiam firma sit ac solida, nec corporei quic- » quam omnino simile habeat. Nec enim generatur illa, nec » crescit, nec alio motu cietur ullo. Ac propterea æquum » in primis et consentaneum merito visum est, hanc rei » corporis experti prærogativam tribuere, »

CAPUT XVIII.

—

Stoici de universi conflagratione quid sentiant

« Placet, inquit, sectæ hujus antiquissimis atque primariis, post maximos quosdam conversionum circuitus, in » aerem primo mutari universa, tum ignem ætherium postremo dissolvi. Quibus deinde subjungit. Ex his porro » manifeste liquet, eam rerum confusionem, non ad earum » substantiam Chrysippum retulisse; hoc enim prorsus fieri » non potest: sed eam duntaxat, quæ pro aliqua mutatione » sumatur. Corruptionis enim vocabulum, ubi de solita » mundi post longissimas conversiones corruptione loquuntur, haud proprie quidem accipiunt, qui rerum in ignem » omnium dissolutionem fieri tradunt, quam ipsi conflagrationem appellant; sed ejus quæ in natura contingit » mutationis loco, vocem illam corruptionis usurpant. Volunt enim Stoici, rerum naturam omnium in ignem tanquam in semen aliquod mutari, ex quo rursum qualis ante » fuerat, perfectus ipsarum ornatus existat. Atque hoc » dogma sectæ hujus et principes et vetustissimi comprobarunt, Zeno, Cleanthes, et Chrysippus. Nam Chrysippi » quidem discipulum, et successorem in scola, Zenonem, » in illa de conflagratione mundi quæstione, assensionem » retinuisse aiunt.

CAPUT XIX.

Quemadmodum Stoici de iterato universi ortu philosophentur.

« Posteaquam, *inquit*, eo usque progressa est ratio » communis, communisque natura nova magnitudine, » ac novis incrementis aucta, res demum exsiccavit, » atque in sese recepit universas; in plena constituitur in- » tegraque substantia, quippe quæ ad principem illam, ut » appellatur, rationem, atque ad resurrectionem illam ma- » gni effectricem anni redierit : quo quidem anno, ex ea » sola in eamdem rursus instauratio fieri consuevit. Ad » eum porro statum revocata, eodem prorsus ordine, quo » jam ante mundum similiter ornare cœperat, eamdem ite- » rum, quo modo ratio postulat, rerum dispositionem at- » que administrationem instituit, ejusmodi conversionibus » ex omni æternitate ac sine ulla cessatione redeuntibus. » Quippe, principii sui causam nec habere simul universa » possunt, nec universorum ipse moderator. Nam iis quæ » fiunt, cum substantiam quamdam subesse necesse est, » quæ suapte natura mutationes omnes excipiat, tum id præ- » terea, quod aliquid ex ea perficiat. Cujusmodi enim apud » nos effectricem naturam aliquam videmus, ejusmodi ne- » cessario quippiam, sed ortus expers, in ipso quoque » mundo ponendum est : cum talis natura ortus sui princi- » pium habere nullum omnino possit. Et quemadmodum » ortu ipsa caret, ita nec unquam interire potest, cum nec » ipsa per sese perire queat, nec aliud quidquam sit, quod » extrinsecus illam extinguat. »

CAPUT XX.

Quemadmodum Stoici de animo sentiant.

« Semen ait Zeno, spiritum, inquam, illum, quem homo » emittit cum humore conjunctum, animi particulam esse » revulsumque; fructum, imo et parentum seminis tempe- » rationem aliquam, et concretam ex animi partibus mix- » tionem. Id enim, cum eamdem in se, quam totum ipsum » vim et rationem habeat, cum in vulvam immissum fue- » rit, statim ab alio spiritu comprehensum, muliebris » animi pars quædam naturaque cognatum efficitur; dum- » que ibi absconditum ejus vi commovetur et excitatur, cres- » cit paulatim in fœtum, humidi partes sub inde novas » assumens, ac propriis gliscens incrementis. Hæc ille. Tum » paucis aliquot interjectis : Cleanthes, inquit, Zenonis de » animo dogmata cum aliorum physicorum opinione com- » mittens, Zenonem ait, quemadmodum et Heraclitum, » animi naturam in sensu aut exhalatione posuisse. Cum » enim exhalantes animos spiritales semper effici demons- » trare vellet, eos cum fluviis comparabat, his verbis » utens : In fluvios, inquiebat, licet iidem usque decurrant, » aliæ tamen atque aliæ illabuntur aquæ. Et vero ani- » mæ rebus efflantur ex humidis. Ita Zeno, perinde ut He- » raclitus, animum exhalationem esse demonstrat. Eam- » dem propterea sensu percipi posse defendit, quod pars » ejus facultasque princeps, rebus iis, quæ per sensuum » aditus eo subeunt, consignetur, earumque formas ima- » ginesque suscipiat. Ea quippe animi propria sunt. Item- » que post alia. Animum autem, inquit, in universo esse

» ciunt, quem ætherem ipsi aeremque vocant, terra, mari, » et erumpentibus ex utroque exhalationibus circumfusam : » ad eum vero reliquam animorum multitudinem adhæres- » cere, tam qui animantibus, quam qui ambiente nos aere » continentur : defunctorum enim animos etiam post obi- » tum superesse. Nonnullis etiam placet, universi quidem » animum sempiternum esse, reliquos vero sub interitum » cum eo commisceri. Cæterum principem in omnibus ali- » quam inesse partem, quæ nihil aliud sit, quam ita, quam- » que sentiendi vis et appetendi. Iterumque post pauca, » animum porro et ortum habere et interitum subire illum » quidem, non tamen simulatque corpore solutus est, in- » terire, sed manere per se ipsum aliquandiu : ac sapientium » quidem animos ad extremam usque rerum in ignem om- » nium dissolutionem ; stultorum vero non nisi aliquanto » temporis intervallo, superesse. Porro quod animos illi per- » manere docent, id sic intelligunt, ut nos ipsi animorum » in naturam transeuntes maneamus, jam sejuncto corpore, » atque in minorem animi substantiam commutato. Stulto- » rum autem et animalium ratione carentium animos, tan- » dem una cum ipsis corporibus interire. » Atque hujus modi sunt illa stoicæ philosophiæ dogmata, ex Ario Didymo breviter summatimque collecta. Verum ad refellendam hominum istorum insulsam de animo sententiam satis utique fuerit pauca hæc ex ætatis nostræ scriptore Longino decerpere.

CAPUT XXI.

Longini contra Stoicorum de animo sententiam disputatio.

« Mihi vero, *inquit*, ut universe loquar, procul admo-» dum a vera philosophandi ratione abesse illi videntur om-» nes, qui animum corpus esse docuerunt. Quis enim, obse-» cro, nisi absurde, quod animi proprium est, elementorum » affine ac geminum esse dicat? quis ullam in eo concretionem » mixtionemve defendat? quales sane multiplices ac variæ » infinitorum aliorum corporum formas parere consueve-» runt, in quibus si minus perpetuo, interdum certe qui-» dem cum elementorum ipsorum causam, tum vero pri-» morum etiam corporum in secundis ac tertiis vim quam-» dam momentumque videamus. At eorum quæ ad animum » pertinent, vestigium in corporibus nullum, nullum us-» quam indicium reperias, ut ambitiose, quomodo Epicu-» curus olim et Chrysippus omnem omnino lapidem moveas, » atque omnem excutias corporis facultatem, unde animi » functionum originem ac fontem arcessas. Quid enim te-» nuissima spiritus illius subtilitas, ad cogitandum nobis » aut ratiocinandum conferre possit? Quam vero tantam præ » cæteris omnibus, atomorum figuræ vim et convertendi » facilitatem habent, ut si quando in corporis alterius con-» formatione misceantur, prudentiam efficiant. Mihi quidem » in nullatenus fieri posse persuadeo, ne si Vulcani quidem » aut tripodes, aut famulæ cuiquam obveniant (e quibus » illos per sese Homerus ait deorum in cœtum convenire, » has vero laboranti hero manum operamque commodare, » nec a viventibus ullo dotis aut facultatis genere superari,

» ne dum ut istis ex fortuito concursu ramentis ulla ratione
» concederent :) adeoque nihilo plus eum quam jacentes
» in littore lapides, ad eximium aliquid visuque mirabile
» conficiendum, virtutis ac solertiæ habiturum. Enim-
» vero quis non Zenonem jure Cleanthemque indignetur,
» tam contumeliose de animo philosophatos esse, atque
» in id ambo consensisse, ut solidi corporis exhalationem
» animum esse defenderent? Qui vero, cum ejus rei simi-
» lem tam nostram, quam cæterorum animantium naturam
» fecerint, tueri simul poterunt, aut cogitationes recorda-
» tionesque diuturnas, aut eorum, quæ rerum ad notitiam
» conducant, appetitus atque voluntates? Numquid etiam
» deos, atque illum ipsum, qui terrena pariter ac cœlestia
» cuncta perdavit, exhalationis, fumi, ac cæterorum id
» genus deliriorum in loco numeroque habebimus? nec
» poetarum saltem exempla verebimur, qui tametsi ex-
» quisita deorum cognitione carerent, de illis tamen partim
» communi quodam hominum sensu, partim afflatu mu-
» sarum, quo ad sua illa carmina impelli solent, hones-
» tiora dixere, non jam exhalationes illas, aut aerem, aut
» spiritum, similesque nugas. » Hæc tibi longinus. Audi
nunc Plotinum adversus eosdem sequentia graviter di-
sputantem.

CAPUT XXI.

Adversus eosdem Stoicos, animum corporeum esse non posse. Ex libro Plotini de animo.

« Utrum, *inquit ille*, nostrum quilibet immortalis sit, » an simul totus intereat; an vero potius pars ejus altera » dissolvatur ac pereat, altera, quæ quidem ipsemet homo » sit, perpetuo maneat : ita demum intelligi ab eo possit, » qui rem secundum naturæ principia consideret. Ac pri- » mum quidem, simplex aliquid homo certe non est, sed » animum idem corpusque habet. Ac sive tanquam instru- » mentum nobis aliquod, sive alia quavis ratione corpus » adhæreseit; recte quidem hoc pacto utriusque naturam » essentiamque distingui, prorsus fatendum est. Jam vero » corpus, cum ipsum etiam compositum sit, nec permanere » ratio patitur, et revera dissolvi, contabescere, nullumque » non exitii genus subire sensus ipse videt : dum que illo » continentur, in suum quæque feruntur ac proprium, at- » que alterum subinde alterum corrumpit, illudque sic » mutat in aliud, ut simul interimat : præsertim ubi animus, » qui ea inter sese mutuo conciliet, ex illis sese corporibus » subduxerit. Et quamvis partes eorum quælibet solæ relin- » quantur, unum tamen hic nihil est, cum et in formam » atque materiam, ex quibus simplicia etiam corpora con- » stare necesse est, singulæ dissolvantur, et vero ut magni- » tudinem ex propria corporum ratione aliquam habent, » secari proinde, ac minimas in particulas confringi possint, » atque ita demum funditus interire. Quare, si pars nostri » altera corpus est, toti sane immortales non sumus, sin

» autem instrumentum duntaxat, cum ad aliquod modo » tempus concedatur, ea certe natura esse oportuit. At » vero pars illa princeps, homo inquam ipsemet, si cum » adjuncto corpore conferatur, aut formæ quasi erga mate- » riam, aut quasi erga instrumentum, utentis artificis ra- » tionem obtinebit. Utro vis autem modo spectetur, homo » semper futurus est animus.

» Jam ergo cujusmodi tandem illæ naturæ est? si corpus, » dissolvi profecto potest, cum sit corpus omne compositum. » Sin veri corporis habet nihil, sed aliam dissimilemque na- » turam, ejus etiam consideratio aut eadem nobis erit aut alia » quadam ratione tractanda. Et quidem principio quærendum » est, quas in res corpus illud, cujusmodi sit, quod animum » esse volunt, dissolvi oporteat. Nam cum necessario vitam » ex sese animus habeat, similiter proinde necesse est, si » genus illud corporis, qui animus est, seu duorum, seu » plurimum ex corporum societate conflatum sit, aut con- » juncta simul ambo, aut seorsim etiam singula ingenitam » sibi vitam habere, aut certe carente altero, alterum » duntaxat ea præditum esse, aut utrumque carere. Si » ergo alteri solum vita insit, illud ipsum. Animus erit. At » cujusmodi tandem corpus esse potest, quod ex sese vitam » habeat? Nam ignis quidem, aer, aqua, terra, animo per » sese carent : et si cui ex illis animus adjungatur, id vita » utitur prorsus adventitia. Cæterum præter quatuor illa » corpora, nullum est aliud. Et si quibus elementa quæ- » dam esse placet, quæ horum dissimilia sint corpora, ea » tamen nec animos ipsi vocant, nec vitam ex sese habere » volunt. Jam si nullum ex iis vita præditum erit, absur- » dus omnino sit, qui ex omnium conjunctione vitam effici » dixerit. Si vero quodlibet vitam habeat, vel unicum satis » erit. Imo vero fieri nullo modo potest, uti concursus ille » corporum vitam efficiat, quæque intelligentia careant, ea

»generent intelligentiam. At illa ipsa non ex temeraria quadam permixtione fieri objicient. Quod igitur vi sua mixtionem illam ordine modoque perficiat, esse aliquid oportebit : atque illud profecto animi loco habendum erit. »Corpus enim non modo compositum, sed ne simplex »quidem ullum hac in rerum natura esse possit, nisi animus in universo fuerit; cum ratio ad materiam accedens »corpus efficiat, nec in eam aliunde ratio quam ab animo »profecta subire possit.»

«Quod si quis erit, qui aliam insistens viam, ex atomis »aut individuis quibusdam inter sese concurrentibus animum effici malit; is vel conjunctione ipsa, et affectionum »communione, adeoque commissione mutua facile revincatur : cum ex illis, quæ nec ullam subire affectionem, »nec inter sese conjungi possint corporibus, unum aliquid, »et iisdem affectionibus obnoxium, cujusmodi certe animus est, fieri nullo modo queat; neque ex iis, quæ »partibus careant; aut corpus, aut magnitudo ulla generari. Jam, si quod in simplici corpore materiæ rationem »habeat (quandoquidem inconditum quid et confusum materia est), vitam ex sese nullam habere fatebuntur illi quidem, sed tamen quod in eo formæ locum teneat, id vitam »afferre dicent : si formam illam pro essentia naturaque »ponant, non jam utrumque simul, sed alterum duntaxat »animus est futurus, nec id ipsum corporis amplius conditionem retinebit, quippe quod omni materia careat; »secus enim, illud eodem iterum modo partiremur. Sin »autem, id affectionem materiæ potius, quam essentiam »ipsam esse mallent; exponant proinde necesse est, quo »ex fonte in materiam illa cum affectio, tum etiam vita »derivetur. Nec enim sibi ipsi materia aut formam infundit, aut animum. Auctorem igitur vitæ aliquem »esse oportebit, seu materiæ beneficium hoc fiet, seu

» cuilibet corpori; et vero auctorem ejusmodi, qui et » corpore vacuus sit, et corpoream omnem naturam longissime prætergressus. Enimvero si animi nulla vis esset, » corpus similiter omne tolleretur. Fluit enim illud, atque in » motu tota ejus natura versatur: adeoque si corpora essent » omnia, celerrime omnia interirent, tametsi uni cuidam eo» rum corporis nomen imponeretur. Tunc enim eadem omni» no, quæ cætera corpora animus iste pateretur, cum una » omnium esset communisque materia. Imo certe nihil penitus » fieret, atque in materia universa consisterent, cum esset » nihil, a quo ipsa formam acciperet. Quinetiam materia » forte nulla prorsus erit, hocque universum omnino dis» solvetur, si quis ipsum corporis alicujus colligationi » permiserit, cui nomine tenus animi vim et rationem attri» buat, aeris verbi causa, et spiritus, qui et facillime dissipari » queat, nec ut unum aliquid sit, per sese habeat. Nam » cum dividi corpora omnia, secarique possint, quis eorum » ulli hoc committat universum, quin idem simul et mente » vacuum faciat, et temerario quodam motu agitatum? Quid » enim eo in spiritu aut ordinis sit, aut rationis, aut mentis, » quem non nisi animi beneficio ordinem habere oporteat? At » posito semel animo, cuncta hæc administram ipsi conti» nuo navant operam, ut non ipsi tantum mundo, sed etiam » animanti sua cuique integritas perfectioque constet, ad » commune universi bonum vim aliam alio conferente. Qui » animus si ab eodem aberit universo, tantum abest uti » suum quæque ordinem habitura sint, ut potius nihil om» nino sint futura.

« Et quidem veritate compulsi profitentur ipsi quoque, » ante corpora certam quamdam animi speciem, illis omni» bus præstantiorem esse debere, dum spiritum illum mente » præditum atque ignem intelligentia valentem ponunt; » perinde ut si absque vel igne vel spiritu, hac in rerum

» universitate non posset excellentior illa diviniorque natura » consistere, sed locum ubi gradum solide figeret, aliquem » ipsa requireret, cum eos potius ubi sua corporibus firmi- » tas esse posset, requirere oporteret, quippe quam alibi » nusquam præterquam ipsius in animi viribus obtinere » possint. Qui si præter spiritum, aliud nihil et vitam et » animum esse dicent, quærendum ex illis est, quid sibi » velit suum illud certo se modo habens, tam apud eos ce- » lebre totiesque jactatum, ad quod unum ipsi confugiunt, » aliquid aliud præter corpora, quod effectivum suapte na- » tura sit, proferre compulsi. Enimvero si nec spiritus omnis » animus est, cum vis quædam sit in animorum spirituum » infinita, et tamen spiritum id quod certo se modo habeat » esse velint; hoc ipsum quidem, « certo se modo habens, » hoc est, peculiarem illam habitudinem, aut aliquid esse » dicant necesse est, aut omnino nihil. Si nihil, spiritus » ergo solus vere est, illud autem certo se modo habens » vacuum et inane nomen. Ex quo proinde sequitur, uti » præter materiam aliud nihil esse dicant, atque ita ani- » mum, et Deum, et cætera prorsus omnia nomine tenus, » spiritum proprie solum existere. At si habitudo illa et » verum aliquid est, et ab eo quod subjicitur, adeoque a » materia ipsa diversum, quod cum in materia sit, materiæ » tamen expers maneat, propterea quod rursus ex materia » compositum minime sit : corpus utique non est, sed ra- » tio, corporique natura dissimilis. Præterea quam animus » nullum omnino corpus esse possit, vel inde quivis intel- » ligat : aut enim calidum est aut frigidum, durum aut » molle, humidum aut concretum, nigrum aut album, ac » cæteris id genus præditum qualitatibus, quæ aliæ passim » in aliis esse solent. Jam si calidum erit, tantummodo ca- » lefaciet, refrigerabit si frigidum; si leve, levitatem affe- » ret ubicumque aderit; si grave, gravitatem; nigrore,

» si nigrum, si candidum, candore similiter afficiet. Nec » enim aut ignis est, frigidum, aut frigidi calidum efficere » Atqui animus, cum in diversis animantibus alia atque » alia efficiat, tum etiam in uno eodemque contraria : mo- » do enim cogit, modo liquefacit : densum aliquid aliud- » que rarum, nigrum hoc, illud album, aliud leve, grave » aliud efficit : cumque pro diverso corporis colore, aliis- » que similiter qualitatibus, unum duntaxat aliquid effice- » cere deberet, multa simul operatur.

» Motus vero tam multiplices atque diversos, non aliquem » duntaxat unum, qui tandem una cujusvis in corporis mo- » tione defendent? Nam si eorum causas, partim electiones, » partim antegressas quasdam rationes esse respondebunt; » probe id quidem. At corporis unius præsertim ac simpli- » cis nec electio, nec diversæ illæ rationes propriæ sunt, » quod ejusmodi rationis omnino nihil habeat, nisi quan- » tum ab eo acceperit, a quo vel calidum, vel frigidum ef- » fectum est. Certo quidem et spatio temporis, et mensuræ » modo augere, quo pacto corpori conveniat? Augeri enim » ipsius est, augendi vim per sese nullam habet, sed tantum » quatenus eam cum ipso animus in materiæ suæ mole » communicat, cui per se incrementum illud efficienti » administram navat operam. Etenim si et corpus esset ani- » mus, idemque simul augeret, cum ut aucto vi sua cor- » pori par esse posset, una profecto similis accessione cor- » poris augeri necesse esset. Quod porro ad eam accederet, » id aut animus itidem esset, aut corpus inanimum. Si ani- » mus, unde vel quomodo aut illabitur, aut additur? Sin » animo careat, quomodo aut illum accipiet, aut priori » consentiet? quomodo cum eodem et unum quid efficiet, » et iisdem in sententiis acquiescet? ac non potius tanquam » hospes quidam et peregrinus, quæ prior ille noverat, » ignorabit : et quemadmodum, in cætera corporis nostri

» mole usuvenit, pars ipsi alia delibetur, succedet alia, sic
» que nihil prorsus unum existet? Quomodo autem in nobis
» vel memoria, vel rerum ad nos pertinentium cognitio fu-
» tura est, si eodem animo nunquam utemur? Præterea si
» et corpus ille est, et natura corporis ejusmodi, ut illo
» plures in partes diviso, nulla idem omnino sit, quod to-
» tum ipsum atque integrum; itemque si tantæ omnino ma-
» gnitudinis est, quantæ si non erit, animus quoque non
» erit; utique quod omni certæ quantitatis rei solet acci-
» dere, priorem existendi modum quantalibet detractione
» mutabit. Sin autem aliquid certa magnitudine præditum,
» ut molis suæ parte aliqua decurtetur, idem tamen qua-
» litate manet: id ipsum ergo et corporis diversas habebit
» quantique rationes, et tamen idem ut sit, qualitatis unius
» a quantitate diversæ vi beneficioque retinebit. Quid igitur
» dicturi sunt, qui animum corpus esse aiunt? Ac primum
» quidem utrum animi ejus qui eodem versatur in corpore,
» pars quælibet animus est, ejusdem omnino cujus integer
» ac totus ipse rationis; itemque singulæ partis cujusque
» partes? Nihil ergo ad animi naturam magnitudo perti-
» neret; (tametsi quantitate præditus cum sit, pertinere
» omnino debeat;) eaque tota multis esset in locis, quod
» in corpus nullo modo convenire potest, ut idem in
» pluribus totum insit; quemadmodum nec in partem ul-
» lam, ut idem sit quod totum ipsum. Qui si partem
» quamlibet animum esse negaverint, animum proinde
» inanimis ex rebus constare dicent. Porro, si cujusvis
» animi magnitudo suis utrinque terminis circonscripta
» erit, profecto ubi major ea minorve fiet, animus tum
» esse desinet. Cum autem congressu ex uno; unoque ex
» semine, aut gemini aut etiam, ut in cæteris animan-
» tibus evenire solet, plures creantur fœtus, semine
» tum multa in loca distracto, ubi sane unumquodque

» totum aliquod est : qui fieri potest, ut ea re non doceantur qui discendi modo cupidi sint, ubi pars eadem ipsa quod totum est, ibi totum illud propriam quanti rationem suapte natura prætergredi, adeoque ab omni prorsus quantitate secretum esse oportere? Sic enim demum idem plane remanere poterit, etiam quantitate subducta, quippe cujus nec quantitatis ratio quicquam nec molis intersit, cum naturam habeat penitus ab utraque diversam. Animus igitur, atque antegressæ illæ rationes, quantitatis omnis expertes sunto.

« Jam vero, si corpus animum esse ponetur, nullam amplius aut sentiendi, aut intelligendi vim, nullam scientiam, virtutemque nullam, adeoque nec boni omnino quicquam futurum, ex sequentibus manifeste constabit. Quicquid enim aliud sensu percipiat, illud cum unum aliquid oportet esse, tum eadem quoque vi universa percipere; tametsi aut per multos sensuum aditus complura subeant, aut ejusdem rei qualitates multæ, aut per id quod unum sit, multiplex tamen quiddam et varium, cujusmodi vultus est. Nec enim aliud quid nasum, aliud oculos percipit, sed unum idemque universa. Et si aliud per oculos, per auditum aliud subeat, unicum tamen id esse necesse est, ad quod utraque postremo perveniant. Quomodo enim diversa illa esse pronunciaret, nisi ad unum et idem omnia sensibus percepta confluerent? Illud nimirum tanquam centrum aliquod si oportet, quo quidem ex omni parte sensus, quasi lineæ quædam ex toto circuli ambitu coeuntes ita pertineant, ut quod illos excipiat unum revera sit. Nam si divulsum ac distractum erit, aut velut in linea extremum ejus utrumque sensus occupabunt; sane aut in unum idemque rursus, tanquam in medium aliquod ipsi concurrent, aut ferentur aliorsum; itaque alterum alterius duntaxat sensum habe-

»bit, perinde ut cum ego alia, tu vicissim alia sensu com-
»prehendis. Quod si unum id fuerit, quod sensu percipitur,
»cujusmodi vultus est, tum etiam unum in aliquid collige-
»tur; uti re ipsa fieri constat: quæ enim cernimus, ea
»utramque in pupillam colliguntur, qui enim aliter per eas
»maxima quæque cerneremus? uti multo adhuc magis
»principem in facultatem illapsa, individuæ quædam no-
»tiones afficiuntur. Quæ quidem facultas partibus carebit
»ipsa quoque: alioqui si magnitudo quædam esset, una
»cum illa notiones ipsæ dividerentur: atque ita partem
»duntaxat alius aliam, totum id quod sensibus objicitur,
»nemo perciperet. At enim vero unum quid totum est;
»quomodo enim aliter divideretur? Non ita quidem, ut
»cum æquali æquale congruat, cum vis illa princeps ejus
»omnis rei, quæ sensu comprehenditur, æqualis non sit.
»Quot igitur in partes futura est ita divisio? Utrum in to-
»tidem, quot numero varias, res sensu percepta et illapsa
»complectetur? Ergo partium illarum quælibet in animo
»quoque futura est, ipseque adeo per easdem ejus parti-
»culas sentiet. An forte partium istarum particulæ sensu
»carebunt? Fieri non potest. Quod si pars quælibet nihil
»non sentire queat, cum infinitas in partes suapte natura
»dividi magnitudo possit, et infinitos cujusque sensus,
»circa rem quam libet sensui obnoxiam versari oportebit,
»et in principe nostra facultate rei ejusdem imagines esse
»prorsus infinitas. Ad hæc, si corpus illud est quod sentiat,
»non aliter sentiendi perficietur actio, quam uti cera im-
»pressis annulorum figuris consignatur, aut sanguine vel
»aere, quæ sensus ipse percipit, informantur. Et quidem
»si, quod utique consentaneum est, tanquam humidis in
»corporibus, ut est aqua; perturbabitur nullaque jam erit
»memoria. Sin figuræ illæ permanebunt: aut quamdiu
»locus a prioribus occupabitur, informari aliæ nullæ pote-

» runt, atque ita sensuum aliæ tollentur actiones; ut aliis » succedentibus, delebuntur priores illæ, sicque memoria » nulla relinquetur. Quod si et recordari possumus, et vicissim alia sentire post alia, nec a prioribus impedimenti » quicquam objicitur; corpus esse animus nullo modo potest.

« Cæterum id ipsum doloris ex sensu manifeste quivis » intelligat. Nam cum digito dolere homo dicitur, dolor » quidem hæret in digito, at doloris illius sensum in prin» cipe hominis facultate haberi, vel ipsos etiam confessuros » esse liquet. Ita, dum alia quædam pars laborat, sentit » interea spiritus vis illa princeps, idemque patitur animus » ipse totus. Id ergo quemadmodum evenit? Propagatione » quadam, inquient, dum animalis primum digiti spiritus » dolet, mox suum hunc dolorem cum sequente, isque dein» ceps cum alio communicat, donec principem ad faculta» tem usque pervenerit. Necesse igitur est, si pars illa » prima dolorem senserit, uti alius secundæ sensus existat, » si modo propagatione sensus iste fiet, itemque alius ter» tiæ, adeoque complures et infiniti quidam ex uno eodem» que dolore sensus oriantur, quos deinde omnes princeps » consequatur facultas, quæ suum præter illos proprie per» cipiat. Sic quidem, ut eorum quilibet non illius vere sit » doloris, quem digitus sentiat; sed ut digitum proxime con» sequens, palmæ, tertiusque similiter partis alterius supe» rioris dolorem percipiat, multique re ipsa dolores exis» tant, ac vis ipsa princeps non jam ipsiusmet digitum, at » suum tantummodo sentiat, aliisque omnibus facessere » jussis, unum hunc ita cognoscat, ut ne digitum quidem » ipsum dolere sciat. Quare, si propagatione aliqua futurus » est, nullus omnino doloris hujus sensus existere, cumque » corpus moles quædam sit, parte altera patiente, alterius » esse cognitio non poterit. Omnis quippe magnitudinis » partes aliæ atque aliæ cum sint, ejusmodi oportet esse

» quod sentitur, ut unum et idem ubique permaneat. Hoc » autem ab alio sane, quam a corpore fieri necesse est.

» At vero ne ullum quidem, si corpus animum esse di- » camus, intelligentiæ locum relinqui, hujusmodi rationi- » bus perspicue conficitur. Si enim sentire aliud nihil est, » quam corpore utentem animum quæ sub sensum cadunt » percipere; profecto aut intelligere, non erit corporis » opera comprehendere, aut idem ipsum erit quod sentire. » Si ergo intelligere, est sine corpore aliquid percipere, » multo sane prius necesse est, id quod intellecturum sit » corpus non esse, quandoquidem uti eorum quæ sentiendo » percipiuntur sensus est, sic eorum quæ intelligendo com- » prehenduntur, intelligentia. Quam discriminis rationem » si probare nolunt, spiritalia quidem intelligi, et magni- » tudine carentia percipi fatebuntur. Quomodo igitur quod » magnitudo quædam est, id quod magnitudine careat, et » quod dividuum est, rem percipiet individuam? Utrum » sua quadam individua facultate? Hoc si dicetur, corpus » id non erit, quod intelliget. Nam uti res attingatur libe- » turque duntaxat, toto ipso nihil opus est, pars vel una » sufficit. Si ergo, quod plane verum est, principes illas » notiones singulas per sese, ab omni omnino corpore li- » berrimas esse concedent, id etiam quod intelligat, ita » demum, si corpore liberum aut sit, aut fiat, cognoscere » necesse est. Sin autem formarum, quæ ad materiam ad- » hærescunt, notiones illas esse respondebunt, eæ tamen » non nisi secretis corporibus, mentisque adeo vi secretis, » haberi possunt. Nec enim aut corporis, aut omnino ma- » teriæ quidquam patitur, illa fieri solita circuli, trianguli, » lineæ, punctique secretio : proindeque animum etiam » ipsum, qui eam efficiat, a corpore secernere, neque adeo » corpus esse oportebit. Enim vero pulchrum, opinor, et » justum, ipsaque proinde amborum intelligentia magnitu-

» dinis habent nihil. Quare ambo et individua quadam illius » vi excipientur, et in illa sine partibus ullis sita remanebunt.

» Quid? Si corpus animum dixerimus, temperantia, » justitia, fortitudo, ac cæteræ, quomodo tandem ejus » virtutes esse poterunt? Quippe spiritus videlicet aut » sanguinis aliquid virtutes illæ sunt. Nisi forte spiritus mo- » lestia quædam, fortitudo sit, temperantia ejusdem com- » moda temperatio, et vera illa pulchritudo, formosa quæ- » dam ac figuris adumbrata species, quam in nonnullis » dum videmus, elegantes illos corporeque pulchros voca- » mus. Ei sane quod umbratilem tantum aliquam, et figura » tenus aut fortitudinem aut pulchritudinem habeat, spiri- » tus conditio naturaque conveniat. Temperantia vero quid » opus spiritui? Imo certe contra, in complexu tactuque, » commoditatem potius aliquam sequetur, sicubi aut cale- » fiat, aut frigus moderate captet: aut mollibus, teneris, » ac lævibus adhæreat. Suum vero cuique pro dignitate » tribuere, ad ipsum quid attinet? Utrum porro sempiternæ » sunt virtutis illæ notiones, cæteraque id genus spiritalia, » in quibus animus occupatur; an contra nascitur virtus, » eademque rursus interibit? At quis eam, aut qua ex re » tandem efficiat? Tum enim hæc adhuc quæstio maneat, » necesse est. Sempiterna profecto illa esse oportet, sem- » perque manentia, cujusmodi ea sunt, quæ ad geome- » triam pertinent. Quod si sempiterna sunt perpetuoque » manentia, corpora igitur certe non sunt. Et id præterea, » in quo versabuntur, simile quid esse oportebit, adeoque » corpus non esse. Nec enim permanet, sed fluit assidue » corporis natura quævis.

» Quod si dum corporum ipsi functiones vident, quæ » calefaciant, refrigerent, propellant, ac deprimant; ibi- » dem animum constituunt, eum velut actuoso quodam in » loco defigentes: ignorant illi primum, ipsamet corpora,

» suis quibusdam incorporeis facultatibus hæc omnia perficere : deinde ne hoc quidem a nobis facultatum genus » Animo tribui, sed potius ita statui, ut intelligere, sentire, ratiocinari, concupiscere, cuncta denique sapienter » ac rite moderari, aliam omnino quam corporis essentiam » requirant. Isti vero rerum incorporearum facultates ad » corpora transtulisse contenti, incorporeis ipsis nullam re» linquunt. Cæterum ipsa etiam corpora, incorporeis facul» tatibus ea posse, quæ possint, ita planum efficio. Fate» buntur utique quantitatem esse a qualitate diversam : » quippe corpus enim omne quantitate, nec omne tamen » qualitate instructum esse, uti de materia certo constat. » Siquidem hoc utrumque dum fatentur, fatentur una qua» litatem, cum a quanto, tum etiam a corpore diversam esse. » Quomodo enim quæ quantitate careat, corpus esse possit, » cum omne corpus quantitate sit præditum? Præterea, » quod supra jam attigimus, si corpus molesque omnis, » dum in partes secatur, id desinit esse quod erat; si corpore » in minutissima quæque diviso, qualitas eadem singulis in » partibus integra perseverat; uti mellis dulcedo, nihilo mi» nus qualibet ejus in parte dulcedo est : certe nec dulcedo » illa, nec similes aliæ qualitates corpora fuerint. Deinde, si » corpora essent facultates illæ, valentiores utique facultates » majori, imbecilliores minori mole præditas esse oporteret. » Sin autem, et vastæ molis vires exiguæ sunt, et immensæ, » molis perexiguæ; alteri sane rei quam magnitudini, efficiendi » vis tribuenda erit : illi ergo tantum quæ magnitudine careat. » Quid? hoc ipsum quod aiunt, eamdem omnino materiam » et corpus esse, et susceptis deinde qualitatibus diversita» tem efficere, num clare satis ostendit, quæ ad materiam » accesserint, ea principes ipsas rationes et corpore ca» rentes esse? Neque vero nobis objiciant, spiritu sanguineve » dilapso, animantes interire. Licet enim sine illis esse non

» possint, certe nec sine permultis aliis, ut ipsemet adsit » Animus, esse non possunt. Quanquam nec spiritus ipse, » nec sanguis, partes per omnes usquequaque diffusus est.

» Jam vero, si corporeus animus totum corpus undique » pervaderet, cum eo proinde permixtus esset, quomodo » cæteris in corporibus mixtio fieri consuevit. Quare, cum » ejusmodi corporum mixtio sit, ut ex iis quæ commixta » sunt, nullum reapse permaneat; ne animus quidem » reapse in corporibus, sed virtute tantum inesset, animi» que naturam et rationem amitteret; quemadmodum si » cum acerbo dulce misceretur, dulce amplius non esset: » ita nullum jam Animum haberemus. Enimvero, si corpus » cum corpore, totum cum toto misceatur, ita ut ubicun» que alterutrum erit, ibidem amborum toto illo spatio » diffusorum æqualis moles existat, nec ullum incremen» tum ex alterius accessione consequatur: nihil ab eo quod » non secet ac dividat, relinquetur. Nec enim in majoribus » duntaxat partibus, alterna quadam vicissitudine mixtio » fit: (sic enim adjunctionem potius futuram aient) sed » totum alterum permeans, majus licet injectum in minus; » (quod quidem fieri non potest, ut minus æquale majori » fiat); sed permeans tamen, totum ubique secat. Itaque » necesse est, si hoc ipsum quovis in puncto fiet, nec me» dium corpus ullum erit quod non secetur; ut in puncta » corpus integrum dividatur, quod fieri nullo modo potest. » Sin autem divisionis illius infinita ratio futura est (quod» cunque enim corpus acceperis, dividuum semper est;) » tum vero non virtute duntaxat, sed etiam reapse infinita » erunt. Totum ergo corpus totum aliud permeare non po» test. Atqui totum animus permeat: Corpore ergo caret » Animus.

» Quod autem priorem illam ipsius naturam, spiri» tum proprie ac peculiariter esse dicunt, quæ ψυχρῷ

» hoc est frigido in loco posita, atque aciem adepta majo-
» rem, ψυχὴ hoc est Animus, frigoris vi tenuior subtiliorque
» factus evadat; hoc ipsum quidem absurdum est, cum
» pleræque animantes et calidis nascantur in locis, et
» animum habeant hujusmodi refrigeratione carentem. At
» priorem quoque Animi naturam, ex multiplici rerum ex-
» ternarum casu existere ac pendere volunt. Illi ergo quod
» deterius est, id primum faciunt, quo ipso præterea quid-
» dam aliud, minus licet, prius tamen constituunt, quem
» Habitum nominant. Mens autem postremo ab iis loco nu-
» meratur, ab Animo scilicet ipso profecta. Nam si prin-
» ceps omnium Mens ponitur, secundo in gradu Animum,
» Naturam denique in tertio collocare oporteat; itaque sem-
» per quod deterius sit, habere posterius, si quidem ejus-
» modi natum est. Si ergo Deus ipse quoque, pro eo ac
» Mente præditus est, posterior idem ac genitus sit, atque
» adventitiam Mentem ipsam habeat; concludi forte possit,
» neque Animum, neque Mentem, neque Deum esse. Nun-
» quam enim quod virtute tantummodo est, nisi prius id
» fuerit, quod actu sit, actu ipso futurum est. Cujus enim
» vi existat aliquando, si aliud præter ipsum nihil eoque
» prius fuerit? Sin autem se proferet, producetque per se-
» se (quod ipsum tamen absurdum est), certe dum se ita
» proferet, aliquid intuebitur, quod non virtute, sed actu
» erit. Quamquam, id quod virtute est, si habeat idem ut
» sui semper simile maneat, existet actu per sese, atque
» id erit solam existendi potestatem habente præstantius,
» cum ab illo appetatur. Maneat igitur, prius id esse quod
» præstantius sit, itemque quod diversam a corpore natu-
» ram habeat, quodque actu semper existat. Inde enim,
» Mentem et Animum, natura priores esse, nec spiritus,
» aut corporis similem Animum esse conficitur. Et quidem
» ad Animum corporeæ naturæ subducendum, ab aliis cum

» et proferri alia possunt, et prolata jam sunt, tum hæc » quoque nostra satis erunt.

« At quærendum porro, cujusnam alterius naturæ fue- » rit. Num igitur ita diversus a corpore est, ut tamen ali- » quid sit, quod eidem corpori maxime conveniat, cujus- » modi harmonia est? Cum enim Pythagoras longe aliter » hoc de harmoniæ genere disputaret, id isti ejus, quæ in » fidibus sit harmoniæ, simile quid esse putaverunt. Ut » enim hic, dum fides intenduntur, quædam illis accedit » affectio, quam harmoniam vocamus : ita plane, cum » inter sese mutuo dissidentia temperantur, certam hanc » corporis nostri temperationem, vitam simul et animam » efficere, quæ aliud nihil sit, quam illa ex temperatione » profecta singularis quædam et peculiaris affectio. Verum » adversus hanc opinionem tanquam omni probabilitate ca- » rentem, multa quoque disputata jam sunt. Principio, ani- » mam prius esse aliquid, harmoniamque posterius : deinde » animum non corpori præesse tantum ac moderari, sed » etiam cum eo pugnare sæpe, quod factura nunquam es- » set, si esset harmonia : tum, animam esse substantiam, » qualis harmonia non sit : ad hæc, illam ipsam corporum, » ex quibus concreti sumus, rectam justamque temperatio- » nem, valetudinis potius integritatem esse. Imo, partibus » in singulis, diversa quadam ratione temperatis, animam » quoque diversam, proindeque plures uno in corpore fu- » turas esse : postremo, quod hoc in genere potissimum » est, ante hanc ipsam animam, aliam inesse quamdam » oportere, quæ harmoniam illam efficeret; qualem orga- » nis præesse musicum hominem videmus, qui harmoniam » fidibus immittat, eamque rationem penes sese habeat, qua » illam omnem rite moderetur. Nec enim aut fides illic per » se ipsas, aut corpora hic eam ad harmoniam se ipsas perdu- » cere unquam poterunt. Cæterum, uti hoc universe dicatur,

» ex inanimis isti animata constituunt, atque ex inordinatis » ordinata suum hunc ordinem propriamque naturam casu » quodam accepisse volunt. Quod tamen nec singulis in » partibus, nec ullo in toto evenire potest. Non est igitur » Animus harmonia. »

Atque hactenus ex Plotino, contra Stoicorum de animo sententiam, qui corporeum illum esse dicerent. Sed quoniam adversus Aristotelem, Peripateticos omnes, Stoicorumque sectam, compendio licet, sat multa protulimus: superest uti ad caput denuo revertentes, egregias illas præstantium philosophorum simul omnium commentationes videamus : cum et Græci plane universi, solem, lunam, cæteraque sidera, partesque mundi reliquas, quæ visu ipso percipiantur, Deorum loco habuerint atque coluerint : et fabulosas eoram ineptasque de vana numinum multitudine narrationes, speciosis isti explicationibus ad elementa et alia hujus universi membra transtulerunt. Quare, factu mihi necessarium videtur, ut ipsorum his etiam de rebus opiniones congeramus, simulque dissidia, et arrogantem hominum vanitatem propius contemplemur. Cæterum ista quoque non aliunde, quam ex illo Plutarchi opere hauriemus, ubi collectas hisce de rebus antiquiorum una recentiorumque sententias hunc in modum exponit.

CAPUT XXIII.

—

Naturalium Philosophorum sententiæ, de Sole.

« Solem Anaximander circulum esse vult, qui terræ » magnitudinem septem ac viginti partibus superet, in» structum orbita rotis curruum persimili, sed cava tamen,

» ignisque plena; qui quidem aliqua ejus ex parte per angustius osculum, quasi per fistulæ foramen promicet: » atque hunc esse Solem. Xenophanes, ex collucentibus » quibusdam igniculis, qui ex humida exhalatione coëuntes, Solem ipsum inflammatis ex nubibus collectum efficiant. Stoici, succensum aliquid ac mente præditum, » quod ex mari prorumpat. Plato, ex plurimo igne. Anaxagoras, Democritus, et Metrodorus, massam aut lapidem » igne succensum. Aristoteles, globum ex quinto corpore. » Philolaus Pythagoreus, discum aliquem vitro persimilem, » qui repercussum ex igne mundi splendorem excipiens, lucem ad nos per aerem, quoddam quasi colum, inde » transmittat : ut igneus ille Solis in cœlo fulgor, splendoris ejus similis sit, qui ad nos e speculo reflexione transfunditur. Eum quippe Solem, tanquam aliquod simulacri » simulacrum, vocamus. Soles ab Empedocle ponuntur duo, » quorum alter ille primigenius, ignis quidam sit in altero » mundi hemisphærio, quod hactenus splendoris sui reflexioni semper adversum impleverit : alter hic qui nobis » appareat, lucis repercussio quædam, in altero hoc hemisphærio, quod aere permixtum calorem includente plenum est; quæ repercussio, ex terra quæ globosa est, in » Solem crystallo persimilem incidat, ac simul in orbem » alterius ignei motione rapiatur; hoc est, uti brevius expediam, aliud solem esse nihil, quam ejus qui circa terram est, ignis reflexionem. Epicurus denique, terrestrem » massam, pumicis aut spongiæ crebis foraminibus similem, » ignique succensam [1]. »

[1] Plutarch., lib. de Plac. Philos., lib. II, c. XX.

CAPUT XXIV.

De Solis magnitudine.

» Anaximander, æqualem terræ Solem esse; at eum circulum, unde respirandi vim et facultatem habeat, eadem » sex et viginti partibus esse majorem. Anaxagoras, pluribus cum vicibus Peloponnesum adeaquare. Heraclitus, » humani pedis latitudine comprehendi. Epicurus itidem, » superiora omnia vera esse posse: imo tantum etiam, » quantus nobis videtur, aut majorem paulo, paulove minorem [1]. »

CAPUT XXV.

De Solis figura.

« Anaximenes, laminæ cujusdam more latum esse Solem. Heraclitus, scaphæ non absimilem, incurvumque non » nihil. Stoici, globosum, qualis et mundus et astra omnia sint. Epicurus, hæc omnia probabilitate sua non carere. Atque hujusmodi Solem, magnum illud eorum, quæ » in cœlo videntur omnium, Numen esse Philosophi putaverunt. At Moses Hebræorumque oracula longe sunt ab » ista curiosarum opinionum vanitate disjuncti [2]. »

[1] Plutarch., lib. de Plac. Philos., lib. II, c. XXI. — [2] Id. ibid., c. XXII

CAPUT XXVI.

—

De Luna.

« Anaximander, circulum eam esse, novemdecim vicibus terræ magnitudinem adæquantem, igne, non secus ac eum, quem Soli tribuit, omnino plenum, cujus defectio luminis ex rotæ conversione oriatur. Quippe illum etiam rotæ currus similem esse, quæ concavam orbitam, igneque plenam habeat, unumque tantummodo spiraculum. Xenophanes, coactam esse constipatamque nubem. Stoici, quiddam ex igne, aereque mixtum. Plato, terreni plurimum habere. Anaxagoras et Democritus, firmum quid ac stabile, ignique succensum, campos ac montes in se, vallesque complexum. Heraclitus, terram caligine circumfusam. Pythagoras, ignis ad speciem Lunæ corpus accedere[1]. »

CAPUT XXVII.

—

De Lunæ magnitudine.

« Stoici, terra majorem illam esse pronuntiant, non secus ac Solem. Parmenides, cum Soli æqualem esse, tum ab eo quoque lumen accipere. »

[1] Plutarch. lib. de Plac. philos., lib. II, c. XXV..

CAPUT XXVIII.

De Lunæ figura.

« Stoici, globosæ, non minus quam Solem, figuræ. » Heraclitus scaphæ, disco Empedocles, alii cylindro non » absimilem. »

CAPUT XXIX.

De illuminatione Lunæ.

« Anaximander, suum ei lumen ac proprium esse vult, » sed paulo rarius. Antiphon, splendore quoque Lunam » collucere suo : cujus pars ea, quæ aliquando latet, Solis » accessu obscuretur : cum ignis valentior imbeciliori te- » nebras effundere soleat : idque sideribus etiam aliis usu » venire. Thales, ejusque sectatores, eandem a sole potius » illuminari. Heraclitus, Solis eamdem ac Lunæ rationem » esse : cum enim sidera sint, figura scaphæ similia, dum » exhalationes humidas passim recipiunt, ea quam cerni- » mus luce collustrari; et Solem quidem clarius, quod pu- » riori feratur in aere, Lunam vero, quod in opaciore verse- » tur, obscurius propterea nobis illucescere. »

CAPUT XXX.

De Siderum errantium stabiliumque natura[1].

« Thales, terrena quidem esse Astra, sed inflammata. » Empedocles ignea, eo nimirum ex igne, quem Æther » olim in sese complexus, sub primam rerum secretionem » extriverit. Anaxagoras, circumfusum nobis Æthera cum » igneum suapte natura esse, tum vehementi et incitato » conversionis impetu avulsos ab terra lapides in stellas » commutasse. Diogenes, Sidera pumicum ad naturam acce- » dere, ac mundi spiracula esse arbitratur : itemque lapi- » des, qui oculorum aciem fugiant, quique sæpius in » terram decidentes extinguantur, cujusmodi lapidea illa » stella fuerit, quæ ad oppidum illud ignea specie decidit, » quos vulgo Capræ Fluvios nominamus. Empedocles, sta- » bilia sidera in cœli crystallo illigata putat, errantia vero » soluta esse ac libera. Plato, partem sane maximam ignea, » quæ tamen aliorum itidem Elementorum particulas, » quasi gluten aliquod admittant. Xenophanes, inflammatis » ex nubibus ea constituit; quæ cum extinguantur inter- » diu, tum vero noctu, quidam quasi carbones, iterum ac- » cendantur : ipsa enim oriri modo, modo occidere, aliud » esse nihil, quam eadem inflammari subinde, subindeque » restingui. Heraclides, unaque Pythagorei, quodlibet sidus » integrum esse Mundum, qui Terram, Aërem, atque Cœ- » lum, infinito quodam in spatio comprehendat. Atque hoc » dogma passim Orphicis carminibus celebratur, quæ sin- » gulis ex sideribus Mundos efficiunt. Epicurus, harum sen-

[1] Id., ibid, lib. de Plac. philos., lib. II, c. XII.

»tentiarum nullam omnino repudiat, suum illud, fieri »posse, constanter retinens.

CAPUT XXXI.

De Siderum figura.

«Stoïci, globosa esse sidera, non secus ac Mundum, »Solem, atque Lunam. Cleanthes coni figuram iis attri »buit. Anaximenes, crystallino in corpore clavorum in »modum esse defixa. Nonnulli laminas quasdam igneas, »quæ cælata veluti signa videantur. » Ejusmodi sunt, quæ de illis, quos aspectabiles isti Deos nominant, egregia nobis excogitavit Philosophia. Jam quæ de Universo quoque pronuntient, ejusdem ex Plutarchi verbis intellige.

CAPUT XXXII.

Qua ratione Mundus sit constitutus[1].

« Hic ergo Mundus, circumflexa quam videmus figura, »hunc in modum conformatus est. Cum individua corpora »temerario quodam ac fortuito motu, eodemque perpetuo »simul ac celerrimo agerentur, corpora in unum plurima »coiere, multiplicemque propterea figurarum et magnitu- »dinum varietatem habuere. Quibus in unum ita confluen- »tibus, quæ maxima omnium erant atque gravissima, sub- »sidebant : quæ minora, rotunda, lævia dilapsuque facilia, »concursu ipso corporum extrita atque protusa, sublime

[1] Plutarch., ibid., lib. I, c. IV.

» ferebantur. At ubi propellens ea vis et impetus superio-
» rem in locum efferre desiisset, cum ipsa quoque deorsum
» ferri prohiberentur, vicinis circum in locis, quibus ex-
» cipi utcunque poterant, vehementius premebantur. Eo
» quippe, vis ingens corporum circumflexu quodam age-
» batur: in quo dum alia cum aliis implicata hærerent,
» Cœlum genuerunt. Tum aliæ rursus atomi, eadem quidem
» natura præditæ, sed tamen, uti jam dictum est, specie for-
» maque dissimiles, itemque sursum versus expulsæ, Astro-
» rum naturam perfecerunt. At corporum eorum multitudo,
» unde aliquid exhalationis efflatur, percussum elisit Aerem;
» qui motu ipso conversus in ventum, ambituque suo Astra
» complexus, ea secum in orbem egit, quamque ipsorum
» in summa Mundi parte conversionem hodieque cernimus,
» conservavit. Atque ita ex subsidentibus quidem corpori-
» bus terra, ex iis vero, quæ sublime delata sunt, Cœlum,
» Ignis, Aer extitere. At cum magnam adhuc materiæ co-
» piam Terra contineret, eaque cum ventorum percus-
» sione, tum astrorum etiam ipsorum afflatu densior ac
» spissior effecta esset, quicquid subtilioris ac tenuioris
» formæ habebat, expressum est, humidamque naturam
» procreavit. Quæ fluxa cum esset ac liquida, in ea conti-
» nuo loca ferebatur, quæ concava simul essent, atque ad
» eam et capiendam et continendam idonea : vel eadem
» certe per sese consistens, subjecta loca excavavit. »

Hunc etiam isti nobis egregium Mundi ortum somniarunt. Quibus immensa quædam alia verborum pugna contentioque subjungitur, hominum in infinita quæstionum sylva fluctuantium. Sitne unum aliquid habendum hoc universum, an multiplex, Unicusne sit Mundus, an plures. Sitne animatus hic noster, Deique providentia gubernetur, an contra. Interitune careat, an ei sit obnoxius. Quo idem pabulo nutriatur. Unde nam ejus moliendi Deus initium

duxerit. De mundi ordine. Quæ causa fuerit, quamobrem inclinatior fieret atque depressior. De Mundi exteriore ambitu. Quænam dextræ illius partes sint, quæque sinistræ. De Cœlo. De Dæmonibus præterea, deque Heroibus. De Materia simul, et Ideis. De ipso totius Universi ordine. De conversione motuque Siderum. Unde lumen stellæ accipiant. De iis, quos vulgo Castores nominamus. De Solis ac Lunæ defectionibus. De ejusdem Lunæ aspectu. Cur terrestri similior appareat. De intervallis, quibus a Sole Terraque distet. Itemque de Annis. At hæc omnia, sexcentis eorum, de quibus loquimur, Philosophorum disputationibus agitata, cum in pauca Plutarchus ita contraxerit, ut omnium breviter opiniones dissidiaque complexus sit : rem me non inutilem facturum existimo, si ejusdem verbis illa ipsa repræsentem, ut quam jure ac merito repudiari debeant, planum efficiam. Si enim secum ipsi tanta tamque pertinaci dissensione luctati sunt, aliudque nihil præter contentiones et pugnas in sese mutuo succenderunt, dum suorum quique vicinorum sententias inani verborum ambitione refellerent : quis non mature nos atque prudenter assensionem istis in rebus omnem retinuisse fateatur? Jam ergo prioribus illis, quæ de aliis etiam terræ propinquioribus disputarunt hoc loco, subjungam; uti de Terræ figura : de ejusdem situ et inclinatione : itemque de Mari : ut intelligas, quam non in superiorum modo ac cœlestium illorum, sed etiam in rerum ad Terras pertinentium explicatione præclari Philosophi dissenserint. Atque ut sapientium istorum sapientiam vehementius admireris, ea quoque proferam, quæ de animo, ac de principe animi facultate, pugna sententiarum accerrima docuerunt, cum ne suæ quidem ipsi naturæ conditionem rationemque cognoscerent. Sed jam ad ea nos, quæ primo sunt loco proposita, referamus.

CAPUT XXXIII.

Utrum totum hoc unum sit[1].

« Stoici unicum esse mundum, ejusque nomine cum » Universum ipsum, tum corpoream quoque naturam com- » prehendi voluerunt. Empedocles, unum quidem esse » mundum fatetur, eum tamen Universum esse non vult, » sed partem ejus tantum exiguam, reliquum vero inanem » otiosamque materiam. Plato, et mundum, uti sentit, uni- » cum, et unum aliquid hoc Universum esse, argumentis » conjicit omnino tribus; quod nisi omnia contineret, per- » fectus, integerque non foret; quod similis exemplari suo non » esset, nisi esset unigena; postremo, quod omni corrup- » tione liber esse non posset, si extra ipsum aliquid supe- » resset. At Platoni respondere possis; non continuo mun- » dum esse perfectum, ut omnia contineat; perfectum » quippe hominem esse, qui tamen non omnia contineat : » exemplaria porro multa esse, ut in statuis, ædibus atque » picturis usu venit : qui vero perfectus ille sit, cum extra » ipsum aliquid in orbem versari queat? denique corrup- » tionis expertem nec esse illum, nec esse posse, qui geni- » tus sit. Metrodorus, tam absurdum esse ait, infinito in » spatio mundum extitisse unum, quam ingenti quodam in » agro spicam duntaxat unam generari. Vim porro mundo- » rum infinitam esse, vel ex infinita principiorum multitu- » dine manifeste concludi. Nam si finitus quidem mundus » est, infinita vero quæ hujus ad productionem concurrere » principia, infinitos esse mundos necesse est. Ubi enim

[1] Plutarch., ibid., lib. I, c. V.

» causæ omnes conveniunt, ibi etiam effecta oportet exis» tere : mundi autem causæ aut Atomi sunt, aut Ele» menta. »

CAPUT XXXIV.

—

Utrum animatus sit Mundus, et Providentia gubernetur.

« Animatum esse Mundum, ac Providentia gubernari, » cæterorum omnium sententia est. Democritus, Epicurus, » ac reliqui Atomorum Vacuique doctores, utrumque ne» gant, et Naturæ cuidam rationis experti ejus administra» tionem regimenque committunt. Aristoteles nec partibus » omnibus universe animatum esse vult : nec universe aut » sensu, aut ratione præditum, adeoque nec spiritalem uni» verse ac Providentia gubernatum. Hæc quidem omnia » cœlestibus inesse rebus, quæ sphæras habeant animatas » atque vitales : terrenas horum prorsus habere nihil, » quique in iis ordo reperitur, eum abs solo casu, non » ab antegressa ulla ratione proficisci [1]. »

CAPUT XXXV.

—

Utrum mundus interitu careat.

« Pythagoras, Plato, et Stoici, generatum abs Deo Mun» dum, et suapte quidem natura corruptioni obnoxium, » propterea quod uti corporeus est, ita sensu quoque per-

[1] Plutarch., ibid., lib. II, c. III.

» cipitur : Dei tamen providentia et conservatione futurum, » ut nunquam intereat. Epicurus periturum illum, quia » genitus sit, ut animantem, ut plantam. Xenophanes, » ortu carere, ac sempiternum esse, omnisque corruptio» nis expertem. Aristoteles, partem mundi Lunæ subjec» tam, patibilem esse, ubi etiam terrestria quæque fatali » quadam forte moriantur. »

CAPUT XXXVI.

—

Unde Mundus alimentum hauriat.

« Aristoteles, si Mundus, alitur, *inquit*, etiam interibit : » Atqui nullo indiget alimento. Est igitur ille sempiternus. » Plato, ipsum sibi Mundum, ex iis partibus quæ muta» tione corrumpuntur, alimentum comparare. Philolaus, » duplex esse corruptionis genus, alterum igne cœlitus de» cidente, alterum Lunari aqua propter Aeris conversionem » effusa. Utriusque autem exhalationes Mundi alimentum » esse. »

CAPUT XXXVII.

—

Undenam condendi Mundi Deus initium fecerit.

« Physici, abs Terra, velut a Centro, Mundi ortum » cœpisse volunt, quod centrum globi principium sit. Py» thagoras, ab Igne et quinto Elemento. Empedocles, » omnium Principem Æthera secretum esse, tum Ignem

» deinde Terram, ex qua, dum nimium incitatæ conver-
» sionis impetu comprimeretur, Aqua proruperit : Ex Aquæ
» porro exhalationibus Aerem extitisse : ac Cœlum quidem
» ex Æthere, Solem ex Igne procreatum; cæteris ex Ele-
» mentis vicina Terræ corpora densiori mole pressa consti-
» tisse. Plato, aspectabilem hunc Mundum ad spiritalis
» exemplar esse procreatum : aspectabilis vero Mundi par-
» tem omnium primam Animum extitisse, alteram deinde
» corpoream, ex qua tamen prius illud emerserit, quod ex
» Igne Terraque constaret, quod ex Aqua et Aere, poste
» rius. Pythagoras, solidæ figuræ cum sint omnino quinque,
» quas etiam Mathematicas nominare solent, confectam ex
» Cubo Terram esse ait, Ignem ex Pyramide, ex Octaedro
» Aerem, ex Icosaedro Aquam, Universi denique Sphæram
» ex Dodecaedro. Quo etiam in genere Plato Pythagoram
» æmulatur. »

CAPUT XXXVIII.

—

De Mundi ordine.

« Parmenides, quasdam veluti Coronas esse ait, inter se
» se complexas, quarum una rariori ex corpore sit, altera-
» ex densiori contexta; quas inter aliæ sint, ex lumine te-
» nebrisque mixtæ : quod autem universas contineat, fir-
» mitatem muri alicujus simillimam obtinere. Leucippus
» atque Democritus, expansam Mundo tunicam membra-
» namque circumdant. Epicurus, ex Mundis rariorem alios
» terminum habere, alios densiorem; tum eorumdem par-
» tes alias moveri, alias perpetuo quiescere. Plato, primum
» omnium Ignem collocat, Æthera deinde, tum Aerem,

» Aquam deinceps, postremamque Terram. Idem tamen » Æthera cum igne aliquando consociat. Aristoteles, pri- » mum quoque omnium Æthera statuit, quintum quoddam » ab eo corpus nominatum, atque ab omni patiendi neces- » sitate sejunctum. Huic patibilia subjungit omnia, Ignem, » Aerem, Aquam, postremamque Terram. Ex illis porro, » cœlestia quidem in orbem proprie moveri; at inferiora, » si levia modo sint, sublime; sin gravia, deorsum ferri. » Empedocles, Elementis non sua quibusque loca certa » semper ac definita consistere: sed aliorum in locum alia » subinde mutuoque succedere. »

CAPUT XXXIX.

—

Quamobrem inclinatior Mundus sit, atque depressior.

« Diogenes et Anaxagoras, creatum jam conflatumque » Mundum, animantibus etiam ex Terra productis nescio » quo pacto, versus Meridem sponte sua inclinatum esse » divino fortasse consilio, uti partes ejus frequentari aliæ » possent, aliæ non possent, prout vel frigore æstuve nimio » laborarent, vel salubri temperatione constarent. Empe- » docles, Aere Solis ad vim et impetum subsidente, incli- » natos esse Polos: ita quidem ut Septentrionalis sublime » tolleretur, Australis vero depressior fieret, quod ipsum » proinde toti Mundo evenerit.

CAPUT XL.

—

Utrum Inane sit, quod extra Mundum est.

« Pythagorei, extra Mundum inane spatium esse volunt, » quo Mundus atque unde respiret. Stoici, infinitum et » immensum aliquid, in quod Mundus ipse conflagratione » dissolvatur. Posidonius, non infinitum quiddam, sed ejus- » modi tantum, quod ei dissolutioni sufficiat, ut docet libro » de Inani primo. Aristoteles, Inane quidquam esse negat : » et Plato tam extra, quam intra Mundum, Inane repu- » diat. »

CAPUT XLI.

—

Quæ dextræ Mundi partes sint quæ sinistræ.

« Pythagoras, Plato, Aristoteles, dextram mundi partem » Orientalem esse, unde motus ejus ducatur initium; si- » nistram, Occidentalem. Empedocles, dextram ad æstivum » tropicum, ad hybernum, sinistram constituit.

CAPUT XLII.

—

De propria Cœli natura.

« Anaximenes, exteriorem Cœli ambitum terrestris esse » naturæ. Empedocles, solidum illud esse, quod in cry- » stalli modum ex aere ignis calore concretum, quidquid » ignis et aeris utroque in hemisphærio est, comprehendat. » Aristoteles, idem ex quinto corpore, vel ex calidi ac fri- » gidi temperatione componit.

CAPUT XLIII.

—

De Dæmonibus et Heroibus.

« Quæstioni de Diis[1], subjungenda continuo est de dæ- » monibus, heroibusque tractatio. Tales, Pythagoras, » Plato, et Stoici, Dæmones animorum similes naturas; » Heroes autem, animos etiam ipsos a corporibus sejunctos » esse; bonos quidem, si boni animi fuerint, si mali, malos. » Epicurus, horum nihil certo pronuntiat.

[1] Plutarch., ibib. Liv. 1. c. VII.

CAPUT XLIV.

—

De Materia.

« Materia primum illud est, quod generationi, corrup-
» tioni, aliisque mutationibus subjicitur. Thaletis, et Py-
» thagoræ sectatores, una cum Stoicis, materiam hanc
» fluxum aliquid esse, totamque rebus in omnibus genus
» omne mutationis subire pronuntiant. Democritum se-
» cuti, patibilia non esse prima illa principia, atomum,
» inane, incorporeum. Aristoteles et Plato, materiam cor-
» poream illam quidem, sed forma, specie, figura, et qua-
» litate carentem, si eam suapte natura spectaveris, quæ
» tamen uti formarum omnium receptaculum est, sic ea-
» rum quoque veluti nutrix, et typus quidam ac mater exis-
» tat. Qui eam, vel aquam, vel terram, ignem, aeremve
» dicunt, ei nec formam amplius detrahunt, et corpus
» attribuunt: qui vero individua et atomos esse volunt,
» eam proinde sine forma relinquunt.

CAPUT XLV.

—

De Idea.

« Idea natura est incorporea, quæ cum sit ipsa consis-
» tatque per sese, tum forma carenti materiæ speciem
» induens, ut cognoscatur, efficiat. Socrates et Plato, Ideas

» ab omni secretas materia naturas esse arbitrantur, quæ
» Dei, hoc est mentis, in notionibus sensisque subsistant.
» Aristoteles, formas ideasque reliquit ille quidem, non
» tamen a materia separatas, quarum ad exemplar, quic-
» quid abs Deo perfectum est, extiterit. Profecti abs Ze-
» none Stoici, nostras ipsorum notiones Ideas esse defen-
» dunt.

CAPUT XLVI.

—

De Stellarum ordine.

« Xenocrates [1] per eamdem omnes superficiem moveri
» arbitratur : at reliqui Stoici, priores aliis alias, prout al-
» tiores illæ depressioresve fint, constituunt. Democritus,
» stabiles priore loco, posteriore vagas errantesque ponit,
» quibus et Solem, et Luciferum, et Lunam annumerat. Pla-
» to, ubi stabiles posuit, tum sequentes hoc ordine collo-
» cat; Phænontem, quæ Saturni stella est; Phaethontem,
» quæ Jovis; Pyroenta, quæ Martis; Luciferum, quæ Ve-
» neris; Stilbonem, quæ Mercurii; Solem inde, septimam-
» que Lunam. Ex Mathematicis Platonem alii sequuntur,
» alii Solem inter omnes medium esse volunt. Anaximan-
» der, et Metrodorus Chius, et Crates, altissimam omnium
» Soli regionem attribuunt, eique Lunam proxime subji-
» ciunt; reliquam siderum tam stabilium, quam errantium
» multitudinem utroque inferiorem existimant.

[1] Plutarch. ibid., lib. II, c. XV.

CAPUT XLVII.

De proprio Stellarum motu.

» Anaxagoras, Democritus, Cleanthes, ab ortu in occa-
» sum Stellas omnes deferri. Alcmæo et Mathematici, er-
» rantes oppositam stabilibus viam insistere, hoc est, ab
» occasu in ortum adversas moveri. Anaximander, ab iis
» circulis et orbibus, ad quos singulæ adhærescunt, cir-
» cumferri. Plato, unaque Mathematici, æquales Solis, Ve-
» neris, et Mercurii conversiones esse. »

CAPUT XLVIII.

Stellæ unde lucem accipiant.

» Metrodorus, abs Sole stabiles omnes illuminari. Hera-
» clitus, et Stoici, terrenas exhalationes Stellis omnibus ali-
» mento esse. Aristoteles, nullo cœlestes naturas alimento
» indigere, quod ab omni corruptione liberæ sint, atque
» sempiternæ. Plato, mundum universum, ac Stellæ omnes,
» commune quoddam ex illo ipso alimentum haurire »

CAPUT XLIX.

—

De iis, quos vulgo Castores ac Geminos dicimus.

« Xenophanes, quas vulgo Stellas summis imminere na-» vibus arbitrantur, nubeculas esse proprio quodam certo-» que motu refulgentes. Metrodorus, fulgorem quemdam » ex oculis cum motu ac formidine suspicientibus promi-» cantem. »

CAPUT L.

—

De Solis defectione.

« Thales[1], omnium primus docuit, Solis tum defectio-» nem accidere, cum Luna, quæ terrestris cujusdam na-» turæ sit, sub eum ad perpendiculum rectaque subit : at-» que hoc in subjecta pelvi, sic tanquam in speculo, ma-» nifeste deprehendi. Anaximander, osculo illo, per quod » expiret ignis, occluso. Heraclitus, eam corporis illius » scaphæ persimilis conversione fieri, cum pars ejus con-» cava sursum, incurva et globosa deorsum oculis nostris » obvertitur. Xenophanes, Solis ipsius extinctione, sic qui-» dem ut alius subinde, versus orientem renascatur. Idem-» que præterea scribit, Solis aliquando defectionem mense » integro persistere, itemque alias, plenam ac perfectam

[1] Plutarch. Ibid., lib. II, c. XXIV.

» accidere, prorsus ut dies in noctem mutata videatur. » Non desunt, qui nubes quasdamas pectum fugientes, So- » lis corpori sese objicere putaverint. Aristarchus, Solem » stabilium in siderum classe constituens, Lunam circa Solis » orbem moveri vult, atque ita certis quibusdam inclina- » tionibus, ejus corpori umbram offundere. Xenophanes, » multos præterea Soles, multasque Lunas, pro terræ cli- » matum, sectionum, atque zonarum varietate ponit : So- » lis ergo corpus, certo quodam tempore in aliquam terræ » portionem, quæ a nobis minime frequentetur, incidere, » adeoque sic tanquam per vacuum aliquid et inane dela- » tum, ejusmodi defectionem subire. Idem porro, Solem » infinitum in spatium ulterius semper ulteriusque proce- » dere, qui tamen ob nimiam intervalli distantiam, in or- » bem agi nobis volvique videatur. »

CAPUT LI.

De Lunæ defectione.

« Anaximander[1], obturato rotæ osculo. Berossus, parte » altera, quæ igne careat, nobis obversa. Heraclitus, in- » curvæ partis scaphæque similis conversione. Ex Pytha- » goreis nonnulli, hanc lucis vel rejectionem quamdam vel » exclusionem esse putant, quam terra vel nostra, vel op- » posita efficiat. At recentiores, totum id fieri pro certa » quadam flammæ illius communicatione, quæ uti paula- » tim ordinateque succenditur, donec integrum plenilu- » nium efficiat; ita vicissim cum aliqua proportione mi- » nuatur, usque ad ejus cum Sole congressum, in quo

[1] Plutarch. ibid, lib. II, c. XXIX.

» demum penitus extinguitur. Plato, Aristoteles, et Stoici, » uno consensu pronuntiant, menstruas quidem latendi vices » ex eo Lunæ contingere, quod ipsa cum Sole congrediens, » immodico ejusdem lumine obruatur : defectiones vero, » seu quod in terræ, utriusque sideris in medio constitutæ, » umbram incidat, seu verius quod lumine hoc obice ad Lu- » nam accessus obstruatur. »

CAPUT LII.

—

De Lunæ aspectu, et quamobrem terrestris appareat.

« Pythagorei, terrestrem ideo Lunam apparere, quod uti » nostra hæc terra passim frequentetur, et quidem majori- » bus animantibus, plantisque pulchrioribus. Ejus enim » animantes vicibus quindecim nostras adæquare, corpo- » reumque nihil excernere : diem illic præterea totidem » partibus nostrum hunc superare. Anaxagoras, ob tem- » perationis inæqualitatem, frigidique simul ac terrestris » admixtionem : tenebrosum enim quiddam inesse cum » igneo fulgore commixtum : eoque Lunam, falsi vultus » ac luminis astrum vocari. Stoici, quod mixtam aere na- » turam habeat, temperationem ejus corruptionis expertem » non esse. »

CAPUT LIII.

Quantum ab Sole Terraque distet.

« Empedocles, bis eam ab Sole tantum, quantum a Terra » distare. Mathematici, posteriorem a priore distantiam oc- » todecim vicibus adæquari. Eratosthenes, stadiorum milli- » bus octoginta supra quater decies, Solem a Terra distare; » Lunam vero, stadiorum millibus octoginta supra septin- » genta millia. »

CAPUT LIV.

De Annis.

« Saturni annus, annorum est triginta periodus : Jovis, » duodecim : Martis, duorum : Solis, mensium duodecim : » Mercurii ac Veneris, totidem (cursus enim æqualem ha- » bent); Lunæ, dierum triginta : perfectus enim mensis » ille est, qui a primo ejus aspectu, ad ejusdem cum Sole » congressum perducitur. Magnum autem Annum, alii an- » norum octo, alii novemdecim, alii novem et quinquaginta » circuitu comprehendunt. Heraclitus annorum ei solarium » millia tribuit octodecim. Diogenes, annos quinque et » sexaginta supra trecentos, et ejus quidem rationis, cujus » ipse est Heracliti annus. Atque hujusmodi est Philoso-

» phorum nostrorum de rerum cœlestium ac superiorum » natura et ratione dissensio. Veniamus ad Terram. »

CAPUT LV.

De Terra.

« Thales, ejusque sectatores, unicam esse Terram [1]. » Oecetes Pythagoreus duas, hanc nostram, eique opposi- » tam. Stoici, et unam, et certis finibus terminatam. Xe- » nophanes, inferiore sui parte, infinita quadam in altitu- » dine fundatam ac stabilitam esse ex Aere autem et Igni » totam esse, conflatam. Metrodorus, Terram, subsiden- » tem Aquæ fæcem esse, ut Solem Aeris. »

CAPUT LVI.

De Terræ figura.

« Thales ac Stoici, globosam Terræ figuram tribuunt. » Anaximander, lapideæ columnæ planæ similem esse ma- » vult. Anaximenes, cum mensa, cum tympano Leucippus, » Democritus cum disco latitudine comparat, licet eam » circa medium cavam esse velit. »

[1] Plutarch. Ibid., lib. II, c. IX.

CAPUT LVII.

—

De Terræ situ.

« Thaletis Discipuli, mediam esse Terram : Xenophanes » primam, quæ infinita in altitudine fundata sit. Philolaus » Pythagoreus, medium ignem, quod sit Universi focus : » secundam vero, Terram nostræ oppositam; tertiam hanc, » quæ a nobis frequentatur, quæ situm et conversionem » habeat alteri illi contrariam : eoque fieri, ut qui versan- » tur in opposita, a nostris hujus incolis videri non possint. » Parmenides omnium primus, ea Terræ loca distinxit, » quæ frequentari possint, sub duabus Tropicorum Zonis » constituta. »

CAPUT LVIII.

—

De Terræ motu.

« Cum cæteri omnes Terram quiescere pronuntiant, Phi- » lolaus Pythagoreus, eam circa Ignem, obliquo in circulo, » quemadmodum Solem atque Lunam, moveri existimat. » Heraclides Ponticus, et Ecphantus Pythagoreus, Terram » quidem cieri volunt, sic tamen, ut ea locum subinde » progrediendo non mutet, sed rotæ potius instar, suomet » in axe, ab occasu in ortum, circa proprium sibi cen- » trum, incitata in orbem conversione volvatur. Democri-

» tus, initio Terram suapte cum exiguitate, tum etiam le-» vitate huc illuc fluctuasse, at progressu temporis cons-» tipatam, ac majori gravitate firmatam constitisse. » His de rebus ad Terram pertinentibus, eximiorum Philosophorum dissidiis breviter expeditis, de Mari quam nihilo magis inter sese conveniant, pauca hæc accipe.

CAPUT LIX.

De Mari. Quomodo coaluerit, et quamobrem amarum sit.

« Anaximander, aliud nihil Mare [1], quam primigenii » humoris reliquias esse defendit, cujus partem maximam » Ignis exsiccaverit, alteram quæ supererat, æstus ardore » commutarit. Anaxagoras, humorem illum primigenium, » et stagni more diffusum, solaris conversionis æstu con-» flagrasse, tum pinguioribus partibus exhalatis, quod re-» siduum fuerat, in salsuginem et amaritudinem abiisse. » Empedocles, Terræ sudorem esse, quam superioribus » etiam in partibus humore perfusum Solis ardor exurat. » Antiphon, ipsiusmet æstus sudorem esse mavult; humi-» dum enim, quod prius includebat, ab eo secretum esse, » quodque in omni sudore contingit, ebulliendo concoc-» tum salsius evasisse. Metrodorus, quod per Terram cola-» tum Mare fuerit, ejus ex crassitie aliquid ipsi adhæsisse, » ut in iis usu venit, quæ per medios cineres purgandi » causa transfunduntur. Platonici, eam elementaris Aquæ » partem, quæ per refrigerationem ex Aere concrescat,

[1] Plutarch. Ibid, lib. III, c. XVI.

» dulcem; alteram vero, quam Terra æstu et ardore succensa exhalet, salsam esse. » Hactenus etiam de Mari. At vero, qui sese orbis universi, rerumque omnium ætheriarum etiam, atque cœlestium naturam atque rationes explicando comprehensuros esse jactabant, ii quam ne intestina quidem ac propria noverint, ex ipsorum hoc etiam in genere dissidio plane cognosces.

CAPUT LX.

—

De Partibus Animi.

« Pythagoras et Plato [1], si a summo capite divisionem » arcessere libeat, partes Animi esse duas, ratione prædi- » tam alteram, alteram omnis rationis expertem : sin pro- » pius enucleatiusque spectetur, tribus eum partibus con- » tineri : alteram enim illam, quæ ratione careat, in » irascendi, et concupiscendi vim partiuntur. Stoici ex » partibus illum octo constituunt, quarum quinque sen- » suum facultates numerantur, videndi, odorandi, au- » diendi, gustandi, atque tangendi; tum loquendi sexta, » septima seminandi, octava postremaque Princeps illa » moderatrixque cæterarum, quæ suis singulas instrumen- » tis regit, quemadmodum suis Polypus cirris ac bra- » chiis uti solet. Democritus et Epicurus, partes ei duas » attribuunt, ratione præditam, in pectore collocatam, et » rationis expertem, tota passim corporis mole diffusam » Porro Democritus idem, cuncta suapte natura certa

[1] Plutarch. Ibid., lib. IV, c. IV.

» animam habere putat, etiam cadavera : propterea quod » manifeste caloris semper ac sensus aliquid retineant ipsa » quoque, maxima licet parte jam dilapsa. »

CAPUT LXI.

De Principe Animi facultate.

« Plato et Democritus, toto eam in capite collocant. » Strato, superciliorum in medio. Erasistratus, circa Ce- » rebri membranam, quam Epicranidem ipse nominat. » Ecophilus in cerebri ventriculo, quo etiam veluti funda- » mento quodam innitatur. Parmenides, toto in pectore. » Epicurus ac Stoici omnes, in corde toto. Diogenes, in » cordis Arteriæ concavo, quod spiritu in primis abundat. » Empedocles, tota sanguinis in mole. Alii quidam, in » membrana quæ cordi oppanditur. Alii vero in Diaphrag- » mate. Nonnulli ex recentioribus, a capite ad transversum » illud septum pertinere. Pythagoras, vitalem in corpore, » ratione præditam atque spiritalem in capite constituit. » Atque hactenus Philosophorum nostrorum hoc etiam rerum in genere dissidia. Numquid ergo tibi, certo judicio, magnaque cum ratione videmur, a tam inani, errorumque plena illorum omnium curiositate merito discessisse ? Non jure superiora omnia habere susque deque, qui fructum ex iis nullum, nihil quod per sese homini utilitatem ullam, bonique possessionem afferat, existere videamus ? Sed unam illam potius, erga rerum omnium Molitorem Deum pietatem colere, castæque vitæ, ac totius Deo cari, virtutem-

que complectentis instituti rationibus, eidem præpotenti Deo placere conari? Quod si malevolentia quadam invidiaque correptus, ad verum illud nobis testimonium ferendum ægre nimis ac moleste adduceris, iterum te sapientissimus ille Græcorum Socrates antevertet, qui sincere causam hanc nostram suo dudum suffragio comprobavit. Istos enimvero rerum superiorum garrulos scrutatores, insanire planissime, nec a furiosis quicquam differre ostendebat : eos palam aperteque coargueris, non modo quod suis longe viribus majora tentarent, sed etiam quod in rebus inanissimis, et ab omni humanæ vitæ fructu vacuis, studium operamque contererent. Hujus tibi rei auctorem dabo jam laudatum supra Xenophontem, Socratis amicorum longe notissimum, qui suis in Memorabilibus hoc ipsum verbis totidem consignatum reliquit.

CAPUT LXII.

Ipsum quoque Soratem Græcorum olim sapientissimum, eos qui rerum ejusmodi physiologia tantopere insolescerent, vel hoc nomine recordes et insanos ostendisse, quod in rebus ab omni vitæ fructu vacuis, suaque omni facultate superioribus, studium operamque contererent.

« Socratis, inquit Xenophon, nemo unquam impium » aliquod et improbum, aut factum vidit, aut verbum au» divit. Nec enim is, ut plerique omnes, de natura rerum » universa disputabat; quemadmodum hic sese, uti a So-

[1] Xenoph. Memorab., lib. I.

» phistis vocatur, mundus habeat, aut quibus necessitatis » legibus cœlestia quæque fiant, curiosius investigans. Imo » vero, qui hoc in questionum genere anxie versarentur, » eos plane insanire ostendebat. Ac primum quidem in illis » hoc spectabat, utrum se rerum humanarum abunde pe- » ritos esse rati, ad superiores illas studium curamque » transferrent; an vero, cum neglectis humanis divina rima- » rentur, suo sibi munere officioque fungi viderentur. De- » inde mirabatur etiam, ab istis ne hoc quidem videri, id » genus cognitionis ab hominibus obtineri non posse: cum illi » ipsi, qui disputationibus hujusmodi tantopere intumes- » cunt. Non jam inter sese conveniant, sed potius furioso- » rum utique more dissideant, ex furiosis enim, alii ne » gravissima quidem reformidant, alii quæ nihil etiam ha- » beant periculi extimescunt. Nonnullis vel in media turba, » quidlibet aut loqui aut facere, turpe non videtur: alii contra » sibi ne hominum quidem in societatem veniendum esse » persuadent. Sunt qui non templum, non aram, non divinum » omnino quicquam venerentur: sunt etiam, qui lignis, qui » obviis quibusque lapidibus, qui ipsis queque feris cultum » exhibeant. Sic istorum e numero, qui naturam rerum uni- » versarum explorant, alios videas, quibus id omne quod est, » unum modo quid esse placeat; alios, qui res multitudine » infinitas esse velint. Quidam moveri semper omnia, mo- » veri nihil unquam posse quidam arbitrantur. Sunt qui » et nasci universa dicant, et interire: sunt contra qui nihil » aut ortum unquam, aut unquam interiturum esse defen- » dant. Qua de hominum ratione quærebat illud præterea; » num ut qui humanis artibus operam navant, cujus ope- » ris modum rationemque didicerint, id cum sibi, tum alteri » cuilibet perficere se posse confidunt; ita qui divinarum » in rerum inquisitione versentur, postquam ipsi qua quæ- » que necessitate fiant, optime cognoverint, tum ea se

» quotiescunque libuerit, ventos, pluvias, tempestates, et » si quo ejusmodi alio opus habuerint, efficere posse exis- » timent : an potius id ne sperent quidem, qua solum quicque » fiat rationem tenere contenti. Hæc ille cum de rerum » istarum exploratoribus diceret, tum humanis ipse de » rebus perpetuo disserebat, et quid pium aut impium, » quid honestum aut turpe, quid justum aut injustum, » quid sanum aut stolidum foret, inquirebat. »

Hactenus Socratis mentem atque orationem habemus. Eum Aristippus cyrenæus, ac deinde Aristochius sequuti, non nisi de moribus philosophandum esse docuerunt. Unum enim hoc scientiæ genus, et posse comprehendi, et plurimum utilitatis afferre : illas de natura quæstiones, et humanum superare captum, nec ut pervideri aliquando possint, compendii quicquam habere. Nihil quippe nobis accessurum, si vel altius, quam Perseus ipse, raperemur, atque adeo

« Pontique fluctus, atque Pleiadas supra, »

Mundum universum, nudamque rerum naturam omnium oculis cerneremus. Nec enim prudentiores inde, justiores, fortiores, temperantiores nos futuros, imo ne robustos quidem, aut formosos, aut divites, quibus si rebus careas, beatus esse non possis. Quocirca recte illud Socrates dicere solitus erat, e rebus alias supra nos esse, alias nihil ad nos pertinere : physicas enim captu nostro superiores esse, quæ vero mortem consequantur, a nobis omnino disjunctas : proinde nostra tantummodo humanas interesse. Ergo valere jussa tam Anaxagoræ, quam Archelai physiologia, hoc se unum quærere,

« Quid lætum, quid triste domi sors propria verset. »

Enimvero Physicas illas disputationes, non molestas esse duntaxat, et humana facultate majores, sed impias etiam, Legibusque contrarias. Alios quippe nullos plane Deos admittere; alios aut infinitum, aut id quod est, aut unum, aut alia quælibet pro Diis habere, quam qui vulgo recepti sunt. Atque hos inter magnam præterea dissentionem esse. Alios enim universum infinitum ponere, alios certis finibus comprehensum : itemque alios omnia moveri statuere, alios omnino nihil. Mihi vero, si quicquam aliud, hoc sane optime ab illo Timone Phliasio in Sillis dictum videtur,

« Ecquis eos diro pugnæ inflammavit amore?
» Concurrens linguæ fremitus, namque ille silentum
» Impatiens morbi contagia fœda loquacis
» Immisit : sævo multi periere veneno. »

Vides quemadmodum sese invicem homines egregii vellicent? Mutuas quidem illorum contentiones, pugnas, atque dissidia, idem ipse Timo præter superius illud, sequentibus versibus adumbravit,

« Dira lues hominum, contentio, vanaque jactans,
« Mortiferique furor belli, pugnæque ministra,
» Invadit, cæcoque diu rapta impete, tandem
» Confirmat gravitate caput, spemque objicit ultro. »

Verum enimvero, cum hactenus et mutuas hominum istorum altercationes, et illam non minus alienam a nobis, quam inanem per sese, nullique parabilem cæterorum omnium, quibus hodieque Philosophi gloriantur, cognitionem, non jam nostris, sed domesticis illorum ipsorum clarissimisque testimoniis, abunde coarguerimus : cumque præterea causam illam omnibus spectandam protulerimus, quæ nos cum ad repudiandam ipsorum doctri-

nam, tum ad complectenda Hebræorum oracula impulerit: Evangelicæ huic Præparationi finem aliquando imponamus. Nam quæ ad perfectiorem illam Demonstrationis Evangelicæ tractationem pertinent, novum disputandi principium requirunt; quod quidem non aliunde, quam ab ea, quæ solvenda nobis superest, quæstione ducemus. Restat autem id unum, ut eorum, qui Circumcisionem retinent, criminationi respondeamus; cur tandem, externi et alienigenæ cum simus, eorum libris, utique nihil ad nos, (ut ipsi quidem objiciunt), pertinentibus abutamur: aut cur ipsorum oracula litterasque complexi, minime tamen vitæ nostræ rationes eorumdem ex lege moderemur.


INDEX

TOMI VIGESIMI.

Pag.

LIBER DUODECIMUS.

LIBER DECIMUS TERTIUS.



LIBER DECIMUS QUARTUS.



LIBER DECIMUS QUINTUS.

FINIS TOMI VIGESIMI INDICIS.

E typis Everat, Parisiis, via du Cadran, 16.